BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Heineccius, Johann Michael,

Ioannis Michaelis Heineccii ... de veteribvs Germanorvm aliarvmqve nationvm sigillis, eorvmqve vsv et praestantia, syntagma historicvm in quo cum de re sigillari in universum agitur ... et passim cum numis solidis ... accedunt sigillorum icones tabulis aeneis comprehensae

Francof. [u.a.] 1719

Bamberg, Staatsbibliothek -- Her.f.9
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11698828-1
VD18 14556456-004

9. ~~Fol. III. 12.~~

Herr.

P f. 9.

P M. shq.

ao 1765. A 1727.

M5h

SYNTAGMA HISTORICVM
DE
VETERIBVS
GERMANORVM
ALIARVMQVE NATIONVM
SIGILLIS.

IO. IACOBVS CHIFFLETIVS,

Cap. VII. Anaſtaſ. Childeric. p. 112.

Peireskius magno animi ſenſu identidem dictitare ſolebat, SIGILLA, NVMISMATA, *aliaque id genus, teſtes eſſe antiquitatis incorruptos; quodque ex iis addiſcerentur, quæ fruſtra requireret quis ex hiſtoriographis omnibus.* Scilicet, *annulis noſtris plus quam animis creditur.* Et verisſime Iohannes Iperius: SIGILLVM REGIVM *nec fallit, nec fallitur.*

IO. MICH.
HEINECCII
S. S. THEOL. D.
DE
VETERIBUS
GERMANORUM
SIGILLIS
EORUMQ; USU
SYNTAGMA
HISTORICUM

IOANNIS MICHAELIS HEINECCII,
S.S. THEOL. DOCTORIS, SACRI TRIBVNALIS IN DVCATV MAGDEB.
CONSILIARII, ECCLESIARVM HAL. ET PER DIOECESIN SALANAM INSPECTORIS, PASTORIS AD B. VIRGINEM PRIMAR. GYMNASII IBIDEM
SCHOLARCHAE SENIORIS, ET REGIAE SOCIETATIS
SCIENTIARVM COLLEGAE,

DE

VETERIBVS GERMANORVM ALIARVMQVE NATIONVM SIGILLIS,

EORVMQVE VSV ET PRAESTANTIA,

SYNTAGMA HISTORICVM,

IN QVO

CVM DE RE SIGILLARI IN VNIVERSVM AGITVR, TVM INPRIMIS SIGILLA IMPERATORVM, REGVM, PRINCIPVM, COMITVM, NOBILIVM, CIVITATVM,

ITEM

PONTIFICVM, EPISCOPORVM, ECCLESIARVM,

Biblioth. Banz

DESCRIBVNTVR

ET PASSIM

CVM NVMIS SOLIDIS

AEQVE AC

BRACTEATIS

CONFERVNTVR, ET HINC INDE

EX DIPLOMATIBVS

VARIISQVE OBSERVATIONIBVS HISTORICIS ILLVSTRANTVR,

ACCEDVNT

SIGILLORVM ICONES

TABVLIS AENEIS COMPREHENSAE.

EDITIO ALTERA PRIORE NITIDIOR ATQVE EMENDATIOR.

FRANCOF. ET LIPSIAE,
SVMTIBVS NICOLAI FOERSTERI,
ANNO M DCC XIX.

STEREOMETRIA SOLIDORUM

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI

DOMINO

GEORGIO

MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE

ET HIBERNIAE REGI

DEFENSORI FIDEI

DVCI BRVNSVIC. ET LVNEBVRGENS.

S.R.I. ARCHITHESAVR. ET ELECTORI

PRINCIPI PIO FELICI AVG. P. P.

VITAM FELICITATEM TRIVMPHOS

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI

GEORGIO

MAGNÆ BRITANNIÆ REGI

DUCI BRUNSVIC. ET LUNEBURGENS.

S. R. I. ARCHITHESAURO. ET ELECTORI

REGINÆ PIO FELICI AUG. P.

VITAM FELICITATEM TRIUMPHOS



SERENISSIME AC POTENTISSIME REX

Ublimi atque auguſtiſſimo MAIE-
STATISTVAE *ſolio aduoluitur*
libellus ex cismarina Germania

aduectus, nulloque ornamento, ſi auguſtiſſimum nomen TVVM *tollas, conſpicuus. Temerarium hoc forſan, ac parum verecundum,* TE MAGNAE BRITANNIAE *Regem a Germano homine, ac aulæ ſplendori haut adſueto, inter medios belli iuſtiſſimi adparatus adiri: ſed excuſabit temeritatem feruentiſſimus ille, quo purpuram* TVAM *proſequor, pietatis adfectus, & admiratio inuſitatæ illius clementiæ, qua bonas artes tuendas iamdudum ſuſcepiſti. Non ſolis profecto populis imperio* TVO *ſubiectis, ſed vniuerſæ Europæ ſacrum eſſe oportet illius* REGIS *nomen, qui non ſolius* MAGNAE BRITANNIAE, *ſed vniuerſæ Europæ paci ac ſecuritati inuigilat, ad inſtar cæleſtis illius ac fulgentiſſimi ſideris, cuius infatigabilis motus non vni loco, ſed toti, qua patet, terrarum orbi perpetuo conſulit. Magna ſunt anteactæ vitæ* TVAE *decora, magna tot rerum pace belloque feliciter geſtarum gloria, de quibus nulla vmquam futura ætas conticeſcet. Sed ex quo diuinum, quod omnia moderatur, Numen* TE *Regem, fidei defenſorem, & publicæ felicitatis arbitrum eſſe iuſſit, non ſine ſtupore actiones* TVAS *con-*

ſpexit orbis, miratus, poſſe eum principem a ſe ipſo ſuperari, quem nemo adhuc prudentia, clementia, iuſtitiaque ſuperauerat. Vidit Europa ex eo tempore regna TVA *pacata, turbas felici Marte ſuppreſſas, eccleſiam tranquillitati redditam, omniaque tanta prudentia conſtituta, vt & ipſos hoſtes non tam* MAIESTATI TVAE *parere pigeat, quam non paruiſſe, pudeat. Pace domi parta, aliis quoque* TE, REX POTENTISSIME, *natum vidimus: nec dum conticuere publici illi plauſus, quibus vniuerſa meliorum partium Europa nuper victorias* TVAS, *claſſeque coronis naualibus ornatas gratulabunda proſequuta eſt. Placuit ſibi olim Anglia* S. GEORGIO *ſuo, quo tutelari ac ſtatore tutam ſe ſemper ac ad inuidiam vsque felicem futuram firma perſuaſione iudicauit. Sed fallor ego, aut in* TE *Angliæ renatus eſt* GEORGIVS, *dignitate vere ſacroſanctus,* MAGNAEque BRITANNIAE *potentiſſimus tutelaris ac ſtator. Tam paucis enim imperii* TVI *annis ſæculi perfeciſti opera, eaque egiſti publicæ tranquillitatis fundamenta, quæ nulla, vt ſperamus, ſubruet tempeſtas, nullus fatorum*

perfringet furor, nec ipsa conglobata hostium vis dis-
iiciet aut labefactabit.

Quæ quum ita sint, mirari sane non potes, REX POTENTISSIME, *officiosos in laudes* TVAS *esse vniuersæ Europæ calamos, nullumque etiam cis mare esse litterarum paullo amantiorem, quin* TE, *tamquam generis humani amorem ac delicium, summa veneratione flagrantissimisque votis prosequatur. Ita enim natura comparatum est, vt eum ament ac colant omnes, qui bene de omnibus meretur. Sane, quod ad me attinet, nunquam* DOMINE, *augustissimi nominis* TVI *mihi venit in mentem, (venit autem quam sæpissime,) quin* TE, *domum augustam, regna, & in primis tot pietatis exemplis florentissimam ecclesiam Anglicanam calidis suspiriis precibusque DEO immortali commendem. Atque hæc est illa veneratio,* REX AVGVSTISSIME, *quæ in hanc demum erupit audaciam, vt incomtum libellum, aridaque modo pumice expolitum, conspectui* TVO *sistere sustinuerim. Sed accedunt & aliæ caussæ, mihi forsan propriæ. Heroas adduco, non quidem auro omnes*

aut æri Corinthiaco inſculptos, ſed cera, ipſo ære perenniore, effictos, id eſt, imagines magnorum principum ſigillis antiquis impreſſas, in quibus pars haut minima MAIORES TVI, *a quibus non modo natalium decus, verum etiam virtutis ſapientiæque gloriam hereditario veluti iure accepiſti. Quum itaque Romanis, illis rerum dominis, iucundum inprimis viſum fuerit, fumoſas maiorum ſuorum ceras, per atria diſpoſitas, intueri: quanto iucundius* TIBI *futurum eſt,* POTENTISSIME PRINCEPS, *contemplari fumoſas, at integras tamen, ceras* HENRICORVM, OTTONVM, LOTHARIORVM, *& maxime magnanimi illius principis* HENRICI LEONIS, *a quo deriuatum gentis* TVAE *decus per tot ſæcula incorrupta integritate atque illibata gloria conſiſtit? Suscipe igitur,* REX MAXIME, *hoc peregrini hominis, at* MAIESTATI *tamen* TVAE *deuotiſſimi, munus, illudque non tam pretio ſuo aut donantis perſona, quam animi integritate, quæſo, æſtima. Mihi ſane iſte vnicus exantlati laboris fructus videbitur vberrimus, ſi hanc operam*

meam, tanti REGIS *oblatam conſpectui, non plane re-*
iectam, ſed ſolita clementia ſuſceptam intellexero.
TE *interim*, BRITANNIAE *pariter ac vniuer-*
ſæ Germaniæ amor ac præſidium, PONAT DEVS
TANQVAM SIGILLVM SVPRA PE-
CTVS, ET TANQVAM SIGILLVM
SVPRA BRACHIVM! *Ita vouet, ita*
DEVM precatur

VIRTVTI MAIESTATIQVE TVAE

deuotiſſimus ſeruus

Io. Michaël Heineccius. D.

LECTORI BENEVOLO
S. P.

EX quo hiſtoricum hoc DE SIGILLIS SYNTAGMA, quod nunc iterum prodit, primum typis exſcribi paſſus ſum: alia plane, quam quæ poſtea expertum eſt, fata iſti ominabar. Novum erat inſtitutum meum, noua per omnia tractandi ratio, & vix vlla vsquam adparebant, quæ premerem veſtigia. Vnde non poteram non vereri, vt hoc opus publici ſaporis eſſet futurum. Accedebat, quod pauci, hiſtoriarum quamuis amantisſimi, id ſibi negotii datum exiſtiment, vt vetera diplomata e ſitu & puluere extracta conferant, aut, ſi forte id ſuarum eſſe partium duxerint, ſimul monſtroſas & vetuſtate exeſas ſigillorum ceras paullo accuratius contemplentur. Quin & illud ſubinde cogitabam, quod, quum liber meus etiam harum rerum curioſis nulli plane vſui futurus fuiſſet, niſi complures accesſiſſent figurarum tabulæ, pretium eius non poſſit non paullo maius eſſe. Ex quo denuo coniecturam capiebam, ſelectos potius, quam multos illum emtores inuenturum. Enimuero, vt ſunt vanæ mortalium cogitationes, ita alia omnia, quam diuinaueram,

mihi accidiſſe, nunc demum intelligo. Primo enim eo eruditorum plauſu, quod præfiſcini dixerim, exceptum eſt hoc opuſculum, vt non ſolum potiores, quæ paſſim prodeunt, ephemerides, verum etiam tot virorum eruditiſſimorum, quæ ex eo tempore in lucem prodierunt, opera, huius inſtituti mei non ſine laude meminerint. Deinde quum non adeo multos huic libro emtores pollicerer, ille tam viſus eſt vendibilis, vt iam altera curanda fuerit editio, in qua, quid præſtitum a me ſit, quidue in poſterum præſtiturus ſim, paucis nunc monendus videris. Quum bibliopola primum mecum de recudendo hoc ſyntagmate ageret, ſtatim mecum ſtatuebam, elaborandum mihi eſſe, vt illud non modo nitidius, verum etiam auctius prodiret. Erant mihi in ſchedis quamplurima, quæ ex eo tempore paullo diligentius adnotaueram, nec deerat luculentus rariſſimarum bullarum, ſigillorumque numerus, quo multum lucis obſeruationibus meis accedere poſſe videbatur. Amici etiam, quibus de hoc inſtituto meo innotuerat, paſſim ſubmittebant ſubſidia egregia, quibus opus meum ita potuiſſet locupletari, vt facile duplo prodiiſſet auctius. Enimvero tres fuerunt, eæque idoneæ, vt opinor, rationes, quæ mihi hoc conſilium plane excuſſerunt animo. Primo enim in mentem veniebant emtores prioris editionis, qui iure quodam ſuo de me potuiſſent conqueri, intra tam pauculos annos nouam prodire editionem, quæ ſuperiorem, non minimo a ſe emtam, plane redderet inutilem. Deinde & tam arcto me tempore circumſcriptum intelligebam, vt vix ſpes eſſet, valetudine tam affecta, ac inter tot, quibus obruor, occupationes, me lectoris ſpei intra tam paucos menſes ſatisfacturum. Denique quum ex locupletiſſimis harum

regio-

regionum archiuis veluti VINARIENSI, GOTHANO, SONDERSHVSANO aliisque non nullis ſpes mihi facta ſit, multis, iisque ſelectioribus ſigillis potiundi, id quoque me permouit, vt abiicerem illud augendi conſilium, omniaque, quæ operi deeſſe videbantur, in ſingularem faſciculum vel, ſi mauis, poſteriorem tomum coniicerem. Quæ quum ita ſint, non exſpectabis nunc quidem, LECTOR, editionem auctiorem: ſed multo emendatiorem tamen & nitidiorem, mea fide, Tibi pollicebe־ris. Primum enim operam dedi, vt menda, ſi qua in priorem editionem irrepſerunt, ſeueriore adhibita lima, tollerem. Deinde hinc inde verba nonnulla, quæ vel ſenſum reddebant paullo obſcuriorem, vel Latinius exprimi poterant, immutaui, ne data opera barbariem adfectaſſe viderer. Tertio oris paginarum inferioribus auctorum ſubieci nomina, quum antea non ſine lectoris tædio libri tantum, & quidem non ſatis accurate allegarentur. Denique totum volumen vocaui ſub incudem, eaque, quæ emendanda videbantur, tanta diligentia caſtigaui, vt ne orthographiæ quidem rationem habere non dubitarim. Nuſquam tamen, aut certe locis pauciſſimis, ſententiam mutaui, non quod nihil poſterioribus curis emendandum duxerim, ſed quod hanc editionem non niſi diligentia ac nitore a priore voluerim diſcrepare.

Et hæc quidem ſunt, BENEVOLE LECTOR, quæ præſtitiſſe me poſſum adfirmare: nunc, quæ in poſterum moliar, paucis accipe. Sequetur intra paucos, vt ſpero, menſes alter huius Syntagmatis tomus, quem ſi ſuperioris vel ſupplementum vel commentarium dixeris, non errabis mea quidem ſententia. Eum ita adornabo, vt

eumdem ſequar ordinem, quem in priore obſeruaui, & vbique, quæ deeſſe videbuntur, adiiciam; quæ confirmanda, confirmem, quæ emendanda, emendem, multasque animaduerſiones hiſtoricas plena manu adſpergam. Tot enim ex eo tempore, quo primum de edendo hoc libro cogitaui, ſubnatæ mihi ſunt obſeruationes, vt copia ipſa me redditura videatur inopem. Eas omnes tecum communicabit tomus poſterior, ſi DEus vitam viresque conceſſerit. Interim contentus ſis nauata Tibi opera, & conatibus meis, reipublicæ litterariæ commodo conſecratis faueas, ea qua fieri poteſt, animi contentione rogo. HALAE MAGD. ipſis Idib. Febr. ∞ Iɔcc xix.

PRAEFATIO PRIORIS EDITIONIS.

OFfert ſe tibi, L. B. de VETERIBVS GERMANORVM ALIARVMQVE NATIONVM SIGILLIS, SYNTAGMA HISTORICVM, quod, quum Goslariæ adhuc degerem, ſubceſiuis horis collectum, meisque vſibus deſtinatum vix vnquam manumittere & publica luce donare auſus eſſem, niſi virorum doctorum, quorum arbitrio res meæ aguntur, voluntas huc me impulisſet. Nam vt priuatas multorum litteras omittam, iſtius editionem publice a me non ita pridem flagitauit DN. D. IOH. ANDREAS SCHMIEDIVS, Abbas Mariæuallenſis & Theologus Helmſtadienſium celeberrimus, cui quantum obſequii a me deleatur, norunt omnes, qui me norunt. Is enim, vbi Antiquitates meas Goslarienſes non ſine elogio allegauit, hunc in modum pergit: (*in præfat.* ad Phil. Iulii Rethmeyeri *Antiquitates Eccleſiaſticas Brunsvic.*) Die Antiquitates Goslarienſes, welche Tit. Herr Iohann Mi-

Michaël Heineccius, Pastor in Goßlar, mit grossem Fleiß aus den besten documenten der Stadt und Stiffter zusammen getragen, und nächstens mit einem ausführlichen supplemento vermehren will, geben uns nicht nur in vielen Sachen gar schöne Nachrichten, sondern haben auch überdas zu einem andern von mir längst verlangten Werck *de veteribus Germanorum aliorumque nationum sigillis earumque vsu & præstantia*, so schon zum Druck fertig lieget, Anlaß gegeben. Passus igitur sum me expugnari, librumque publici iuris facere decreui, quem non ingratum eruditis fore eo minus dubitaui, quo certius est, neminem adhuc materiam istam ex instituto ac pro dignitate tractasse. Enimuero, vt statim, quid a nobis præstitum sit, quaque ratione nostrum hoc institutum exsequuti simus, LECTORI constet, pauca hæc præfanda duximus.

Ante omnia de iusto adparatu sollicitus, non solum libros omnes, in quibus sigilla vel depicta vel obiter explicata erant, cum cura euolui, verum etiam ipse archiua locupletiora lustranda & sigillorum ectypa inde sumenda existimaui. Quod institutum tam feliciter mihi cesserit, vt & Goslariensia & Quedlinburgensis præposituræ & alia variorum cœnobiorum tabularia magnum mihi sigillorum præstantiorum numerum suppeditarent. Quum tamen nullius, quod possidebam, sigilli ætas sæculum XI. transcenderet, tantum abest, vt hic adquiescendum mihi crediderim, vt potius & antiquiora quæsiuerim diligenter. Restinxit demum hanc sitim meam inclytum & imperiale Cœnobium Corbeiense, cuius Illustris & reuerendissimus Abbas DN. FLORENTIVS, S.R. Imperii Princeps, aditum mihi ad archiuum suum gratiosissime concesit. Hem quantam hic vetustissimorum diplomatum, quantam sigillorum elegantissimorum, quantam rerum aliarum præstantissimarum copiam vidi! Non errauerim sane, si locupletissimum hoc antiqui-

tatum Germanicarum ſacrarium dixero. Omitto hic ſigilla alia, quorum copiam mihi paſſim fecerunt viri doctiſſimi, qui de inſtituto meo inaudiuerant.

Ex hoc igitur adparatu natum eſt, quod vides, *ſyntagma*, in quo ita verſatus ſum, vt primo ſigillorum antiquitatem, materiam & formam in univerſum conſiderarem, deinde quid in cuiusuis ordinis hominum ſigillis ſpectetur, „indicata ſemper figurarum inſcriptionumque ratione, ediſſererem. Inuenies hic velut in nucleo conſtipata, quæ alibi vix reperias, animaduerſiones de ſigillis criticas, obſeruationes hiſtoricas iucundas, aliaque locupletandæ medii ævii hiſtoriæ non parum profutura, adeo vt hæc tractatio ſupplementi inſtar eſſe poſſit ad *Mabillonii* Opus de Re Diplomatica, vtpote in quo de ſigillis pauca admodum & de Germanicis vix aliqua occurrunt, quum tamen eorum notitia pars non minima ſit notitiæ diplomaticæ, ab iisque haut raro totius diplomatis fides dependeat. Nec ſatis porro habui ſigilla varia recenſere ac deſcribere, ſed omnia ſub incudem accurate vocaui, & libere, ſi quando illa dubiæ fidei videbantur, ſum profeſſus: Quum enim critices genuinæ ſit officium monumenta vnius generis atque ætatis inter ſe conferre, ex eaque collatione de eorum vel γνησιότητι vel νοθεύσει iudicare, eandem regulam in hac tractatione diligenter obſeruaui, vt habeant diplomatum amantes, in quo ſuum experiantur iudicium. Experiundo ſane didici, in nulla re, quam diplomatibus, impoſturas obſeruari frequentiores, nec facilius eas, quam ex ſigillis, deprehendi. Quandoquidem enim monachi ſua intereſſe putabant, bona, quæ poſſiderent, in tuto collocare, nec tamen ſemper genuina inſtrumenta ætatem tulerant: auſi ſunt veterum Imperatorum ac Principum ſtylum vtcunque imitari, & diplomata fingere, ſibi vſui, poſteris vero ſimplicioribus fraudi

di futura. Quæ res adeo in omnium oculos incurrit, vt nec *Mabillonius* quidem, qui tamen ipſe monachus monachorum fidem omni molimine tuebatur, rem plane diffiteri auſus ſit, diplomata quippe haut pauca reſtituta eſſe concedens. In hac igitur ſiue reſtitutione ſiue confictione diplomatum dici non poteſt, quot modis erratum ſit. Modo enim in titulis Principum, modo in aeris Imperii, modo in ſtilo, ſed in nulla parte ſæpius, quam in ſigillis ſunt hallucinati, quippe quæ & imitari & noua fingere difficillimum erat. Has vero impoſturas & varias & inſignes paſſim detegit hoc opuſculum, forte & aliis occaſionem daturum, vt impoſterum in diplomatum tractatione ſigilla accuratius conſiderent & ad regulam genuinorum ſigillorum diligentius examinent.

Quemadmodum vero numiſmata, licet ea fini cuſa ſint, vt rerum venalium eminentia pretia eſſent, tamen etiam in antiquitatibus vſum præſtant egregium, quod tot libris oſtenſum eſt ab eruditis, vt integram bibliothecam conſtituant, ita eodem modo ſigilla comparata ſunt, quæ præter primarium vſum ſuum, etiam medii æui hiſtoriam iuuant, & multis de rebus nos præclare erudiunt. Oſtendere hoc conatus ſum parte poſteriore, ſed per aliquot tantum capita, ſuo tempore, ſi Deus vitam & otium conceſſerit, ſupplenda. Quod ſi enim ex numis bracteatis, & ſolidis medii æui ſæpe admodum deformibus nonnulla didicerunt curioſi, quid ni idem ex ſigillis ſperandum ſit, quæ & elegantiora multo, & magis perſpicua ſunt? Huius vero partis ſpicilegium tantis-per ipſi curioſo lectori relinquo, cui vt eo rectius ſigillis vti liceat, tabulas integras octodecim, ſelectis, quorum in opere mentio fit, ſigillis ornatas dedimus. Et hic quidem non ſine laude mihi prætereundus eſt frater germanus IO. GOTTL.

GOTTL. HEINECCIVS. I. V. D. & *in alma Friderici-ana hoc tempore Phil. Profeſſor ordinarius, Iuris extraord. & ordinis Iuridici Adſeſſor*, qui quum inſigni hiſtoriæ antiquæ æque ac mediæ notitia polleat, totusque tum in ſtudia elegantiora animo feratur, icones ſigillorum omnes magno & tædioſo labore delineauit. Quo nomine haut immerito publice hic ei grates perſoluimus, & vt rempublicam litterariam ſuis meletematibus curioſisſimis ornare pergat, hortamur.

Hæc ſunt, B. Lector, quæ Te volui. Hæc ſunt, quæ a me præſtita eſſe aſſeuerare poſſum. Cetera debes Viro ingenuo & ornandis litteris nato, *Nicolao Fœrſtero*, qui vt librorum præſtantiorum editione magnam ſibi gloriam peperit, ita & in hoc opere nulli pepercit ſumtui, vt quam emendatiſſime nitidisſimeque prodiret. Irrepſerunt quidem, me quippe abſente, ſphalmata nonnulla, quæ tamen a beneuolo Lectore facile deprehendi ac emendari poterunt. Vtere igitur his qualibuscunque, proxime vero *Vitam Chriſti, harmonice compoſitam & ex antiquitate & critica ſacra illuſtratam, & novo inſtituto ad demonſtrationem veritatis religionis chriſtianæ applicatam* aliaque vtiliora a nobis exſpecta

& Vale! Halæ Magdeburgicæ ipſis Idib. Aprilis

cIↃ. IↃcc. IX.

CON-

CONSPECTVS SINGVLORVM VTRIVSQVE PARTIS CAPITVM.

PARS PRIMA

DE NATVRA ET CONSTITVTIONE SIGILLORVM.

PRAEFATIO DE SCRIBENDI OCCASIONE ET TRACTATIONIS SCOPO.

PARTIS PRIMAE

CAPVT PRIMVM.

De Sigillorum auctoritate & fide.

I. *Sigillorum auctoritas inculcatur in legibus.*
II. *Vt & in diplomatibus.*
III. *An sufficiant sigilla ad probandum instrumenti γνησιότητα?*
IV. *Propter hanc auctoritatem veneratio sigillis exhibita.*
V. *Eorum adulteratores suppliciis affecti.*
VI. *Ipsa sigilla summorum virorum custodiæ demandata eorumque amissio capitalis fuit.*
VII. *Sigilla quoque ideo cum principibus sepulta & confracta in pompa funebri.*
IIX. *Fuerunt tamen, qui & suis sigillis fidem denegarent.*

CAPVT SECVNDVM.

Etymologia, Homonymia & Synonymia vocis Sigillum.

I. *Sigillum diminutivum vocis signum. Vox Sigilliolum ab Arnobio conficta.*
II. *Sigillum notat signum literis impressum, itemque parvum simulacrum. Sigillatæ vestes. Sigillaria festum servorum. Sigillarius.*
III. *Sigillum pro diplomate. Pro lapide sepulchris reliquiarum supposito.*
IV. *Moris hujus origo.*
V. *Pro cruce oblatis Eucharisticis impressa, omnique crucis signaculo accipitur.*
VI. *Signum idem aliquando ac sigillum; aliquando subscriptionem notat & monogramma.*
VII. *Signetum. Signaculum. Impressio.*
IIX. *Bulla.*
IX. *Secretum.*

CAPVT TERTIVM.

De gentibus, quibus sigilla in usu fuerunt.

I. *Sigillorum usus antiquissimus.*
II. *Et omnibus fere gentibus communis.*
III. *Hebræi sigillis usi.*
IV. *Num etiam imaginibus signarint?*
V. *Sigilla Ægyptiorum.*
VI. *Persarum.*
VII. *Cyrenensium.*
IIX. *Græcorum διπτύθεσα & sigilla.*
IX. *Sigilla Romanorum.*
X. *Constantinop. Cæsarum & Patriarcharum.*
XI. *Francorum.*
XII. *Germani an antiquitus sigillis usi?*
XIII. *Angli paulo serius signarunt. Maturius Wisigothi.*
XIV. *Sigilla Hungarorum & aliarum gentium.*
XV. *Turcæ, Persæ, Indi imaginibus non signarunt.*
XVI. *At tamen iis vtuntur Sinenses, Iapanenses, Æthiopes.*
XVII. *Conclusio capitis.*

CAPVT QVARTVM.

De materia in sigillis adhibita, & primo quidem de Bullis aureis.

I. *Principum literis merito ornamenta varia accedunt.*
II. *Hinc Cæsarum Byzant. diplomata encausto subscripta.*
III. *Diplomata aureis literis conscripta.*
IV. *Præcipuum ornamentum Bullæ aureæ, quarum origo euoluta.*
V. *Recensus aurearum Bullarum juxta Imp. Rom. Germ. seriem.*

VI. *An & exteri Reges auro signarint?*
VII. *Varia Bullarum aurearum quantitas.*
IIX. *Negotia, in quibus Bullarum aurearum vsus fuerit, recensentur.*

CAPVT QVINTVM.

De Bullis argenteis & plumbeis.

I. *Argentearum Bullarum vsus rarior. An & Latinis familiaris? sunt qui negant.*
II. *Alii affirmant. Varia earum exempla expenduntur.*
III. (1) *Bulla argentea Dagobertina.*
IV. (2) *Bulla argentea Ludovici Pii.*
V. (3) *Bulla Paderbornensis.*
VI. *Bullæ argenteæ in Occidente rariores, Episcopis tamen nonnunquam adhibitæ.*
VII. *Frequentiores apud Græcos & Orientales.*
IIX. *Bullæ plumbeæ vsitatissimæ.*
IX. *Apud Græcos.* 1) *Gallæ Placidiæ Bulla plumbea.* 2) *Testimonium de Bullis plumbeis CP.* 3) *Aliud ejusdem generis.* 4) *Bulla plumbea Balduini* II. 5) *Bulla Constantini.* 6) *Bullis plumbeis apud Græcos deinde viliores etiam signarunt.*
X. *Bullæ plumbeæ Imperat. & Regum Occident. Bullæ, quibus inscriptum: RENOVATIO REGNI FRANCORVM.* 1) *Sangenouefensis.* 2) *Patini.* 3) *Domini le Blanc.* 4) *Sangallensis.* 5) *aliæ aureæ. cui Carolo sint tribuendæ? Carolus Crassus an & cur Magnus dictus?*
XI. *An sint hæ Bullæ genuinæ?*
XII. *Etiam post Carolingos plumbo signarunt Impp.*
XIII. *Vt & alii Reges.*
XIV. *Nec non Duces Veneti, aliique Viri Principes.*
XV. *Bullæ plumbeæ Ciuitatum.*
XVI. *Bullæ Conciliorum.*
XVII. *Bullæ plumbeæ hodie Papis propriæ, quando inventæ?*
XIIX. *An plumbum humilitatis indicium? videntur Patriarchas CP. æmulati.*
XIX. *Episcoporum Bullæ plumbeæ.*
XX. *Bulla ænea.*

CAPVT SEXTVM.

De sigillis cereis eorumque vario colore vt & de cretaceis & de Maltha.

I. *Cera Principibus & priuatis communis.*
II. *Sigillorum cereorum colores diuersi.*
III. *Color luteus.*
IV. *Color candidus olim omnibus Principibus communis. Postea, quibusdam priuilegio concessus.*
V. *Sigilla rubra ab Impp. CP. initio adhibita.*
VI. *Postea Pontifices eadem signarunt breuia.*
VII. *Imperatores Occidentales rarius rubra cera vsi sunt. Ceteri Reges frequentius.*
IIX. *Viridis color recentior.*
IX. *Color niger recentissimus.*
X. *Sigilla mixta qualia? Seculares plerumque viridi, Clerici rubra cera signabant.*
XI. *An & cera cærulea locum in sigillis inuenerit?*
XII. *Sigilla cretacea vel lutea.*
XIII. *Maltha.*

CAPVT SEPTIMVM.

De sigillorum figura & diuersa quantitate.

I. *Figura sigillorum varia.*
II. *Merovingi orbicularia adhibuere. Carolingi oualia & postea rotunda. Oualia etiam post illud tempus vsurpata.*
III. *Sigilla parabolica oblonga quando inuenta.*
IV. *An sigillum Alberti Brem. Archiep. ap. Lambecium sit genuinum.*
V. *Sigilla triangularia.*
VI. *Sigilla quadrata.*
VII. *Sigilla trifolio similia.*
IIX. *Sigilla caua.*
IX. *Quantitas sigillorum varia.*

CAPVT OCTAVVM.

De imaginibus & inscriptionibus sigillorum in genere.

I. *Spectanda potissimum sigilla Christianorum.*
II. *Christianis Gentilium Mythologia sorduit etiam in sigillis.*
III. *Sigilla Pipini cum Bacchi, & Caroli M. cum Serapidis capite suspecta.*
IV. *Notantur nonnulli hac in re κακόζηλοι.*
V. *Sigilla medii ævi simplicissima.*
VI. *Carolingorum sigilla elegantiora. Artes enim Carolino ævo renascuntur.*
VII. *Elegantiora etiam sigilla Salicorum ob eandem rationem.*
IIX. *Inscriptiones plerumque Latinæ.*
IX. *Eæque ordiuntur fere a Cruce, quemadmodum & ipsæ chartæ & subscriptiones.*
X. *Quid hæ cruces notent?*
XI. *Cruces e subscriptionibus in sigilla transiere.*
XII. *Nomen sine prolixo titulo scriptum.*
XIII. *Formulæ,* Dei gratia, *origo.*
XIV. *Origo formulæ:* Dei & Apostolicæ sedis gratia. *Formulæ:* Dei & Imperiali gratia.

XV. Pro-

XV. Provinciæ Titulis ſerio adſcriptæ. Epiſcoporum modeſtia.
XVI. Inſcriptiones ſecundariæ, quibus figuræ explicantur.
XVII. Sigilla inſcriptione carentia.
XIIX. Concluſio capitis.

CAPVT NONVM.

De imaginibus & inſcriptionibus, quæ in Cæſarum Regumque Romanorum ut & Imperatricum ſigillis occurrunt.

I. Iam de ſigillis Impp. agendum.
II. Sigilla Impp. veterum. Iulii Cæſaris. Auguſti. Succeſſorum. Neronis Galbæ. Commodi.
III. Sigilla Imperatorum recentiorum quid exhibeant?
IV. Sigilla Maieſtatis qualia?
V. Sigilla ſecreta.
VI. Quid in ſigillis ſecretis exhibeatur?
VII. Hoc diſcrimen quando cœperit obſeruari?
IIX. Bullarum aurearum plumbearumque characteres.
IX. Sigilla Caroli M.
X. 1) Osnabrugenſe.
XI. 2) Tria Mabilloniana.
XII. 3) Sanmaximinianum Treverenſe.
XIII. 4) Bulla Domini le Blanc.
XIV. Characteres ſigillorum Carolinorum.
XV. Formula XPE protege.
XVI. Quænam Caroli ſigilla ſint genuina? An Carolus barbam aluerit? Sigilla, quæ Carolum barbatum exhibent, ſunt genuina cæteris paribus.
XVII. Quid de ſigillo Sanmaximiniano ſentiendum?
XVIII. Sigilla Hludovici pii.
1) Paderbornenſe. 2) Baluzianum. 3) Duo Mabilloniana. 4) Corbeienſe. 5) Lindauienſe.
XIX. 6) Lindenbrogianum. 7) Bulla aurea Mabilloniana. 8) ſigillum Zylleſianum.
XX. Characteres ſigillorum Ludouici Pii.
XXI. Sceptrum Triumphale & Conſulare in ſigillis.
XXII. Globus cruciger.
XXIII. Sigilla Lotharii I. Imp. *Aliudque* Lotharii Regis.
XXIV. Sigilla Ludovici Germanici.
1) Conringianum. 2) Conringianum.
XXV. Characteres ſigillorum Ludovici Germanici.
XXVI. Sigilla Caroli Calui.
1) Baluziana. 2) Mabilloniana.
XXVII. Sigilla Caroli Craſſi.
XXIIX. Sigillum Arnolfi *Corbeienſe.*
XXIX. Sigillum Conradi I. *Corbeienſe.*
XXX. Sigillum Henrici Aucupis *Corbeienſe.*
XXXI. Quid ſibi velit clypeus & umbella?
XXXII. Sigilla Ottonis M. *1) Sagittarii. 2) Zylleſii. 3) Corbeienſe. 4) aliud ineditum. Cum binis diplomatibus. 5) Zylleſianum Ottonis iam Imperatoris.*
XXXIII. Ottonis II. ſigilla.
XXXIV. Ottonis III. ſigilla. 1) Knautianum.
XXXV. Corona in illo obvia.
XXXVI. 2) Aureum Mabillonianum. 3) Plumbeum Io. de Amelio. 4) Plumbeum Mabillonianum.
XXXVII. Quid ſibi velit in Impp. ſigillis AVREA ROMA? obſeruat. 1. 2. 3. 4. 5. 6.
XXXVIII. Henrici II. Sigilla. *1) Corbeienſe. 2) Zylleſianum. Cum diplomate Henrici II.*
XXXIX. Sigilla Conradi Saliqui. *1) Maderianum. 2) Tenzelianum. Quid ſibi velit flos in ſiniſtra Regis? Non florem, ſed ſceptrum notat. Geſtamen dextræ non ſceptrum, ſed baculus eſt. Baculus regalis qualis?*
XL. 3) Knautianum plumbeum.
XLI. Sigilla Henrici III. *1) Vltrajectenſe aureum. 2) Treverenſe. 3) Maderianum. 4) Tenzelianum. 5) Secretum Henrici III.*
XLII. Sigilla Henrici IV. *1) Knautianum. 2) Zylleſianum. 3) Aliud ineditum.*
XLIII. 4) Bulla Bruſchiana.
XLIV. Sigilla Henrici V. *1) Grauhoffiana. 2) Zylleſianum.*
XLV. Sigilla Lotharii II. *1) Meibomianum. 2) Richenbergenſe.*
XLVI. Quæſtiones nonnullæ hiſtoricæ. 1) Cur Lotharius ſe vocet Regem III? Cur Imperatorem III?
XLVII. 2) Quid ſibi velint globi e corona pendentes?
Excurſus de tintinnabulis veſtibus olim potentum appenſis.
XLIIX. Sigilla Conradi III. *1) Knautianum. 2) Goslarienſe ineditum.*
XLIX. Cur Conradus III. ſe vocet Secundum.
L. Sigilla Friderici I.
1) Bulla aurea Mabilloniana.
2) Cereum Lehmannianum.
3) Zylleſianum.
4) Alia duo inedita.
LI. Monogrammata in ſigillis & numis apparent.
LII. Sigilla Philippi & Ottonis IV.
LIII. Quæſtiones nonnullæ mouentur.
1) Cur Otto IV. loco ſceptri utatur cruce?

LIV. 2) Quid sibi velint sol & luna in hoc sigillo.
LV. 3) Quis Imperatorum se primus vocarit semper Augustum?
LVI. Sigilla Friderici I.
1) Kirchmannianum aureum.
2) Mabillonianum aureum.
3) Gelenianum cereum.
4) Weckianum. 5) Aliud ineditum.
LVII. sigilla sequentium Imperatorum.
LIIX. Bina Henrici VII.
LIX. Conradi IV. *sigillum.*
LX. Wilhelmi Cæs. *sigillum.*
LXI. Rudolphi Habspurgici *sigillum.*
LXII. Henrici VII. *sigillum.*
LXIII. Ludovici IV. *1) Bulla aurea Kirchmanniana. 2) Cereum Leibnitianum sigillum. 3) Aliud a Pontifice descriptum.*
LXIV. Caroli IV. *sigilla. 1) Bulla aurea. 2) Cereum ineditum.*
LXV. Sigismundi *sigilla.*
LXVI. Friderici IV. sigilla.
LXVII. Quæstiones nonnullæ.
LXVIII. 1) Quid sibi velint versiculi:
Aquila Ezechielis Sponsæ missa &c.
LXIX. 2) Quid literæ A. E. I. O. V. in Fridericianis sigillis notent?
LXX. 3) Quando demum apud Germanos inualuerit aquila biceps?
LXXI. De sigillis Orientalium Impp.
LXXII. Balduini *Comitis Flandriæ Imp. Orient. aurea Bulla.*
LXXIII. Bulla ænea Alexandri.
LXXIV. Sigilla Augustarum Reginarumque.

CAPVT DECIMVM.

De sigillis Regum, Ducum, Principum & Comitum.

I. De sigillis Regum pauca dici possunt.
II. Antiquissima sunt Merouingica.
III. 1) Aureus Childerici I. annulus.
IV. Reges hastis usi sunt. Hasta non idem gestamen cum sceptro & baculo.
V. Characteres quidam sigillorum Meroving. 2) Sigillum Theoderici. 3) Chlodovei III. 4. Childeberti III. 5) Chilperici II. 6) Childerici III.
VI. 7) Sigilla Dagobertina suspecta.
VII. 8) Sigilla Dagobertina spuria. 9) Vt & Theuderici II.
IIX. Sigilla Regum Franc. stirpis secundæ. 1) Pipini.
IX. 2) Carolomanni.
X. 3) Odonis. 4) aliorum.
XI. Sigillum S. Ludouici.
XII. Sigilla Regum Exterorum.
XIII. Sigilla Regum Orientalium. 1) Russorum.
XIV. 2) Saracenorum & Barbarorum.
XV. Quando Principes diplomata signare cœperint?
XVI. Sigilla antiquissima Principum.
XVII. Sunt simplicissima.
XVIII. Quid sibi velit in nonnullis titulus Marchisi?
XIX. Sceptrum & Corona an inter insignia Principum?
XX. Quid notet strictus ensis in sigillis?
XXI. Sigilla Principum equestria initio simplicissima.
XXII. Mox ornamentis variis conspicua.
XXIII. Cimeria in galeis & scuta gentilitia.
XXIV. Ornamenta alia.
XXV. Sigilla Principum Iuuentutis equestria.
XXVI. Quæstiones nonnullæ propositæ.
XXVII. 1) Cur Principes equitantes se sistant?
XXIIX. 2) Cur vexillum gestent?
XXIX. Vexillorum antiquorum forma.
XXX. 3) Quando scuta gentilitia sigillis insculpi cœperint?
XXXI. Quid sibi velint canes, aves, flores, &c. in sigillis Principum?
XXXII. Principes etiam nonnunquam stantes in sigillis exhibentur.
XXXIII. Quid significent turres in sigillis Principum?
XXXIV. Sigilla Principum cum solis scutis gentilitiis.
XXXV. Varia horum sigillorum genera.
XXXVI. Inscriptiones in sigillis Principum.
XXXVII. Sigilla Principum fœminarum.
XXXIIX. Obseruationes nonnullæ de harum sigillis.

CAPVT VNDECIMVM.

De sigillis Nobilium & Ciuitatum.

I. Nobilium alii Milites, alii Famuli Illi se ipsi vocarunt Dominos.
II. Nobiles sigilla sero adhibuere. Ea qualia fuerint?
III. Sigillum Hildebrandi de Goslaria expenditur.
IV. Sigilla ciuitatum varia.
V. Turres & Divi tutelares in sigillis civitatum.
VI. Sigillum civitatis Leodiensis recentius esse probatur contra Baronium.
VII. Aliæ ciuitates in sigillis ad nomen alluserе.
VIII. Sigilla ciuitatum Rhenanarum.
IX. Ciuitates multæ insignia Principum suorum imitantur.

X. *Sigilla ciuitatum ſecreta.*
XI. *Sigilla diuerſorum unius ciuitatis Weichbildorum.*
XII. *Treiberi ſchediaſma de ciuitatum ſigillis.*
XIII. *Sigilla priuatorum.*

CAPVT DVODECIMVM

De ſigillis Pontificum, Conciliorum & Cardinalium.

I. *Sigilla Pontificum triplicia.*
II. *Pontifices primo ſolum nomen Bullæ inſcripſerunt.*
III. *Leo IX. & antiquas Bullas retinuit & nouas inuenit. Victor II. ſua imagine ſignauit.*
IV. *Poſtea SS. Petri & Pauli capita conſtanter Bullis impreſſa. A quo id primum factum?*
V. *Cur S. Paulus ad dextram, S. Petrus ad ſiniſtram collocetur?*
VI. *Bullæ Græcis literis inſcriptæ.*
VII. *Bullæ Papales ſubinde mutatæ.*
VIII. *Annulus Piſcatoris.*
IX. *Pontifex nondum coronatus Bulla dimidia utitur.*
X. *Bullæ Conciliorum.*
XI. *Sigilla Conſiſtorialia.*
XII. *Sigilla Cardinalium.*
XIII. *Sigilla indulgentiis Tezelianis appenſa.*

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De ſigillis Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Magiſtrorum Domus Teuton.

I. *Sigilla Epiſcopalia Epiſcoporum icones ſiſtunt.*
II. *Bullæ Epiſcoporum plumbeæ quales?*
III. *Sigilla Epiſcop. cerea rotunda qualia?*
IV. *Mitræ Epiſcopales olim humiliores.*
V. *Peda Epiſcopalia breviora.*
VI. *Cathedræ Epiſcopales quales in ſigillis obſerventur?*
VII. *Formula, PAX VOBISCVM, cur Epiſcoporum libris inſcripta?*
IIX. *Epiſcopi etiam nonnunquam ſtantes exhibentur.*
IX. *Inſignia Eccleſiarum & familiarum ſigillis Epiſcopalibus inſculpta.*
X. *Sigilla Epiſcoporum minora.*
XI. *Sigilla Epiſcoporum Angliæ.*
XII. *Sigilla Magiſtrorum Ordin. Teuton.*

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

De Sigillis Eccleſiarum, Monaſteriorum, Abbatum, Præpoſitorum, Decanorum.

I. *Sancti tutelares in ſigillis eccleſiarum.*
Fundatorum memoria in ſigillis conſeruata.
Societatis Kalendariorum.
II. *Sigilla Præpoſitorum & Decanorum eccleſiarum cathedr.*
III. *Sigilla Generalium & Prouincialium.*
IV. *Sigilla Abbatum.*
V. *Abbates etiam tutelares eccleſiæ ſuæ Sigillis inſculpſere.*
VI. *Sigilla Abbatiſſarum.*
VII. *Sigilla aliorum Presbyterorum & Clericorum*
VIII. *Quæſtiones nonnullæ.*
IX. *Quid in ſigillis eccleſiarum flores notent?*
X. *Varia ſigna & ſymbola Sanctorum imaginibus adjecta. 1) Nimbi.*
XI. *2) Palmæ.*
XII. *3) Homines Sanctis ſupplicantes.*
XIII. *4) Libri Sanctis tribuuntur.*
XIV. *5) Stellæ Sanctorum imaginibus additæ.*
XV. *6) Vt & Angelorum capita. Cur illa B. Mariæ præcipue adjiciantur?*

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

De ſigillis ſecretis & contraſigillis.

I. *Secreta modo ſeorſim appenſa, modo ſigillorum tergo impreſſa.*
II. *Contraſigillorum uſus & antiquitas.*
III. *Cacheta.*
IV. *Secretorum uſus & antiquitas*
V. *Imagines ſecretis inſculptæ.*
VI. *Secreta Cæſarum, Principum, Epiſcoporum.*
VII. *Secretorum inſcriptiones.*

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

De modo ſigilla imprimendi atque appendendi.

I. *Sigilla vel membranis innexa vel appenſa.*
II. *Modus ſigilla innectendi.*
III. *Loca ſigillorum innexorum in diplomatibus.*
IV. *Quando ſigilla appendi conſueuerint per Germaniam?*
V. *Extra Germaniam hoc citius factum eſt.*
VI. *Fila, ex quibus ſigilla dependent Pontificum Rom.*
VII. *Fila ceterorum Principum.*
IIX. *Fila membranacea.*
IX. *Terga ſigillorum.*
Bina ſigilla ex eodem filo dependentia.
X. *Sigilla papyro ſuperfuſa.*
XI. *Teſtamenta lino conſtricta ſignabantur.*

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

De variis fraudibus ac impoſturis in re ſigillaria commiſſis.

I. *Multa ſigilla ſunt ſuppoſititia.*

II. Quot modis hoc factum?
III. Falsa sigilla falsis diplomatibus adiecta.
IV. Falsa sigilla veris diplomatibus adiecta.
V. Vera ac genuina sigilla falsis diplomatibus adiecta.
VI. Hoc exemplis illustratur.
VII. Membrana diplomatum incisa, ac si sigilla adfuissent.
VIII. Sigilla in auersa membranæ facie.
IX. Sigilla penitus inuersa.
X. Regulæ de discernendis sigillis suppositiis.
XI. Conclusio Partis I.

PARS SECVNDA.

DE VSV ET PRAESTANTIA SIGILLORVM.

CAPVT PRIMVM.

Collatio sigillorum cum numismatibus.

I. Numi sigilla superant antiquitate, copia, diuturnitate.
II. Sigilla historiam medii ævi magis quam numi illustrant.
III. Sigillorum quam numorum γνησιότης certior est.
IV. Chronologia sigillorum quam numorum certior est.
V. Sigilla numis mediæ ætatis sunt elegantiora.
VI. Inscriptiones Sigillorum magis perspicuæ quam numorum.
VII. Hæc sequentia magis illustrabunt.

CAPVT SECVNDVM.

De usu sigillorum grammatico & critico.

I. Sigilla Grammaticæ Criticæque studiosis prosunt.
II. Docent, quæ singulis seculis fuerit forma literarum.
III. Observationes nonnullæ de forma literarum.
IV. Observationes nonnullæ de Diphthongis.
V. Obseruationes de Abbreuiaturis.
VI. Obseruationes de interpunctionibus.
VII. Obseruationes de Orthographia.
IIX. E Sigillis genuina nomina propria restituenda.

CAPVT TERTIVM.

De usu sigillorum historico.

I. Historia e numis adhuc egregie illustrata est.
II. At numi historiam antiquam tantum illustrant, Sigilla etiam mediam.
III. Historia Sanctorum e sigillis illustratur.
IV. Ecclesiæ facies etiam e sigillis elucet.
V. Ecclesiarum origines e sigillis discuntur. Vt & conversiones Gentium.
VI. Civilem historiam e sigillis illustrari testimoniis docetur.
VII. Vsus sigillorum in genealogia patet ex inscriptionibus.
IIX. Idem usus se prodit in scutis gentilitiis.
IX. Historia Principum e sigillis illustrata.
X. Sigilla docent prouinciarum inter fratres diuisionem.
Obseruatio de titulis antiquorum.
XI. Vsus sigillorum in studio antiquitatum.
XII. Ritus quidam sacri in sigillis exhibiti.
Obseruatio de mitra Episcopali.
XIII. Obseruationes de barba Clericorum.
XIV. Arma varia in sigillis exhibita.
Veluti vexilla.
Obseruationes de Gonfanonibus.
XV. Obseruationes de gladiis & calcaribus.
XVI. Obseruationes de clypeis.
XVII. Obseruationes de thoracibus & loricis.
XIIX. Obseruationes de chirothecis & ocreis.
XIX. Obseruationes de ornamentis equorum apud veteres.
Antiqui sine freno, stapiis & ephippiis equitarunt.
Equi vestiti.
XX. Res vestiaria medii æui e sigillis petenda.
Obseruationes de tunicis longioribus.
Coronarum forma varia in sigillis spectatur. Vt & pileorum.
Obseruationes de capillis & barbis.
Obseruationes de palliis.
Obseruationes de habitu illustrium fœminarum.
XXI. Sigilla num etiam Architecto prosint?
XXII. Vtensilia in sigillis obuia.
XXIII. Effigies summorum virorum ad virtutem inflammant.
XXIV. Num sigilla Principum vultus exacte referant.

CAPVT QVARTVM.

De usu sigillorum heraldico.

I. Vsum etiam sigilla præstant in politicis & moralibus.
II. Sed maxime in Heraldica.
III. Sigilla docent scutorum gentilitiorum originem.
Scuta antiqua gyronata & striis distincta non sunt tesseræ gentiles.
IV. Insignia quando inualuerint?
V. Insignium partes in sigillis perspicue conspiciuntur.
VI. Vnde cimeria in insignibus nata?
VII. Amplius de hac materia disputatur.
VIII. Fasciarum in scutis gentilitiis origo.
IX. Atlantum origo.
X. Emblemata insignium e sigillis sæpe restituenda.
XI. Insignium tota historia e sigillis petenda.
XII. Conclusio tractationis.

DE

DE

VETERIBVS GERMANORVM ALIARVMQVE NATIONVM SIGILLIS

EORVMQVE VSV ET PRAESTANTIA, SYNTAGMA HISTORICVM.

VUm ita ferret ſtudiorum meorum ratio, vt omnis generis monimenta ac diplomata, in variarum eccleſiarum ac cœnobiorum tabulariis ſeruata, paullo adcuratius perluſtrarem: tam benigno fato oblatam ſigilla quam plurima colligendi occaſionem minime prætermittendam exiſtimaui. Hinc ſtatim cogitare mecum cœpi, poſſitne iniri ratio, cereorum eiusmodi ſigillorum ectypa formandi, compendioſor ea, qua adhuc fueram vſus, lineari nimirum pictura, quæ ſicut tædioſa admodum erat & tarda, ita vel eo nomine mihi minus ſatisfacere videbatur, quod animaduerteram, fugientes deletarum prope imaginum litterarumque apices in tanta feſtinatione facile pingentis curioſos quamuis oculos fallere pariter & præterlabi. Noueram equidem, veteris æui impoſtoribus faſariisque in promtu fuiſſe ſigillorum ectypa conficiendi artificium. Autorem enim habeo Otonem Friſingenſem, (a) legatos Manuelis, Græcorum Imperatoris, ad Fridericum I. Cæſaren miſſos, tale quid commiſiſſe, *literasque quasdam* SIGILLO FRIDERICI *clauſas per* SVRREPTIONEM *accepiſſe.* Id quod hunc in modum explicat Guntherus in Ligurino (b):

Nam qui prædicti mandata prioris tyranni
Auſonias vrbes Ethruſcaque rura tenenti
Attulerant, Friderice, tibi, gentilibus vſi
Fraudibus, IMPRESSAS FALSO SVB NOMINI REGIS,
Mendaces chartas ſibi confecere SIGILLO.

Nec ignorabam, a doctiſſimo Mabillonio (c) non modo nouem recenſeri modos, quibus pontificum ſigilla placari poſſint, verum etiam inſuper enarrari donicellæ cujusdam facinus, *quæ falſis litteris in gratiam Roberti de Atrebato aduerſus Burgundiæ Ducem confictis, comprehenſa,*

(a) OTTO FRISING. *lib. 2. de geſt. Frider. I. Imp. c. 29. p. 471.* (b) GUNTHER. *in Ligur. lib. 5. p. 356.* (c) MABILLON. *lib. 2. c. 14. §. 14. p. 131. de re dipl.*

benſa, falſitatem a ſe factam recognoverit, & MODVM FACIENDI AC PLACANDI SIGILLI *coram rege oſtenderit, flammisque ideo ſit tradita.*(d) Verum enim vero omnes iſtæ rationes placandi ſigilla, vel cum infeliciſſimis auctoribus exſpirarunt, vel vitio quodam laborant, vel denique ad pontificum tantum bullas plumbeas ſpectant, in cereis ſigillis locum vix habituræ. Hinc alia ex aliis cogitanti, opportune demum mihi in mentem venit maſſa farinacea, quam ob mollitiem qualicunque ſoliditati ſigillorum facile ceſſuram, ſculpturasque omnes ſine vllo periculo ſigillorum admiſſuram ſuſpicabar. Periculum igitur feci, ſigillique cuiusdam facie maſſæ depſiticiæ & probe ſubactæ impreſſa, & ectypon ſigilli numeris omnibus abſolutum deprehendi, & ipſum ſigillum nulla ſui parte vitium cepiſſe inueni. Hinc ceram liquefactam maſſæ infudi, & aeri frigidiori expoſui, donec indureſceret, maſſamque deinde facili negotio ſeparaui a cera, quam ſigillum tam adcurate referre deprehendi, vt ouum ouo non poſſit eſſe ſimilius. Hoc inuento, dici vix poteſt, quantum operæ temporisque fecerim compendium, quantamque mihi laboris partem detraxerim. Vnius ſane diei interuallo ſæpius quinquaginta aut ſexaginta ſigillorum præſtantiſſimorum ectypa domum retuli, tantamque interiecto tempore collegi copiam, quantam, absque hoc ſi fuiſſem, ne ſperare quidem licuiſſet. Quæ quum ita ſint, putaui me facturum operæ pretium, ſi horas quasdam ſubceſiuas ſigillorum explicationi tribuerem, certiſſime quippe perſuaſus, non multo minorem me inde fructum relaturum, quam alios, quibus numos Germanorum bracteatos explicare curæ fuit, hoc eſt, maximum operaque dignum.

Huic rei intentus, feci, quod ſolent, qui eiusmodi negotium adgrediuntur, omnesque, quos huc facere putaueram, ſcriptores euolui. Verum, qui de huius vel illius familiæ ſigillis egerint, vel hiſtorias ſuas ſigillis illuſtrarint, perpaucos; qui omnem materiam exhauſerit, inueni prorſus neminem. Exſtat quidem Theodori Hopingkii *Tractatus Practicus de Sigillorum priſco & nouo iure*, Norimbergæ Anno 1642. in forma 4. editus, ſed ſtatim ex titulo liquet, non idem illi, quod mihi fuiſſe propoſitum. Præmiſſa enim breui de Sigillis tractatione, quam ex Gorlæo & Kirchmanno maximam partem exſcripſit, leges ad rem ſigillarem pertinentes euoluit, ex iisque deinde ICtorum more varias nectit Concluſiones, Definitiones, varia item Axiomata iuris, aliaque in foro vſum habitura. Magis ad inſtitutum noſtrum ſpectant Mabillonii obſeruationes, quas *Libro II. de Re Diplomatica*, vt & in eiusdem operis Supplemento cum eruditis communicauit. Attamen nec illum rem omnem exhauſiſſe, ſed in Francicis fere Antiquitatibus ſubſtitiſſe, palam eſt. Promiſerat etiam iamdudum in Diario Pariſienſi (*dans le journal des ſçavans*) Dominus le Blanc, ſe Regum Francorum ſigilla iuſto tractatu explicaturum, quo opere de tota re ſigillari procul dubio præclare fuiſſet meritus, ſed auctore Carolo du Freſne, ſententiam ſe mutaſſe, ipſe fatetur in præfatione tractatus *de Monetis Franciæ*. Nec ſcio, an ex eotempore promiſſis vnquam ſteterit. Minime omnium vero ſcopum noſtrum attingit, nedum, quod amico viſum eſt, ferias calamo indicit Cl. Ioannes Nicolai, Antiquitatum in academia Tubingenſi Profeſſor celeberrimus, amicus noſter certiſſimus, & commiles quondam in academia Gieſſenſi ſuauiſſimus, edito Lugduni Batauorum anno 1706. tractatu *de Siglis veterum*. Omnibus enim, qui elegantioris doctrinæ ſacris initiantur, notum eſſe poterit, tantundem inter tractationes de ſiglis & de ſigillis, quantum inter ipſas ſiglas & ſigilla intereſſe. Miratus itaque, in tanta litterarum luce nullum adhuc litteratorum hominum rempublicam noua hac, eaque perutili, re locupletare auſum eſſe, quum nihil fere noſtris his temporibus intentatum reliquerit humana diligentia: cœpi mecum agitare, facturusne ſim operæ pretium, ſi quæ mihi in his ſtudiis verſanti obſeruare contigit, cum aliis quoque communicarem, viamque veluti munirem iis, qui forte vberioribus inſtructi ſubſidiis, ipſum hunc campum, ſane ampliſſimum, ingredi, ſuamque exercere induſtriam aliquando ſtatuerint. Atque inde hæc, quam vides, mihi nata tractatio eſt, quam horis ſubceſiuis cum cura collectam, emum e ſchedis in ordinem redigere, multisque obſeruationibus hiſtoricis illuſtrare cœpi, prum ſollicitus, famæne & exiſtimationi meæ, an otio conſuluerim minus.

Tractationis huius ſcopus.

AMpliſſimam atque ubrrimam eſſe eam, in qua verſor, tractationem, nemo, credo, antiquita-

(d) MABILLON. *lib. 1. cap6. §. 6. p. 25. de R. D.*

quitatum paullo gnarior inficias ibit. Quod ſi enim in tanta eorum turba, qui antiquos æque ac recentiores numos explicarunt, quorum ſane ſcripta iuſtam bibliothecam conſtituunt, ſubinde inueniuntur, qui curis poſterioribus maiorum cogitata augeant pariter ac illuſtrent; quid mihi ſperandum erit, viam ingredienti, tam paucorum adhuc notatam veſtigiis, tam longinquam, tam multis denique flexibus ac diuerticulis diſtinctam?

Quare ne temerario nautæ videar ſimilis, qui velis & clauo deſtitutus portu ſoluere, cymbamque, vado magis, quam alto adſuetam, ventorum cœlique iniuriis committere audeat: faciendum mihi ſtatim ab initio putaui, ut mens conſiliumque meum omnibus innoteſcat. Quamobrem obſeruari hic velim,

I. Non mihi eſſe propoſitum, in antiquiſſima deſcendere tempora, omnesque ſigillorum atque annulorum ſignatoriorum, quorum vſus inprimis apud Græcos & Romanos inoleuerat, antiquitates euoluere. Dudum enim id præſtiterunt celeberrimi critici, & limatiſſimæ ea de re exſtant Gorlaei, Leonardi Auguſtini Liceti, Georgii Longii, Chiffletii, Sponii, Begeri, Kirchmanni aliorumque complurium lucubrationes, qui de annulis, gemmis vetuſtis, gemmis magicis & Baſilidianis ceterisque huius generis rebus accurate inprimis ac diligenter commentati ſunt: ad quorum meſſem præcipue inſigne ſpicilegium adieciſſe videtur Gronouius, iterum edita, multisque locis locupletata Gorlaei (e) Dactyliotheca, in qua hæc omnia haut parca manu ſeruntur. Hæc quum proprie, ad rem ſigillarem, (liceat mihi ita loqui) non pertineant, & maiora requirant ſubſidia, aliis, quibus id viſum fuerit, perpolienda relinquimus.

II. Multo minus expectandum erit Lectori, vt vſitatum apud veteres quasuis gentes imprimendi ſigilla modum prolixe edoceam. Pauca erunt, quæ de his rebus inſerta reperiet. Hæc enim iis relinquenda putaui, qui hiſtoriam antiquiſſimam ſibi ſumunt excolendam, atque adeo omnium gentium ritus atque antiquitates euoluere animum inducunt. Nec

III. ad nouiſſima tempora ire iuuat. Ea enim, quæ de nouis ſigillis obſeruanda ſunt, rectius apud Iureconſultos, quam in hac opella, requires. Mihi in patriis præcipue rebus, mediique æui antiquitatibus iam occupato, chartæ conſulendum eſt & otio, nec vacat aliorum hic lucubrationes expilare.

IV. Reliquum igitur eſt, vt in media ætate, quam ab inclinato Romano imperio ordior, ſubſiſtam, atque adeo ſigilla Francorum, Germanorum, aliorumque, tunc ad imperia adſpirantium populorum conſideranda ſumam, ita tamen, vt non tam accuratam ſigillorum Regiorum ſeriem, quod numiſmatum plerumque editores faciunt, ſuppeditem, quam eorum naturam, hiſtoriam, præſtantiam atque totius rei vſum exponam, alio forte loco plura huius generis præſtiturus. Porro

V. Tractationis huius duæ erunt partes: In priore ſigillorum antiquitatem, vſum, materiam, formas, inſcriptiones, differentias, impreſſionem appenſionemque proponam, & quid in Pontificum, Cæſarum, Regum, Epiſcoporum, Ducum, Comitum, Eccleſiarum, Ciuitatumque ſigillis præcipue obſeruandum ſit, edocebo. Deinde in ſecunda ipſam vtilitatem, quæ ex antiquis ſigillis ad varias ſcientias poſſit redundare, expendam ſingulatim atque exemplis illuſtrabo. His denique ſubiuncta Appendix, ſyllogen continebit ſelectorum ſigillorum, æri inciſorum, quorum quidem in ipſa tractatione mentio facta eſt.

PARTIS I.

CAPVT PRIMVM.

DE SIGILLORVM AVCTORITATE ET FIDE.

I. *Sigillorum auctoritas inculcatur in legibus.*
II. *Vt & in diplomatibus.*
III. *An ſufficiant ſigilla ad probandam Inſtrumenti γνησιότητα?*
IV. *Propter hanc auctoritatem veneratio ſigillis exhibita.*
V. *Eorum adulteratores ſuppliciis affecti.*
VI. *Ipſa ſigilla ſummorum virorum cuſtodiæ demandata.*

(e) *Vid.* TENZEL. *dial. menſtr. anno 1696. p. 132, p. 554. ſequ.*

demandata, eorumque amissio capitalis fuit.

VII. Sigilla quoque ideo cum Principibus sepulta, & confracta in pompa funebri.

VIII. Fuerunt tamen, qui & suis sigillis fidem denegarent.

I.

SIGILLORVM AVCTORITAS

IAm inde ab eo tempore, ex quo primum sigillorum vsus inter homines inualuit, tanta fuit semper eorum auctoritas, ut & litterarum diplomatumque fides eorum integritate æstimari vulgo soleat. Ita enim in animum induxerunt maiores, viri dexterrimi, non ita facile malis artibus locum esse in eiusmodi instrumentis, quæ ab impresso tali signo pondus pariter & robur accepissent. Hinc iam olim Cæsarum legibus præclare cautum fuit, ne solenniores chartæ, signis destitutæ, ratæ existimarentur. Spectat huc lex illa Theodosii & Valent. (a) *Finem autem testamenti subscriptiones &* SIGNACVLA *testium esse decernimus: non subscriptum autem a testibus ac* NON SIGNATVM *testamentum pro infecto haberi convenit.* Id quod deinde ad alia quoque instrumenta ac diplomata extensum est, adeo vt ICtis (b) vulgo *Literæ non dicantur expeditæ, nisi sint* PLVMBATÆ, quemadmodum pluribus edocuit Hopinkius (c) cujus luculentus de iure sigillorum tractatus extat. Quibus nos addimus elegantissimum locum Sigismundi Imperatoris: (d) Man soll wissen, daß in geistlichen und weltlichen Stand alle Dinge bestättiget und befestiget sind mit dem INSIGEL, und es bezeichnet auch alle Wahrheit, wenn ein Sach verbrieft ist, so soll es bestättiget werden mit dem Zeichen der Wahrheit, das ist das INSIGEL. Brieff und SIGEL sind bey Eiden erkennt, darum sie auch bestehen sollen.

INCVLCATVR IN LEGIBVS,

VT ET IN DIPLOMATIBVS.

II. Quamobrem & omnibus ferme publica instrumenta edentibus id solemne fuisse animaduertimus, vt sigilla se maioris fidei atque ponderis causa litteris adiecisse faterentur. Hinc formulæ: *Non abs re visum est, vt huius formæ institutio inconcussa & irrecisa maneat,* SIGILLI IMPRESSIONE *rem stabiliter roborare. Ne prædictos quisquam deinceps inquietare, molestare, perturbare præsumat, præsentis paginæ conscriptione ac* SIGILLI *mei* IMPRESSIONE *eas in perpetuum communiui. Ad perpetuam huius largitionis confirmationem præsentis paginæ testimonium* SIGILLI *mei* IMPRESSIONE *fideliter communiui.* Et si qua sunt alia. Nullum enim temere post Merouingorum Franciæ Regum ætatem reperias diploma, quod non annexi sigilli auctoritatem singulari quodam elogio inculcet. Eadem de causa crediderunt, eo majoris ponderis fore diplomata, quo plura sigilla annecterentur. Hinc sæpius uni diplomati viginti sigilla appensa reperio. Imo concilii Constantiensis patribus, anno M CCCC XV. d. XXX. Decembr. oblata est querula epistola Bohemorum, CCCL sigillis munita, (e) cui haut scio an parem in omni historia inveniamus.

AN SVFFICIAT AD PROBANDAM DIPLOMATIS ΓΝΗΣΙΟΤΗΤΑ?

III. Verum enim vero, quemadmodum nulla res est tam prouide inuenta, quam non impostorum ac male feriatorum hominum artes conuellere annitantur: ita fit, ut a sigillo non semper diploma petere præsidium auctoritatemque possit. Venuste admodum & urbane Seneca (f) hominum perstringit stuporem, *qui* ANNVLIS *plus, quam animis credere malint,* vocatque *turpem humano generi fraudis ac nequitiæ publicæ confessionem.* Atque adeo ea potius firma ac nullo dolo malo labefactanda pacta iudicat Seneca, quæ remotis eiusmodi testimoniis sola hominum incorrupta fide nitantur. At vero quum dudum eam dira habendi cupido e terris fugarit: id quidem optare, quam sperare est facilius. Interea negare non ausim, sigilla non omnino omnem a diplomatibus νοθεύσεως suspicionem depellere posse. Magno ingenio id nuper contra Mabillonium demonstratum iuit doctissimus e Societate Iesu P. Bartholomæus Germon (g), edita *Disceptatione de veteribus Regum Francorum diplomatibus*, vbi sigilla non iudicat tanti esse, ut eorum causa diploma aut malæ fidei absoluatur, aut arguatur eiusdem. Quum enim falsarii non ignorauerint modum faciendi ac placandi sigillum, semper esse timendi locum, *ne in ipso sigillo fraus commissa fuerit, ne sigillum mentitum sit, aut fuerit arte mala ab uno diplomate in aliud translatum.*

Atque

(a) *L. 21. C. de testament.* (b) *Gloss. in clement. 1. de iureiur.* (c) HOPINK *c. 7. de iur. sigill. p. 158. sq.* (d) *Reform. lib. 2. c. 15.* (e) *Fast. Concil. Const. ap.* HARDT. *Tom. IV. p. 35. & p. 425.* (f) SENECA *lib. 3. de benef. cap. 15. p. 417.* (g) GERMON. *Disceptat. 1. part. 1. cap. 3. p. 43.*

Atque ita fieri, vt ex falso & inepto sigillo diploma quidem facile in suspicionem falsi veniat, attamen ex integro, nisi cetera omnia recte se habeant, illius γνησιότης indubitanter adstrui neutiquam possit. Enimuero studio dixi, nisi cetera omnia recte se habeant. Nam si omnia diplomata, saluo licet sigillo communita, nullumque impostvræ signum præ se ferentia, ideo suspecta esse deberent, quoniam falsarios nonnunquam & sigilla temerasse constat, quæ obsecro publicorum instrumentorum esset futura fides, quæ auctoritas, quæ vis probandi? Quamobrem quemadmodum recte Criticis vapulauit diploma illud Lindauiense, licet in eo sigilli forma Mabillonii Baluziique (h) iudicio satis sincera sit: quemadmodum & alia diplomata sigillis satis munita, inprimis a Rosiario, Labbeo & Dubleto edita, doctorum censuras iure meruerunt: (i) quum alios nævos contineant omnium in oculos incurrentes: Ita si quis ex hoc fundamento, quod sigillum falsari potuerit, aliis diplomatibus nullo eiusmodi vitio laborantibus, dicam scribere velit, is sane ridendum se hominibus propinare, ludibriumque debere omnibus videretur.

PROPTER HANC AVCTORITATEM

VENERATIO SIGILLIS EXHIBITA.

IV. Hæc quum ita sint, impostorum falsariorumque fraudes non magis sigillorum eleuare auctoritatem poterunt, quam aliarum rerum, ad quas deprauandas viam sibi muniuerunt. Hinc eam sigillorum auctoritatem testatiorem facturi maiores, plura extare voluerunt documenta, ex quibus ea disci posset. Primo enim magnam principum sigillis tribui voluerunt venerationem, rati, etiam externo quodam honoris genere dignam esse rem, quæ tantum in omni humana vita pondus habitura esset. In lege Alamannorum (k), cuius ob antiquitatem magna debet esse his in rebus auctoritas, singulari sanctione *de seruis ecclesiasticis, si ad Episcopum, aut Iudicem suum venire despexerint*, cautum est, vt sigillorum contemtoribus mulcta irrogaretur. En verba: *Et si* SIGILLVM, *aut signum qualecunque iudex per iussionem domini sui transmiserit, & eum venire iusserit, aut ambulare in aliquam vtilitatem, & ille neglexerit, sex solidis sit culpabilis. Si autem* SIGILLVM *Episcopi neglexerit, aut ad veniendum, aut ad ambulandum, vbi iusserit, duodecim solidis sit culpabilis.* Et paullo post (l) alia exstat lex, *de eo, qui* SIGILLVM, *aut mandatum Ducis neglexerit.* Vbi is, qui Ducis sigillum neglexisse comperitur, duodecim solidorum: qui Comitis, sex solidorum mulctam componere, aut iuramento vna cum sex nominatis se purgare iubetur. Quamuis monendum simul viedeatur, sigillum hic non tantum signum notare, sed ipsam quoque chartam signatam includere. Ex his satis apparet, quantus honor principum sigillis antiquitus fuerit habendus. Cuius rei & aliud argumentum satis luculentum profert Petrus Diaconus *lib. 16.* qui & osculo excepta imperatorum sigilla testatur. Ita enim ille: *Cum autem suscepisset Imperatoris sacram*, OSCVLATVS EST SIGNACVLVM *quod habebat pectusculum Imperatoris.* Theophanes (m) quoque literas Iustini secundi Imperatoris commemorans, ad Aretham Ægyptiorum Regem exaratas, ista subiicit: Δεξάμενος τὴν τῦ Βασιλέως σάκραν, ΚΑΤΕΦΙΛΗΣΕ ΤΗΝ ΣΦΡΑΓΙΔΑ, τὴν ἔχουσαν τὸ σηθάριον τῦ βασιλέως. *Tum vero traditæ sibi Imperatoris sacræ, seu epistolæ,* SIGILLVM, *eiusdem facie cum pectore insculptum,* EXOSCVLATVS EST. Geminum exemplum habet Ratpertus (n) monachus S. Galli. Quum enim Wolfleoz, Episcopus Constantiensis, Cotzpertum, Abbatem monasterii S. Galli, ob negatam monasterii Sangallensis subiectionem, apud Hludouicum Pium, Imperatorem in iudicium vocasset, atque ideo chartas, quæ causſæ suæ favere videbantur, conquireret: *denique Episcopus* (ita pergit Ratpertus) *quum de manibus proprii ministri suæ voluntatis se putaret accipere cartam, imo ad S. Galli famulos destruendos inuidiosam decipulam, non eam, quam voluit, sed, proficuo nobis errore, aliam cartam imperatori cunctisque principibus causſæ penitus ignarus, coram designauit, quam ab Imperatore Carolo, sub Ioanne episcopo nobis factam, sed a nostris antecessoribus ob alicuius infandæ additionis maculam non receptam, supra memorauimus. Quam quum piissimus Imperator suscepisset,* SIGILLVMQVE *sui patris recognoscendo intuitus esset,* VENERANDO DEOSCVLATVS *est, circumque astantibus* SIMILITER HONORIS CAVSSA DEOSCVLANDVM CONTRADIDIT. Qui mos salutandi osculandique Cæsarum sigilla apud Byzantinos præcipue tam fuit uniuersalis, vt inde pro adoratione imaginum argumentum

 petie-

(h) BALVZ. *Vindic. pro Conring. Censur. dipl. Lindav. p. 19.* (i) *vid.* GERMON. *l. c. p. 45.* (k) *c. 22. p. 13. ap.* GOLDAST. *tom. 1. rer. Aleman.* (l) *c. 271. p. 14.* (m) THEOPHAN. *p. 207.* (n) RATPERT. *cap. 6. de casib. monast. S. Galli. p. 5.*

petierit Leontius, Neapoleos Cypri Episcopus, in Synodo Nicena II. (o) cuius verba infra *cap. V. n. IX.* adducemus integra. Quid? quod ne recentioribus quidem temporibus plane obsoleuerit antiquissimus ille mos, Regum sigillis honorem exhibendi. Huc enim pertinet, quod in conuiuio inaugurali Cæsareo, Electori Moguntino sigillum Cæsaris maius, collo adpensum, ad finem vsque cœnæ gestandum, atque deinde non nisi in generoso equo ad Cancellarium remittendum est, secundum Aureæ bullæ Carolinæ sanctionem. (p) Quem morem sigilla Regia in solemnioribus pompis equo vehendi, in Henrici II. Regis & Caroli V. aulis etiam viguisse, ex Ceremoniali Francico & Limneo obseruat J. C. Becmannus, (q) vir harum rerum curiosus, qui & cum Wagenseilio (r) Sinensium similia instituta, moremque sigilla venerandi, prolixius ex Itinerariis legationumque historiis enarrat. Peruasit quoque hæc religio Hispaniam. De sigillis enim Regum Hispaniæ ex Salazare Mendoçano (s) hæc nobis refert eruditissimus Chiffletius (t): SIGILLA REGIA IN TANTA SVNT VENERATIONE *apud Hispanos, vt tum transferuntur de loco ad locum, imponantur equo, tam sumtuose instructo, ac si Rex ipse illum conscensurus esset, suntque comitata Præside, Senatoribus aliisque Cancellariæ ministris, cum tubis ac musicis instrumentis, donec peruenerunt ad locum, vbi sunt deponenda. Quum aliquando coram Ioanne Tello Sandoual-lio, Præside Vallisoletano,* SIGILLVM REGIVM *ex diplomate quodam humi decidisset, illud e terra* VENERABVNDVS LEVAVIT, OSCVLATVS *est, & supra caput suum posuit, dicens:* HOC EST CORPVS MYSTICVM ET FIGVRATIVVM REGIS DOMINI NOSTRI.

EORVM ADVLTERATORES SVPPLICIIS AFFECTI.

V. Secundo nec id omittendum videtur, quia ad stabiliendam sigillorum auctoritatem apprime pertinet, quod in impostores, sigilla vel leuiter temerare ausos, summis suppliciis animaduersum est. Quum enim publica fide, quæ in sigillorum deprauatione vel maxime periclitatur, nihil debeat esse sanctius: consequens omnino est, quouis supplicio dignos esse eos, qui falsi crimen in re tam sacrosancta admittere non erubuerint. Atque id quidem seuere præstitum in falsarios. Anno 853. DCCCLIII sub Carolo Caluo habita est synodus Suessionensis, in qua actum etiam de falsario, Diacono Rhemensis Ecclesiæ, nomine Raganfrido, qui præcepta falsa Regio nomine compilauerat, statutumque, vt parochia Rhemensi non excederet, nisi canonice se purgasset. (v) Iam supra etiam e Mabillonio (x) produximus exemplum domicellæ, quæ principum sigilla placasse comperta, demonstrato coram Rege infausto artificio, igni tradita fuit. Cui nunc aliud monachi cuiusdam impostoris adiicimus, idque Friderici II. Imperatoris verbis, ita ad Abbatem nescio quem scribentis: (y) *Nuper in regno nostro quidam circumuagus inuentus est Monachus, qui FALSAS SIGILLI NOSTRI FORMAS ADVLTERANS, non absque honoris nostri iniuria, & tuæ honestatis infamia discurrebat. Vt igitur de* SIGILLO *ipso vlterius flagitiosa figmenta non procedant, ipsum tibi sub annuli nostri clausura transmittimus, & falsarium monachum carceris nostri compedibus mandauimus detineri.* 1200 Extremum & hunc impostorem mansisse supplicium, nisi forte eum more seculi sacri ordinis dignitas absoluerit, Cæsaris illius in vindicandis sceleribus seueritas facile nobis persuadet. Mireris igitur, D. Benedictum, monachorum patrem, tam horrendum ac pestilentissimum flagitium in suis monachis tam leui veluti brachio castigasse. Ita se enim hac de re habet D. Benedicti Regula explicata: (z) *Quodlibet autem monasterium diligenter seruet* SVA SIGILLA, *siue magnum, quo vtantur, quum quid fit nomine Prælati & Conuentus; siue paruum, quo vtitur Prælatus in priuatis litteris; & nullus aliorum fratrum, nisi de licentia ipsius Prælati, vti possit ipso sigillo. Quæ* SIGILLA, *tam congregationis, quam monasteriorum, si quis* SVADENTE DIABOLO FALSIFICARE *præsumpserit, stet degradatus per menses duos, post omnes professos, ieiunetque semel in hebdomada, in pane & aqua, in refectorio, durante ipsa degradatione.* Quid subsit causæ, quamobrem Benedictus tam parum seuerus in suæ familiæ falsarios monachos esse voluerit, curiosius hic indagare nolo, nec, quæ Gabriel Naudæus (aa) inde collegerit, repetere, quum inuidiam ingeniumque actoris sapere videantur.

Vl. Quo

(o) *Action. IV. ap.* BIN. *Tom. 3. Concil. part. 1. p. 556.* (p) *cap. 27. §. 2.* (q) BECMAN. *diss. 7. Syntagm. dignit. cap. 3. p. 755. sq.* (r) WAGENSEIL. *dissert. de S. R. I. summis official. c. 4. n. 13.* (s) MENDOZA *lib. de Dignitatib. c. 7.* (t) CHIFFLET. *Anastas. Childeric. Reg. c. 9. p. 137. sq.* (v) BALVZ. *Tom. 2. p. 52.* (x) MABILLON. *lib. 1. de R. D. cap. 6. n. 6. p. 25.* (y) PETR. DE VIN. *lib. 5. epist. 22. p. 577.* (z) *cap. 32. de ferrament. & reb. monasticis custodiend.* (aa) NAVD. *dans les raisons peremptoires p. 41.* CONRING. *Cens. dipl. Lindav. p. 305.*

IPSA SIGILLA SVMMORVM VIRORVM FIDEI CREDITA.

VI. Quo minus vero *tertio* falsariis licere posset: id quoque antiquis oportunum ad sigillorum auctoritatem conseruandam visum est medium, si annulos suos ac typaria seruanda committerent viris, qui & integritate summa essent, & summo in republica loco haberentur, quibus inconsultis si nullum expediretur diploma, tum vero putabant, multas impostorum fraudes posse euitari. Apud Græcos sigilli tum imperialis (a) tum patriarchalis (b) custodia penes Logothetas fuit. Francici Reges primæ æque ac secundæ stirpis annulos non commiserant, *nisi viris, qui gratia apud ipsos pollerent, quique* PROBATÆ FIDEI *essent, & participes arcanorum.* (c) Merovæidarum annulos custodiebant *Referendarii*, quorum inter Palatinos dignitas erat primaria. Hinc Auctor Vitæ S. Boniti: (d) *Quum*, inquit, *S. Bonitus a Sigeberto Rege enixe diligeretur, principem eum pincernarum esse præcepit; nec multo post* ANNVLO *ex manu Regis* ACCEPTO, *Referendarii officium adeptus est.* Gregorius Turonensis: (e) *Siggo Referendarius, qui* ANNVLVM *Regis Sigiberti tenuerat, & a Chilperico Rege ita prouocatus erat, vt seruitium, quod tempore fratris sui habuerat, obtineret, ad Childebertum Regem, Sigeberti filium, relicto Chilperico, transiuit.* Aimonius mooachus: (f) *B. Audoënus, qui & Dado dictus est, Referendarius fuit Regis Dagoberti, filiusque præcellentis simi Viri Antharii, qui Referendarius ideo est dictus, quod ad eum omnes publicæ deferrentur conscriptiones, ipseque eas* ANNVLO *Regis siue* SIGILLO, *ab eo sibi commisso, muniret seu formaret.* Referendariorum in locum, imperantibus Carolingis, succedere *Cancellarii*, quos penes & annuli Regii mansisse custodiam, credere par est. Iis tamen absentibus sigillum regium seruabat *Comes Palatii.* Id quod præcipue adparet ex Capitulari Caroli Calui apud Carisiacum sancito, in quo hanc quoque legem tulit Imperator: (g) *Adalardus, Comes Palatii, remaneat cum eo*, (Ludouico filio) *cum SIGILLO.* Imperatores quoque ceteros Cancellariis sigilla credidisse, eo minus dubitandum puto, quo constantius hoc in hodiernum vsque diem audio obseruari. In Gallia notum est eiusmodi domus Regiæ officium, quod qui gerit, *Garde des Seaux* lingua patria audit. Nec minus honorificum illud ministerium apud Anglos est, vbi *the Lord keper of the great Seal*, hoc est, *magni sigilli Custos* inter primarios aulæ purpuratos refulget. Ea vero dignitas non noua huic genti est, sed iam ab antiquissimis vsque temporibus nota, sæpiusque celebrata ab Anglorum scriptoribus, Petro Blessensi, (h) & Radulfo de Diceto, (i) quibus hi primarii sigillorum custodes voce inferioris Latinitatis audiunt *Regis Angliæ Sigillarii.* De ceteris regnis & rebuspublicis taceo, quum hodienum passim exempla in promtu sint. De ecclesiarum sigillis adscribam tantum locum ex Innocentii III. lib. I. epist. 309. *Duo fratres bonæ vitæ & maturæ ætatis sigillum capituli custodiant.* Horum igitur custodum fuit, sigilla sibi commissa, quanta possent solertia, seruare ac tueri, ne amissa aut negligentius custodita inciderent in falsariorum manus. Hinc e Bromptono refert Carolus du Fresne, (k) Magistrum Rogerum, cognomine *Malum Catulum*, Ricardi I. Regis Angliæ Vice-cancellarium, iuxta Rhodum Insulam naufragio periisse, repertumque postea esse apud eum Regis sigillum, quod ille, orta subito tempestate, e collo suspenderat, ne, si quid sibi accideret humanitus, in alienum ius sua culpa illud transferretur. Si vero paullo negligentius sigilla sibi commissa custodirent ii, quos hoc facere par erat, capitis adibant periculum. Male ea res cessit consuli cuidam Pragensi. Quum enim eius vxor infanti abluendo, vt lacrymas sisteret, sigillum ciuitatis crepundiorum loco porrexisset, ac oblita deinde, illud cum aqua vna profudisset in publicum: ciuis illud forte inuentum in curiam detulit. Adest consul, rei ignarus. Quærit Primas, an sigillum secum ferat: negat: iubetur domo accersere; abit, eoque frustra quæsito, redit in curiam. Verum sic prodeunti obuiam fit Senatus, a quo iam tum capitis damnatus, carnifici traditur, gladioque percutitur, loco, vbi res gesta est, ad posterorum memoriam cruce lapidea signato. (l) Sin casu aliquo typarium amitteretur: non minore sibi cura prouidendum ducebant, ne male feriatorum hominum artibus esset locus. Hinc statim vel edicto monebant subditos, vel, si priuatis id contigisset, in iudicio profitebantur, irritum fore, quidquid imposterum isto typario signatum prodiret. Illius rei præclarum exemplum exstat

(a) MEVRS. *Gloss. voce* κηρόβελλον. (b) IAC. GOAR. *Euchолog. Græc. p. 270. & 276.* (c) CHIFFLET. *c. 8. Anastas. Child.. p. 118.* (d) *ad d. 15. Ian.* (e) GREG. TVRON. *lib. 5. c. 3.* (f) AIMON. *lib. 4. c. 41.* (g) BALVZ. *T. II. Capit. p. 265.* (h) PETRVS BLESS. *epist. 131.* (i) RADVLF. *ad ann. 1180. conf.* DV FRESN. *part. 3. Gloss. L. p. 853.* (k) Idem *part. 3. Gl. L. p. 851.* (l) DOEPLER. *part. 1. theat. pœn. c. 5.*

exſtat Friderici II, quod ſtilo Petri de Vineis (a) deſcribemus: *Sane quum in caſtrorum noſtrorum combuſtione, quam diximus, camera noſtra cum* AVREÆ BVLLÆ TYPARIO *&* REGNI NOSTRI SIGILLO *perdita & amiſſa fuerit, propter quod aduerſariorum noſtrorum per caſum tam horridum effrenata ſuperbia, quæ cauſſam noſtram hactenus rebus ſemper veritate carentibus obfuſcauit, per typarii copiam & ſigilli, multa, ſicut firmiter credimus, in honoris noſtri diſpendium, falſa machinatione confinget: deuotionem veſtram requirimus & monemus, quatenus ſi prædictorum* BVLLÆ AVREÆ *vel* SIGILLI *munitæ ſignaculis ad vos aliquæ literæ ſub noſtri nominis titulo peruenirent,* FIDEM *eis ſtabilem veſtræ mentis conſtantia, quum fidei robore careant,* ADHIBERE CVIVSQVAM VOS SVGGESTIO NON SEDVCAT. Hoc vero non minus clarum eſt ex Dugdali Antiquitatibus Warwicenſis prouinciæ, (b) e quibus hoc exemplum, quod ſub Henrico III. Rege contigit, enotauit Carolus du Freſne: *Memorandum, quod publice clamatum eſt in banco, quod* SIGILLVM *Benedicti de Hagham, cum vno capite in medio, ſub nomine ſuo, in quacunque manu fuerit,* DE CETERO NVLLVM ROBVR OBTINEAT. Sub Eduardo I: *Memorandum, quod Henricus de Perpoun, die Lunæ, in craſtino octav. B. Michaelis venit in cancellaria apud Lincolniam, & publice dixit, quod* SIGILLVM *amiſit, & proteſtabatur, quod ſi aliquod inſtrumentum cum ſigillo illo poſt tempus illud inueniretur conſignatum, illud* NON VLLIVS ESSET VALORIS VEL MOMENTI. Denique ſub Eduardo II: *Ioannes E. recognouit in Cancellaria Regis, ſe amiſiſſe* SIGILLVM SVVM, *& petit, quod dicto ſigillo deinceps* NON HABEATVR FIDES. E quibus ſatis eſt perſpicuum, quantum ſua putauerint intereſſe veteres, ne ſigillorum auctoritas malis prauorum hominum artibus vileſceret atque eleuaretur.

SIGILLA QVOQVE CVM PRINCIPIBVS SEPVLTA.

VII. Denique non aliam ob cauſam, præterquam quod ſigillorum auctoritati conſulendum impoſtorumque artes prohibendas putarent, veteribus & hoc in more fuit, vt ſigilla principum, inprimis ſine prole exſtinctorum, aut eodem cum ipſis ſepulcro humarent, aut in exſequiali pompa confringerent. Iam Romanos & Germanos veteres conſueuiſſe vna cum aliis rebus annulos quoque defunctorum terræ mandare, ex vrnis patet, quas curioſi e terræ viſceribus frequenter eruunt, in quibus plures etiam annulos inueniſſe ſe, teſtatur Buttnerus. (c) Et licet Iacobus Gutherius, (d) integro capite agens *de rebus, quæ in ſepulcris cum corporibus conderentur*, annulorum non meminerit: hunc tamen defectum facile ſupplebunt Boſius, (e) Aringhus (f) & præcipue Laurentius Surius, (g) ubi de ſepulcro Mariæ, Honorii Imperatoris ſponſæ, Romæ aperto agit. En verba Surii: *Huius anni* (MDXLIV) *menſe Februario, Romæ in Vaticano haut procul a Tiberi, quum in ſacello ſancti Petri fundamenta foderentur, inuenta eſt marmorea arca, longitudine pedum octo & ſemis, latitudine quinque, & ſex altitudine, in qua condita fuit Maria, Honorii Imperatoris coniunx, quæ virgo obiit, morte abrepta ante nuptias. In ea arca, corpore abſumpto, aliquot tantum dentes ſupererant, capillique ac tibiarum oſſa: præterea veſtis & pallium, quibus tantum auri fuit intextum, vt ex his combuſtis auri pondo triginta ſex collecta ſint. Erat inſuper capſula argentea, longa pedem vnum & ſemiſſem, latitudine digitorum duodecim, in qua vaſcula multa, ex cryſtallo, nonnullaque ex achate perpulcre elaborata. Item* ANNVLI AVREI *quadraginta variis gemmis ornati. Erat & ſmaragdus auro incluſus, in eoque* SCVLPTVM CAPVT, *quod creditum eſt ipſum Honoriumreferre. Is quingentis aureis, nempe ducatis, æſtumatus eſt. Præterea inaures, monilia, aliaque muliebria ornamenta, in quibus vna earum, quas hodie agnus Dei vocant, per cuius ambitum inſcriptum erat, Maria noſtra florentiſſima: laminaque ex auro, & in ea hæc nomina, Michaël, Gabriel, Raphaël, Vriel, Græcis litteris. Item veluti racemus ex ſmaragdis aliisque gemmis conſertus: & diſcriminale, longitudine duodecim digitorum, inſcriptum hinc: Domino noſtro Honorio, hinc: Domina noſtra Maria. Adhæc inerat ſorex ex chelidonio lapillo, cochleaque & patera ex cryſtallo: Item pila ex auro, luſoriæ ſimilis, ſed quæ in duas partes diuidi potuit. Innumeræ pene aliæ inerant gemmæ, quarum etſi plurimæ vetuſtate corruptæ, nonnullæ tamen recentem admirandamque pulchritudinem retinebant. Et hæc omnia Stilico filiæ dedit pro dote.* Alia huius generis exempla collegit Chiffletius. (h) A Romanis deinde ad Francos hic mos tranſiit. Inuento enim anno

(a) PETR. DE VIN. *l. 2. epiſt. 41. p. 331.* (b) CAR. DV FRESNE *p. 673.* (c) BVTNER. *cap. 16. de Vrn. n. 12.* (d) IAC. GVTHER. *de iure manium l. 2. c. 32. p. 383.* (e) BOSIVS. *lib. 2. Rom. Subter. c. 7.* (f) PAVL. ARINGH. *tom. 1. lib. 2. c. 9. n. 11.* (g) SVR. *Comment. rer. in orbe geſt. p. 510.* (h) CHIFFLET. *Anaſtaſ. Childer. c. 8. p. 126.*

anno M. DC. LIII. Tornaci ſepulchro Childerici, Francorum Regis, inter reliquam ſupellectilem repertus etiam eſt annulus eius aureus, quo ſignare conſueuerat, Principis armati effigiem habens, cum hac characteribus Romanis compoſita inſcriptione: CHILDIRICI REGIS. Ita enim inſcriptionem referunt laudatus Chiffletius (a) & P. Germon: (b) non ut M. Brice (c) & Carolus du Freſne, (d) CHILDERICI REGIS. Nec minus illuſtria extant exempla ſigillorum, in pompa funebri Principum confractorum. Perpetuo hoc fit in exſequiis Romanorum Pontificum. Iis enim extinctis, ſtatim Cardinalis Camerarius & Vice-Cancellarius eam bullæ partem, in qua Pontificis nomen habetur, plumbatorum miniſterio publice confringendam curat, alteram, cui capita Apoſtolorum inſculpta, panno illigatam, & ſigillo obſignatam, Camerario tradit, ne quod diploma illa ſignetur (e). Idem pæne obſeruatur, ubi Pontifex ſede eſt deturbandus. Cuius rei exemplum habemus in Ioanne Papa XXIII, quem dignitate exutum, ad carceres damnarunt Patres Concilii Conſtantienſis. *Proceſſum abolitarum clauium* hunc in modum e codicis MSSC Lipſienſibus, Vindebonenſibus & Brunſuicenſibus deſcribit Hermannus van der Hardt V. C. (f) *Deinde de mandato Concilii Dominus Ioannes Archiepiſcopus Rigenſis bullam Papæ, ſiue cinigium bullæ Papæ portauit & præſentauit eam Concilio, tanquam eius cuſtos, qua præſentata, fuit per Magiſtrum Henricum de Piro procuratorem petitum, an placeret, quod Dominus Vice-Cancellarius, tanquam ad eum pertinens, rumpi faceret arma & nomen Balthaſaris in eadem. Fuit reſponſum, quod ita. Et placuit omnibus. Qua BVLLA recepta, ſiue FERRO, quo BVLLA fabricatur, & ibidem in præſentia omnium per Magiſtrum Arnoldum aurifabrum RVPTA, & arma ipſius olim Ioannis DELETA. Et abſolutus Dominus Ioannes Archiepiſcopus ab eius cuſtodia, & pronunciatum, quod fideliter cuſtodiuiſſet & præſentaſſet.* Obſeruatum id etiam in Germania, ſi quando Principes nulla relicta prole decederent, id quod docet Georgii Fabricii Chemnicenſis epiſtola ad Blaſium Fabricium fratrem, ex qua hæc excerpſit Ioannes Wolffius: (g) Churfürſt Mauritz iſt zu Freyberg mit gewöhnlichem Gepränge begraben, neben ſeinem Vater und Sohn Sel. Gedächtniß, iſt auch ſein PJTSCHJR-RJNG alten Gebrauch nach, dieweil er keinen Leibes-Erben verlaſſen, beym Grab ZERSCHLAGEN worden. Huc etiam pertinet, quod Principes nonnulli morituri ſigilla ſua monialibus quibusdam teſtamento legarint, a quarum integritate nulla fraus metuenda videbatur. Sic enim, Chiffletio (h) teſte, Philippus Auguſtus Rex Franciæ, charta anni MCCVIII regni XXXIX iubet, *vt poſt ſuum diſceſſum Sorores Leproſariæ de Salceya*, SIGILLA *ſua* AVREA *habeant*. Quod confirmatum a Ludouico VIII, IX atque X, qui aureis ſigillis & argentea adiecit.

conf. Ludewig in Relig. ubi exemplum fracti ſigilli a nouerunt Principe adhibiti.

VIII. Hæc omnia licet auctoritatem ſigillorum abunde videantur inculcare: tanta tamen ſemper fuit generis humani ad perfidiam procliuitas, vt quidam & litteris, ſigillo ſuo confirmatis, negare fidem non erubeſcerent. Male huius perfidiæ cauſſa audiuerunt Græci, quorum tam frequentia exſtiterunt tum adulteratorum ſigillorum, tum negatorum exempla, vt Græca fides abiret in prouerbium. Unde Polybius: (i) Παρὰ μὲν τοῖς Ἕλλησιν, ἐὰν τάλαντον μόνον πιϛευθῶσιν, ἀντιγραφεῖς ἔχοντες δέκα, καὶ ΣΦΡΑΓΙΔΑΣ τοσάυτας, καὶ μάρτυρας διπλασίους, ἃ δύνανται ΤΗΡΕΙΝ ΤΗΝ ΠΙΣΤΙΝ. *In Græcia, unum talentum ſi forte creditur, etſi decem adhibiti antigrapharii, & totidem SIGILLA, & teſtes duplo plures, FIDEM SERVARE non poſſunt.* Quam Græcorum perfidiam ita perſtringit etiam Guntherus in Ligurino (k):

QVIDAM ET SIGILLA SVA NEGARVNT.

- - - - GENTILIBVS *vſi*
FRAVDIBVS impreſſas falſo ſub nomine Regis
Mendaces chartas ſibi confecere SIGILLO.

De

(a) CHIFFLET. *l. c. c. 7. p. 99.* (b) GERMON. *Parte 1. de diplomat. c. 4. p. 51.* (c) BRICE *dans le Cabinet du Roy p. 91.* (d) DV FRESNE *Tom. 1. Gloſſ. L. p. 199.* (e) MAYERVS *de Pontif. R. elect. c. 1.* (f) *T. IV. Concil. Conſtant. part. 3. p. 282.* (g) WOLFF. *Tom. II. Lect. Memorab. p. 647.* (h) CHIFFLET. *Anaſtaſ. Childer. c. 8. p. 129.* (i) POLYB. *Lib. 6. extrem.* (k) GVNTH. *lib. 5. 356. ap.* REVBER.

De eo hominum genere, Romæ quoque obuio, conqueritur Iuuenalis: (a)

Si, decies lectis diuerſa parte tabellis,
Vana ſuperuacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipſorum, quos littera GEMMAQVE PRINCEPS
Sardonichus, loculis quæ cuſtoditur eburnis.

Verum ne hi quidem homines male feriati, quibus tot ſaluberrimæ Principum leges bellum indicunt, ipſam ſigillorum conuellere auctoritatem poterunt, cum nihil ſit in orbe terrarum tam ſacroſanctum, quod non ſceleſtorum hominum ſacrilegio ſubinde violetur.

CAPVT SECVNDVM.

ETYMOLOGIA, HOMONYMIA ET SYNONYMIA VOCIS SIGILLVM.

I. Sigillum diminutiuum vocis ſignum. Vox Sigilliolum ab Arnobio conficta.
II. Sigillum notat ſignum litteris impreſſum, itemque paruum ſimulacrum. Sigillatæ veſtes. Sigillaria feſtum ſeruorum. Sigilliarius.
III. Sigillum pro diplomate. Pro lapide ſepulchris reliquiarum ſuppoſito.
IV Moris huius origo.
V. Pro cruce oblatis Euchariſticis impreſſa, omnique crucis ſignaculo accipitur.
VI. Signum idem aliquando, ac ſigillum, aliquando ſubſcriptionem notat & monogramma.
VII. Signetum. Signaculum. Impreſſio.
VIII. Bulla.
IX. Secretum.

I.

SIGILLVM DIMINVTIVVM A VOCE SIGNVM.

SAtis multa iam præfati de ſigillorum auctoritate, ad ipſam rem nos accingimus, ſi prius de vocibus nonnulla præmiſerimus, cum & in iis multa, ad antiquitates cognoſcendas neceſſaria, latere videantur. *Sigillum* igitur a *Signo* deriuari, vt diminutiuum a ſuo primitiuo, & grammaticorum ferme omnium conſenſus, & analogia ſuadet. Quemadmodum enim a tigno *tigillum*, a piſto *piſtillum*, a tecto *tegillum*, a pugno *pugillus*, ita a ſigno *ſigillum* deriuari, ipſa ratio formationis docet: Quamobrem ulteriore etymologiæ inquiſitione facile licebit ſuperſedere. Id modo notandum eſt, Arnobium, (b) Latinorum Patrum facile diſertiſſimum, ab hoc aliud diminutiuum deriuare. Ita enim ille: *Et abſtinetis a riſu, cum pro Diis immortalibus* SIGILLIOLIS *hominum & formis ſupplicatis humanis.* Sed quum ea vox omnibus aliis purioris ævi Latinis ſcriptoribus ignoretur: eam ab Arnobio, contemtus cauſſa, confictam atque excogitatam, exiſtimamus, eo, quod ne ſigillorum quidem nomine Deorum ſimulacra dignari auderet ſcriptor elegantiſſimus.

VOX SIGILLIOLVM AB ARNOBIO CONFICTA.

SIGILLVM NOTAT SIGNVM LITERIS IMPRESSVM.

II. Ex hac etymologia liquet, totidem eſſe debere vocis Sigilli ſignificationes, quot ipſius primitiui *Signum.* Quoniam tamen non omnes in bonæ notæ auctoribus inueniunt præſidium: duas præcipue notamus. Vulgaris ſignificatio & in medii ævi ſcriptoribus frequentiſſima illa eſt, qua pro ſigno inſtrumentis publicis fidei cauſſa vel impreſſo vel appenſo accipitur. Veteribus etiam ſcriptoribus familiaris fuit, licet ſæpius ſignum uſurparent. Ipſe enim Cicero (c) SIGILLORVM *annulo impreſſorum* meminit. Frequentius accipitur pro minoribus ſimulacris. Cicero: (d) *Appoſuit patellam, in qua* SIGILLA *erant egregia.* Inde SIGILLATI *Scyphi* eidem Ciceroni vocantur ſcyphi figuris cælatis ſignati. Inde in Gloſſa Græco-Latina SIGILLATVM vocatur ζωδιακὸν, id eſt, *quod ſignis & ſimulacris adornatur;* Inde SIGILLATÆ *ſericæ* in Codice Theodoſiano. (e) Inde *holoſerica* SIGILLATA, *vel a modica* SIGILLATA, *veſtis* SIGILLATA, aliaque huius generis paſſim apud Anaſtaſium in Vitis Pontificum Romanorum leguntur. Inde SIGILLARIA, feſtum

ITEMQVE PARVVM SIMVLACRVM.

SIGILLATÆ VESTES.

(a) IVVENAL. *Satyr. 13.* (b) ARNOB. *lib. 6. adverſ. gent. p. 197.* (c) CICERO *lib. 4. quæſt. Acad. c. 28.*
(d) Idem *in Verrem. VI. cap. 22.* (e) *l. 11. C. Th. de Scenicis.*

ſtum ſeruorum Romanorum a paruis ſignis ſiue ſimulacris, hinc inde miſſis, ita vocatum, de quo Macrobius (a) & Alexander ab Alexandro. (b) Denique hinc etiam ii, qui eiusmodi ſimulacris conficiendis operam dabant, *Sigilliarii* vocabantur, Græcis δακτυλιογλύφοι. Vnde vetus Inſcriptio in Reineſii (c) Syntagmate occurrit, poſita FLATVARIO SIGILLIARIO, vel vt in Gruteri (d) opere legitur, FLATVRARIO SIGILLARIO. Quæ omnia ad antiquam ſpectant ſignificationem, qua ſigilla pro ſimulacris minutioribus & cælatis operibus accipiuntur.

SIGILLARIA FESTVM SERVORVM.

SIGILLIARIVS.

III. At ſingularis, mediique æui ſcriptoribus propria, eſt acceptio, quando *ſigillum* iis notat diploma ſiue inſtrumentum ipſum, ſigillo munitum, quemadmodum & *Bulla* litteras bulla inſtructas. Sic in lege Alamannica, cuius iam ſupra verba adiecimus, *ſigillum aut mandatum* ducis, nihil notare videtur aliud, quam ducis edictum ſigillo corroboratum. Plura huius rei exempla iam tum e Petro Diacono, Guiliermo Britone, Chronico Alexandrino, Lege Wiſigothica, Anaſtaſio, Vghello pluribusque Chartis Regum notauit Carolus du Freſne, (e) cuius gloſſarium quum in promtu ſit, non eſt animus iam eius ſcrinia expilando actum hic agere. Vnicum addimus exemplum e diplomate Romani, Conſtantini, Chriſtophori, Stephani & Conſtantini Imperatorum, quod video diligentiſſimo Freſnio non eſſe obſeruatum. Illud enim diploma apud Baronium (f) ita incipit: *In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Romanus & Conſtantinus, Chriſtophorus & Stephanus & Conſtantinus Chriſti amiciſſimi & fideliſſimi in Domino benigno Imperatores diſpoſuimus iſtud præſens noſtrum benignum* SIGILLVM. Hic enim manifeſto ſigillum pro ipſo diplomate accipitur. Vocem σιγίλλιον eadem ſignificatione ſubinde adhibet Conſtantinus Porphyrogenneta. Eorundem ſcriptorum male Latinorum eſt vox *Sigillus* in maſculino genere de operculo ſiue epiſtomio vaſis ab Ekehardo iuniore (g) vſurpata, cuius denominationis eam reddit rationem Goldaſtus (h) in annotationibus ad Ekehardum, quod vaſorum olim opercula ſignata eſſent, teſte Hierocle philoſopho, (i) atque inde factum eſſe, vt ipſa epiſtomia id nominis ſortirentur. Denique per translationem *ſigilla* appellantur lapides, quibus receptacula reliquiarum in altaribus, (ſepulcra vocant,) apud Romanenſes obſignantur, de quibus frequens apud Durandum (k) aliosque huius notæ ſcriptores mentio fit.

SIGILLVM PRO DIPLOMATE ACCEPTVM.

SIGILLVS.

SIGILLVM DE LAPIDE SEPVLCRIS RELIQVIARVM SVPPOSITO.

IV. Non eſt dubium, quin mos ille Sanctorum lipſana in altaribus recondendi ex primæ eccleſiæ ritibus male intellectis in Romanam eccleſiam inuectus ſit, atque adeo fruſtra eius antiquitatem vltimam iactent Romanenſes. Nimirum ex eo tempore, quo martyres ſubinde cruento teſtimonio Chriſtianam fidem obſignare cœperant, Chriſtianis ſolemne fuerat, ſacra ſua in martyrum catacumbis & cryptis ſepulcralibus, immo in ipſis ſepulcris martyrum peragere. Vnde recte ſcribitur in Breuiario Romano: *Ex locis ſacris, quæ olim apud Chriſtianos veneratione habuerunt, illa celeberrima & frequentiſſima fuerunt, in quibus condita ſanctorum corpora, vel aliquod martyrum veſtigium aut monumentum eſſet.* Teſtantur id Acta paſſionis S. Stephani PP. (l) ex quibus patet, illum a militibus Valeriani inter ipſa ſacra in cœmiterio Calliſti obtruncatum. Teſtantur Valeriani Cæſaris edicta, (m) quibus Chriſtiani intra cœmiteria ad ſacra facienda coire prohibentur. Teſtantur denique ipſæ vetuſtæ ſepulcrorum inſcriptiones, in quibus facile eminet illa B. Alexandri Martyris apud Aringhum: (n)

MORIS HVIVS ORIGO.

ALEXANDER MORTVS NON EST SED VIVIT
SVPER ASTRA ET CORPVS IN HOC TVMVLO QVIESCIT
VITAM EXPLEVIT CVM ANTONINO IMP. QVI VBI
MVLTVM BENEFITII ANTEVENIRE PREVIDERET
PRO GRATIA ODIVM REDDIT GENVA ENIM FLETENS
VERO DEO SACRIFICATVRVS AD SVPPLICIA DVCITVR.
O TEMPORA INFAVSTA QVIBVS INTER SACRA ET
VOTA NE IN CAVERNIS QVIDEM SALVARI POSSI
C MVS

a) MACROB. *lib. 1. Saturnal. cap. 10. & 11.* b) ALEX. AB ALEX. *Gen. Dier. lib. 3. cap. 4.* c) REINES. *Inſcr. claſſ. 11. num. 89.* d) GRVTER. *Inſcr. p. DC XXXVIII. num. 6.* e) DV FRESNE *part. 3. Gl. L. p. 851.* f) BARON. *tom. 10. annal. ad ann. 942. p. 724.* g) EKEHARD. *cap. 5. de caſib. mon. S. Galli p. 30.* h) GOLDAST. *Adnot. ad* EKEHARD. *p. 118.* i) HIEROCL. *cap. 16. facet.* k) DVRAND. *lib. 1. Ration. cap. 6. n. 34.* l) *ap. Baron. ad ann. 260. n. 4.* m) *ap. Euſeb. l. 7. hiſt. eccleſiaſt. c. 11. & l. 9. c. 2.* n) ARINGH. *l. 3. Rom. ſubt. cap. 32.*

MVS QVID MISERIVS VITA SED QVID MISERIVS IN MORTE CVM AB AMICIS ET PARENTIBVS SEPELIRI NEQVEANT TANDEM IN COELO CORVSCAT PARVM VIXIT QVI VIXIT IV. X. TEM.

Quæ quum ita initio fierent, Chriſtianis in martyrum ſepulcra & cauernas ob ſacrarum ædium penuriam confugientibus, in eam poſteri deuenere ſententiam, vt omnia ſacra irrita putarent, quæ non in altaribus iis peragerentur, in quibus quædam ſanctorum reliquiæ reconderentur. Atque inde etiam nomen ſepulcrorum adepta ſunt foramina, quæ eiusmodi ſacra pignora recipiunt, vt nimirum altaria referre viderentur martyrum ſepulcra, ſuper quibus infauſto illo Chriſtianæ religionis tempore ſacra fieri eſſent ſolita. Sed de his ſatis: In viam e diuerticulo redimus.

PRO CRVCE OBLATIS EVCHARISTICIS IMPRESSA ACCIPITVR.

V. Apud Græcos vox σφραγὶς non minus, quam apud Latinos ſigillum, in ſacram liturgiam vſu eccleſiaſtico recepta eſt, licet non reliquias altari incluſas, ſed alias res ſacras ea voce deſignent. Sic σφραγίδα vocant crucem oblatæ euchariſticæ impreſſam. Vnde in Liturgia ſeu Miſſa, quam vocant, S. Chryſoſtomi hæc legimus: (a) Εἶτα λαμβάνει ὁ ἱερεὺς ἐν μὲν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὴν προσφοράν, ἐν τῇ δεξιᾷ τὴν ἁγίαν λόγχην· καὶ σφραγίζων σὺν αὐλῇ ἐπάνω ΤΗΣ ΣΦΡΑΓΙΔΟΣ ΤΗΣ ΠΡΟΣΦΟΡΑΣ τρὶς λέγει· εἰς ἀνάμνησιν τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ. Hoc eſt: *Poſthæc ſumit ſacerdos in ſiniſtra quidem manu panem, dextra vero ſanctam lanceam, & cum ea ſignum crucis faciens ſuper* SIGILLVM OBLATÆ *dicit ter: In memoriam Domini & Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Ad quem locum ita commentatur Iacobus Goar: (b) SIGILLVM *crucis eſt effigies,* προσφορᾷ oblatæ *impreſſa, qualis apud Arcudium & in figuris adiunctis cernitur.* Iisdem σφραγὶς ἄῤῥαυστος audit baptiſmi character, viuificæ crucis ſigno animæ impreſſus, quo ſenſu tum a Gregorio Nazianzeno, (c) tum a S. Baſilio, (d) tum in oratione Græcorum, pro ſignando puero recens nato fundi ſolita, (e) accipitur. Sed & quoduis crucis ſignum σφραγίδα frequenter vocant, ſiue illud in baptiſmo, ſiue in ordinatione clericorum, ſiue in S. Euchariſtia, ſiue alias a ſacerdote factum ſit. Denique & tonſuram clericorum id nomen ferre apud eosdem, annotatum eſt in Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis a Carolo du Freſne, hic omnino ſub voce σφραγὶς euoluendo.

SYNONYMA

VI. Iam proximum eſt, vt & alia nomina, quibus ſigilla notantur, euoluamus. Hic iterum vberior ſe offert meſſis cum in antiquis, tum præcipue in medii ævi ſcriptoribus.

SIGNVM DE SIGILLO,

Antiquis præcipue familiaris vox *Signum*, quæ Ciceroni, Senecæ omnibusque aliis melioris notæ ſcriptoribus frequentiſſime ſigillum notat. At medio ævo *Signum* plerumque a *Sigillo* diſtinguitur, & modo pro nomine ſubſcripto, modo pro cruce, nominis loco adſcripta, vel eidem præmiſſa, modo de monogrammate nominis accipitur.

DE MONOGRAMMATE

De hoc Cæſarum teſtantur diplomata principumque nonnullorum chartæ, quibus illi monogrammata loco integri nominis illeverunt. Illa vero probe obſeruanda ſunt in antiquioribus priuatorum chartis & tabulis, quæ plerumque his ſimilibusque verbis finiuntur: *Actum in Conſtantia, in præſentia teſtium, qui ſignauerunt.* SIGN. *Vuar ſind, qui hanc conuentionem ſcribere voluit.* SIGN. *Perichonis Aduocati monaſterii.* SIGN. *Ruodgaud.* SIGN. *Vuolco.* SIGN. *Mangold &c.* Vbi caue exiſtimes, ſigilla etiam a teſtibus vna cum nominibus fuiſſe adiecta. Id enim minime omnium fieri conſueuiſſe, iam Salmaſio (f) aliisque obſeruatum eſt. Vnde fit, vt medio ævo *ſubſcriptio* & *ſignatio* promiſcue accipiantur, quum eas alias adcurate diſtinguant ICti. Immo ſi vel maxime media ætate ſignationem nonnunquam a ſubſcriptione diſtinguerent, quod fit in Concilio Toletano X: (g) minime tamen ſignatione notabant ſigilli impreſſionem, ſed ſignum quoddam aliud, in forma vel crucis ✠ vel paragraphi § adſcriptum. Vtrumque enim quam frequentiſſime in chartis antiquiſſimis reperiri, ſciunt omnes, quibus diplomata autographa videre contigit. Conferri interim ab aliis poterit ὁ πάνυ Carolus du Freſne. (h)

ET SVBSCRIPTIONE.

SIGNETVM.

VII. Reiecta igitur meliore voce, alias ex ſuo ingenio pepererunt, a primitiuo *Signum* deductas, nimirum *Signetum* & *Signaculum.* Illam Germani quoque noſtri aliæque gentes vſurparunt de ſigillis, præcipue minoribus, quæ ſecreta appellabant. Nihil enim in litte-

a) GOAR. *Eucholog. Græc. p. 60.* b) ID. *p. 117.* c) GREG. NAZIANZ. *orat. 40.* d) BASIL. *lib. 1. contra Eunom.* e) GOAR. *Eucholog. Græc. p. 321.* f) SALMAS. *cap. 24. de ſubſcript. & ſign. teſtam. & c. 11. de modo uſurar.* g) *can. 4.* h) CAR. DV FRESNE *tom. 3. gloſſ. L. p. 860.*

literis vernaculis frequentius formula hac: Zu mehrer Bekantniß deſſen haben wir unſer Signet hengen laſſen an dieſen Brieff. Eadem vox occurrit in Statutis Davidis II. Regis Scotiæ, (a) vbi SIGNETVM explicatur *per ſecretum vel ſigillum* PARVVM, atque a SIGILLO MAGNO diſtinguitur: itemque in Statutis Roberti III, in quibus SIGNETA plane a *ſigillis* ſegregantur, ita nimirum, vt *ſignetum* de minore, *ſigillum* de maiore accipiatur. Quam tamen differentiam noſtri homines non adeo curioſe attendiſſe videntur. *Signaculum* pro *ſigillo* adhibuere Iohannes Sarisberienſis (b) & aliquot ICti. In aliis medii æui ſcriptoribus & chartis antiquis modo pro monogrammate nominis, modo pro impreſſo ſigillo accipitur. Aperte ſane in charta Caroli M. apud Miræum (c) per ſignaculum intelligitur nominis ſubſcriptio; ſiquidem ita ibidem legitur: *Noſtræ manus* SIGNACVLIS *eam* (chartam) *affirmare decreuimus & annulo noſtro firmari iuſſimus.* At non minus manifeſte pro ſigillo ſumitur in Vita S. Theodardi, Archiepiſcopi Narbonenſis, (d) ubi Archiepiſcopus *prædeceſſorum* ſuorum *traditiones, & impreſſionis eorum* SIGNACVLO *roboratas* collaudat. SIGNACVLVM.

VIII. Recentioris quoque æui Scriptoribus debemus nouam ſignificationem vocis *Bullæ*, licet ea in ipſam Græciam ſatis mature penetrauerit. Dici non poteſt, quot huius vocis ſint ſignificationes. Si eas modo ſpectemus, quæ ad rem ſigillariam pertinent. Aliquando typarium, quo ſigilla imprimebantur, notat, quo & Græcæ voces χρυσόβελλον & βελλοτήριον ſpectant, quas eadem ſignificatione accipiunt Nicetas Paphlago, (e) Harmenopulus (f) & Menæa Græcorum. (g) Nec raro notat ſigillum chartæ adpenſum, ſiue illud aureum ſit, ſiue argenteum, ſiue plumbeum, ſiue cereum denique; quamuis aureis Imperatorum, & plumbeis Pontificum Romanorum frequentius tribuatur. Inprimis Pontificis ſigilla publicis litteris appenſa, veluti κατ' ἐξοχήν, bullæ audiunt. Cereis vero ſigillis bullæ nomen rarius datur, niſi quod Græci & ſigillum cereum penſile vocare ſolent κυρόβελλον σφραγίδα. Denique & ipſum diploma eiusmodi ſigillo penſili, ſiue aureo ſiue plumbeo munitum, bulla vocatur. Talis eſt bulla aurea Caroli IV, talis bulla aurea Andronici, talis Bulla Brabantina, tales bullæ papales, aliæque, de quibus infra iterato erit dicendum. Inſtar omnium interea eſſe poterit ſplendidiſſimum Thulemarii de Bullis opus, ubi hæc omnia inſigni cum iudicio expenduntur. Huc pertinet etiam vox *Impreſſio*, quæ ſæpius ſigillum notat. Sic ſigillum minus eccleſiæ SS. Simonis & Iudæ Goslarienſis hac inſcriptione gaudet: IMPRESSIO SCI MATHIE. BVLLA. IMPRESSIO.

IX. Agmen claudat vox *Secretum*, & a noſtra gente ciuitate donata. Nomen hoc initio ea præcipue ſigilla tulere, quæ non quidem litteris patentibus, ſeu diplomatibus, ſed epiſtolis ſecretis, vel familiaribus ſolebant imprimi. Atque adeo in negotiis publicis ſigillo maiori ſeu authentico; in priuatis & ſecretis ſigillo ſecreto locus erat. Tametſi vero interiecto tempore etiam in diplomata eorum tranſiret vſus, ac ſecreta plerumque tergo ſigilli authentici imprimerentur, atque ratione vſus vix differrent a ſigillis maioribus, ſed ſecundum formam duntaxat & magnitudinem: retinuere tamen ſecreti nomen etiam in publicis negotiis, ita vt extremis temporibus veluti ſynonyma eſſent ſigillum & ſecretum, certe in noſtra dialecto, vbi raro quidquam differentiæ inter voces ein Secret & ein Siegel ſtatui reperio. SECRETVM.

CAPVT TERTIVM.

DE GENTIBVS, QVIBVS SIGILLA IN VSV FVERVNT.

I. Sigillorum vſus antiquiſſimus.
II. Et omnibus fere gentibus communis.
III. Hebræi ſigillis vſi.
IV. Num etiam imaginibus ſignarint?
V. Sigilla Ægyptiorum.
VI. Perſarum.
VII. Cyrenenſium.
VIII. Græcorum διπτύθεκα & ſigilla.
IX. Sigilla Romanorum.
X. Conſtantinop. Cæſarum & Patriarcharum.
XI. Francorum.
XII. Germani an antiquitus ſigillis vſi?

 XIII. An-

(a) CAR. DV FRESNE *l. c. p. 859.* (b) IO. SERISB. *epiſt. 158.* (c) MIRÆVS *lib. 1. dipl. Belg. c. 8.* (d) CAR. DV FRESNE *l. c. p. 858* (e) NICET. *Vit. S. Ignat. patriarch. Cpol. ſub fin.* (f) HARMENOP. *Proch. lib. 6. cap. 14.* (g) *d. 11. Nouemb.*

XIII. Angli paulo ſerius ſignarunt. Maturius Wiſigothi.
XIV. Sigilla Hungarorum & aliarum Gentium.
XV. Turcæ, Perſæ, Indi imaginibus non ſignarunt.
XVI. Attamen iis utuntur Sinenſes, Iapanenſes, Æthiopes.
XVII. Concluſio capitis.

I.

SIGILLORVM VSVS ANTIQVISSIMVS.

SIgillorum vſum tam antiquum, quam ipſius vitæ ciuilis & epiſtolarum eſſe comperio. Simul ac enim homines in ciuitates ac respublicas coire, & ſua ſibi propria habere cœperunt: varia etiam pacta interceſſiſſe inter eos, fit veriſimile. Quum vero fluxa ſit hominum fides pariter & memoria, litteris pactorum formas mature cœpiſſe mandari, credere conuenit. Denique vt omnis a litteris ac teſtimoniis eiusmodi remoueretur fraudis ac fallaciæ ſuſpicio, aut ſigilla aut res certe iis homogeneas iam inde ab antiquiſſimis vsque temporibus adhibita eſſe oportet.

ET OMNIBVS FERE GENTIBVS COMMVNIS.

II. Euidentius id liquet ex omnium ferme gentium paullo moratiorum conſenſu. Siquidem dudum id inter eruditos conſtat, atque ex ipſa ratione pateſcit, res aut omnibus aut plerisque gentibus communes omnium antiquiſſimas, &, vt Dionis Chryſoſtomi verbis vtar, εὑρήματα βίου καὶ χρόνου eſſe. Iam vero non temere reperias gentem, apud quam non vel ſigillorum vel rerum ſigillis homogenearum vſus inualuerit. Certe monſtro ſimilia ſunt, quæ de Indis refert Strabo: (a) Καὶ ἐν τοῖς νόμοις δὲ ἐν τοῖς συμβολαίοις τὴν ἁπλότητα ἐλέγχεσθαι ἐκ τοῦ μὴ πολυδίκους εἶναι, ὅτε γὰρ συνθήκης ὅτε παραταθήκης εἶναι δίκας. ἃ δὴ μαρτύρων ἀδὲ ΣΦΡΑΓΙΔΩΝ ἀυτοῖς δεῖν, ἀλλὰ πιστεύειν παραβαλλομένοις. *In legibus & contractibus ſimplicitatem maxime eo argui, quod non multum habeant litium. nam neque commiſſi neque depoſiti iura vlla habere, neque teſtibus, neque* SIGILLIS *vti, ſed ſimpliciter* CREDERE. Id quod plane reſpondet voto Senecæ, (b) quod ſupra in optandarum potius quam ſperandarum rerum numerum retulimus. Ita enim ille: *Vtinam nulla ſtipulatio emtorem venditoremque obligaret, nec pacta conuentaque* IMPRESSIS SIGNIS *cuſtodirentur:* FIDES *potius illa ſeruaret, & æquum colens animus!*

HEBRÆI SIGILLIS VSI.

III. Verum enim vero vt gentium illarum, apud quas præcipue ſigillorum vſum deprehendimus, inſtituamus recenſum: agmen merito ducunt Hebræi, quorum inſtituta multis deinde aliis gentibus exempli inſtar fuere, ad quod ſuos mores componerent. Primum igitur veſtigium in hac gente iam circa Iudæ, Iacobi filii, tempora reperio, (c) quem conſtat Thamari, nurui ſuæ, fornicariam mentitæ, mercedemque concubitus poſcenti, pignoris loco dediſſe ANNVLVM *cum monili & virga.* Vbi quum in lingua ſancta ſit חותם non vero טבעת, Druſius, (d) Grotius (e) aliique Interpretes recte dicunt, intelligi hic ANNVLVM SIGNATORIVM, *vel ſi mauis* SIGILLATORIVM, *qui fere in dextra geſtabatur.* Sane enim vocem חותם charactere quodam ſignatum annulum notare, vel hoc argumento eſt, quod originem debet verbo חתם, quo non modo in Hebræa, ſed & in ceteris linguis orientalibus obſignandi actus deſcribitur. Chaldæis iſtud verbum hoc ſignificatu fuiſſe vſitatum, patet ex Daniel. VI, 17. Ita & Syrus Matth. XXVII, 66. illa Euangeliſtæ: σφραγίσαντες τὸν λίθον μετὰ τῆς κϰυφοδίας, ita reddidit ﻟﻠﺤﺠﺮ ﺧﺘﻤﻮﻩ ﻣﻊ ﺍﻟﺤﺮﺍﺱ ﻭﺍﻟﻘﺒﺮ. Et Rom. IV, 11. verba Pauli: σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίϛεως, Syriace ita effert: ܚܬܡܐ ܕܙܕܩܬܐ ܕܗܝ ܐܡܢܬܐ. Sed & Arabibus frequentiſſima ſunt خاتم *Sigillum* & ختم *obſignauit*, nec non Aethiopibus ማኅተም *ſigillum*, quæ omnia cum Radice Ebræa חתם & inde deriuato nomine חותם accurate conueniunt. Atque inde eſt, quod & ipſum notat characterem annulo impreſſum, & ab aliis annulis diſtinguitur. In libro Sebbole Lechoth (f) hæc legas: *Non licet mulieri exire in Sabbatho cum* ANNVLO, *qui habeat* חותם, CHARACTEREM, *ſed cum annulo, qui non habeat* חותם. *Quamobrem hoc loco* חותם ab Aquila interprete (g) redditum eſt τὴν

(a) STRABO *lib. 15. Geogr. p. 488.* (b) SENECA *lib. 3. de benef. cap. 15. p. 417.* (c) *Gen. XXXVIII, 18.* (d) DRVS. *ad h. l. p. 343. Tom. 1. Crit. S.* (e) GROT. *ibid. l. c. p. 343.* (f) *tract. 26.* (g) DRVS. *fragm. Interp. Vet. in pentat. p. 52. T. 1.*

τὴν ΣΦΡΑΓΙΔΑ σϐ: rectius ſane, quam a LXX, τὸν δακτύλιόν σϐ. Atque adeo ſigilla iam hoc æuo in Hebræa gente inualuiſſe, non dubitandum videtur Gorlæo. (a) Enimuero liquet id etiam ex aliis ſcripturæ locis quam plurimis. Sic enim Deus iubet binos illos lapides onychinos humeris pontificis maximi alligandos ita confici, vt nomina duodecim filiorum Iſraelis, in illis appareant, inſculpta מעשה חרש אבן פתוחי חתם *opere artificum &* SCVLPTORIS ANNVLI. (b) Id quod LXX appoſite admodum vertunt: γλύμμα ΣΦΡΑΓΙΔΟΣ, *cælaturam* SIGILLI. Onkelos: *Scripturam diſtinctam ſecundum* CÆLATVRAM SIGILLI. Ionathan: *Sculpturam impreſſam & diſtinctam ſimiliter vt* SCVLPTVRA SIGILLI. Quo ſpectat etiam hæc interpretatio R. Salomonis: *Inciſæ erant litteræ in medio eorum, quemadmodum incidunt* SIGILLA ANNVLORVM, *hoc eſt* ANNVLOS SIGILLATORIOS, *quibus obſignant litteras, ſcriptura nota & explicata.* Nec minus Salomonis Regis æuo ſigillorum mentionem fieri, animaduertimus in elegantiſſimo iſto & nitidiſſimo loco Cantici Canticorum: (c) *Pone me* כחותם *vt* SIGNACVLVM *ſuper cor tuum* כחותם *vt* SIGNACVLVM *ſuper brachium tuum, quia fortis eſt, vt mors, dilectio.* Vbi ſimul notanda veterum cura in cuſtodiendis ſignatoriis annulis adhibita, quos, vt ex hoc loco Salomonis liquet, vel collo appenſos in pectore gerebant, vel dextræ manus digitis immittebant, vt eo minus eſſet eos amittendi periculum. Hinc Salomon ad exprimendam ſummam Dei curam in ſeruanda eccleſiæ ſuæ memoria, non potuiſſet inuenire ſimilitudinem aptiorem illa, quam a ſigillorum cuſtodia deſumſit. Morem hunc porro in regno Iſraelitico fuiſſe continuatum, Iezabelis docet facinus, (d) quæ Nabothi vitæ ſtruens inſidias, litteris, Achabi Regis nomen mentientibus, annulum mariti impreſſit. Præterea Ieremiæ temporibus ſigillorum vſum Iudæos retinuiſſe, patet ex emtionis ſcheda, quam Propheta (e) ſignavit. Ipſe enim de ſe: *Et ſcripſi*, inquit, *in libro,* ואחתם *&* SIGNAVI *& adhibui teſtes, & adpendi argentum in ſtatera, & accepi librum poſſeſſionis* את־החתום SIGNATVM, *& ſtipulationes, & rata, & SIGNA forinſecus.* Accuratiſſime profecto hic deſcribitur publica inſtrumenta conſcribendi ſignandique ratio. Illud enim Iudæis ſolemne erat, vt bina ſemper fierent inſtrumenta, ſignatum alterum, alterum apertum, quod erat ἴσον pariculum, ſiue exemplum illius ſignati. Vnde Hieronymus ad hunc locum: *Vt aſſumat libros, vnum* SIGNATVM, *alterum* APERTVM. *Quæ emtionum conſuetudo hucusque ſeruatur, vt quod intrinſecus clauſum ſignacula continent, hoc legere cupientibus apertum volumen exhibeat.*

NVMETIAM IMAGINIBVS SIGNARINT?

IV. At operæ pretium videtur, hoc loco paullo diligentius inquirere, num Iudæorum ſigilla noſtris fuerint ſimilia, variasque ſimul in area imagines inſculptas habuerint? Quum enim paullo ſiniſtrius ſemper de imaginibus iudicarent Iudæi, quarum non tam vſum quam cultum legibus diuinis vetitum ſcire debuiſſent; merito dubium nobis relinquitur, an ceterarum gentium more varias imagines animalium in annulis ſuis ſignatoriis geſtarint. Quod ſi igitur ad Haſmonæorum Herodiadumque tempora reſpicio, quibus anilis Phariſæorum ſuperſtitio omnes cathedras polluere cœperat, tantopere Iudæorum gentem ab imaginibus omnibus abhorruiſſe comperio, vt illis locum in ſua republica plane non reliquerint. Haut difficile probatu id eſt ex Philone æque ac Ioſepho, quos conſtat iſti æuo & proximos fuiſſe, & inſtituta gentis ſuæ omnia ſatis comperta habuiſſe. Simpliciter certe Philo γραφικὴν καὶ πλαστικὴν vocat βλαβερὰς δημιουργὸς, id eſt *noxias artifices*, & ibidem abominanti ſimilis exclamat: μὴ ἄγαλμα, μὴ ξόανον, μὴ γραφὴν, *non effigiem, non ſimulacrum, non picturam.* Alibi (f) vero a lege Moſaica huic ſententiæ petit præſidium, eaque omnem imaginum vſum genti ſuæ interdictum ſcribit: ὁ Μώσης τὰς δοκίμους καὶ γλαφυρὰς τέχνας, ζωγραφίαν καὶ ἀνδριαντοποιίαν ἐκ τῆς καθ' αὑτὸν πολιτείας ἐξήλασεν. *Moſes illas ſpecioſas & magni pretii artes* PICTVRAM & STATVARIAM *ex ſua republica ſecluſit.* Eadem Ioſephi fuit de imaginum interdicto ſententia, qui facinus Pilati, ſigna Cæſaris imagine picta Cæſarea accerſentis, vocat καθάλυσιν τῶν νόμων Ἰουδαϊκῶν, *diſſolutionem legum Iudaicarum:* cauſſamque ſimiliter e Moſis lege deſumens, ſubiicit: εἰκόνων ποίησιν ἀπαγορεύοντος ἡμῖν τοῦ νόμου, *lege nobis prohibente confectionem imaginum.* (g) Quid? quod ne intueri quidem imagines fas eſſe credebant. Vitellio enim cum ſignis Romanorum per

(a) GORL. *præfat. ad dactylioth.* (b) *Exod. XXVIII, 11.* (c) *Cant. VIII, 6.* (d) *1. Reg. XXI, 8.* (e) *Ier. XXXII, 10.* (f) PHILO *lib. de gigant. p. 292.* (g) IOSEPH. *lib. 18. Ant. Iud. cap. 4.*

per Iudæam ducturo exercitum, etiam his verbis id diſſuaſere Iudæorum legati; ἐ γὰρ αὐτοῖς εἶναι πάτριον, περιορᾶν εἰκόνας εἰς αὐτὴν φερομένας: *non eſſe patriæ moribus receptum, illatas in illam imagines intueri.* (a) Eodem teſte, tam religioſa Iudæis illius æui patrii moris manſit cuſtodia, vt Herodi, trophæa in vrbe erigenti, rati ſimulacra ſe videre, aperte ſatis reſponderint: μὴ φέρειν εἰκόνας ἀνθρώπων ἐν τῇ πόλει. (b) *Non paſſuros ſe in vrbe hominum imagines.* Enimuero ex his locis, aliisque, quibus pleni vtique Ioſephi libri ſunt, non immerito colligere videmur, Iudæos omni illa tempeſtate, qua febriculoſis hiſce magiſtris mordicus adhærere cœperant, nefas habuiſſe, animantium aliarumque creaturarum imagines in annulis circumgeſtare. Certe enim quum & numos Hebræorum, hominum imaginibus ſignatos, tanquam ſuppoſititios & mendaces hoc argumento proſcripſerit ὁ πάνυ Conringius, (c) ſuamque ſententiam non ſine eruditorum adplauſu contra Hottingerum tuitus ſit: non video, quo pacto ſigillorum ſculpturæ in ſuperſtitioſa gente locum habere potuerint; ſiquidem, teſte Origene, (d) *apud Iſraëlitas nemo, qui imagines faceret, locum habuit, nec in eorum ciuitatem vllus admittebatur pictor, nullus ſtatuarius, lege totum hoc genus arcente.* Hinc magis fit veriſimile, eos litteris quibusdam vel litterarum ductibus in ſigillis eſſe vſos. Certius id liqueret, ſi aliqui Iudæorum annuli vetuſti tuliſſent ætatem, ex quibus forſan de ceteris iudicare liceret. Verum quum nusquam adpareant, coniecturis potius, quam ipſi rei veritati hic nobis eſt innitendum. Scio equidem, Cedrenum (e) nobis deſcribere ſigillum Chriſti, epiſtolæ ad Abgarum exaratæ impreſſum; ἐπιθεὶς ἐν τῷ τέλει καὶ ΣΦΡΑΓΙΔΑ γράμμασιν Ἑβραϊκοῖς ἐνσημανθεῖσαν ἑπτὰ, ἅτινα μεθερμηνευόμενα ταῦτα δηλοῦσι· ΘΕΟΥ ΘΕΑΘΕΝ ΘΑΥΜΑ ΘΕΙΟΝ. *Apponens in fine SIGILLVM, ſeptem litteris Hebraicis inſignitum, quæ explicatæ hæc conficiunt:* DEI SPECTATVM MIRACVLVM DIVINVM. Sed friuola hæc omnia eſſe & inepta, vel primo intuitu patet. Quis enim ſenſus verborum Græcorum, Chriſto dignus? Quis in ſoluendo hoc ænigmate Cedreno Oedipi operam præſtitit? Ex quibusnam tabulariis ipſum famoſæ illius epiſtolæ exemplar poſt tanti decurſum temporis producere potuiſſet auctor tam nouus? Eiusdem plane notæ eſt & alterum Chriſti ſigillum, quod in codice MSC bibliothecæ Vindebonenſis reperit Lambecius, (f) ſeptem his ſiglis compoſitum: ✝. Ψ. X. E. Υ. P. A. Vt adeo non facile ex his recentiorum hominum commentis de veterum ſigillorum Iudaicorum ratione coniicere poſſimus. Id tamen inde licebit colligere, impoſtores, quicunque demum ea ſigilla excogitarunt, compertam habuiſſe ſigillorum Iudaicorum faciem: atque inde non auſos ſigillum quoddam imaginem aliquam complexum, ſed nudis ſiglis litterisque exornatum Salvatori affingere. Si ſignum illud, quod in epiſtolis ſuis genuinis ſe exprimere ſcribit Paulus, (g) ſigillum quoddam fuiſſet, ceu nonnullis viſum eſt, non eſſet dubium, quin litteras ſolas etiam Paullus vſurparit. Verum id non ſatis perſpicuum eſt. Grotius (h) locum interpretatus, ſignum illud putat eſſe *certum quendam nexum litterarum, quo nomen ſuum ſcripſerit.* Quæ quum ita ſint, ſigilla Iudæorum, licet ea imaginibus plane caruiſſe, ex ſupra dictis non difficile probatu ſit, tamen ex hiſce, quæ adduximus exemplis, non ſatis cognoſcere licet, quia priora, quæ Chriſto tribuuntur, procul dubio ſunt ſuppoſititia, poſterius vero illud Pauli ſignum obſcurius, quam vt de ſigillo proprie ſic dicto poſſit explicari.

Atque hæc de Phariſæorum æuo dicta volumus. Exciſa Hebræorum republica, Phariſæis ſucceſſit ſuperſtitioſa Magiſtellorum Talmudicorum turba, quæ partim Phariſæorum ſcita propagauit, partim nouas excogitauit legis interpretationes, quas gentis ſuæ exilio magis exiſtimabat conuenire. Hinc & legem de imaginum interdicto, quam Phariſæorum æuo ſeuere admodum ſeruatam memorauimus, ipſi hi magiſtri veluti limitibus quibusdam circumſcripſere, ita vt non ſimpliciter omnem imaginum vſum damnarent, ſed *protuberantium* tantum cælaturam הצורה בולטת non item משוקעת *planarum* aut *cauarum*. Aperte R. Moſes Maimonides, (i) ex ſuæ gentis ſententia: *Non*, inquit, *eſt prohibitum formare imagines propter ornatum, præterquam hominis figuram. Atque eam ob cauſſam non eſt formanda e ligno, in pariete, aut e lapide figura hominis. Sed hoc capiendum de imagine hominis, quæ protuberat, quales ſunt figuræ & ſculpturæ in palatiis, & his ſimiles. Talem igitur ſi quis*

(a) IOSEPH. *lib. 18. cap. 7. Antiqv. Iud.* (b) Idem *lib. 15. Antiquit. Iud. cap. 11.* (c) CONRING. *cap. 5. Paradox. de num. Hebr. p. 28. ſq.* (d) ORIGEN. *lib. 4. adv. Celſ.* (e) CEDREN. *Synopſ. hiſtor. p. 145.* (f) LAMBEC. *lib. 5. Comment. de biblioth. Vindeb. p. 9.* (g) *2. Theſſ. III, 18.* (h) GROT. *ad h. l. p. 846. Tom. V. Crit. S.* (i) MAIMONID. *cap. 3. n. 12. de Idolol.*

quis fecerit, vapulat. Sin figura ſit depreſſa, vel coloribus expreſſa: vti illæ, quæ in tabulis menſisue fiunt, aut, quæ intextæ operi textorio, pro licitis habentur. Prætereo alias limitationes, quas Iudæorum Magiſtri comminiſcuntur, dudum recenſitas a Seldeno, (a) Grotio, (b) Conringio, (c) Marshamo, (d) Spencero (e) & aliis. Quod ſi igitur & hoc æuo in ſigillorum formam apud Iudæos inquiramus, non obſcure patebit, protuberantes in ſigillis imagines prohibitas, depreſſas vero licitas fuiſſe. Qua de re locus eſt admodum opportunus ille Maimonidis (f): *ANNVLVM, cuius ſignum eſt hominis figura, ſi ea ſit gibboſa, induere interdicitur obſignare tamen eo licet. Sin figura ſit depreſſa, licebit induere, obſignare eo non item; quippe ſigillo impreſſo figura fiet gibboſa.* Hæc ſcrupuloſi Iudæorum Magiſtri, ex quibus tota ſigillorum forma, iam inde a Talmudiſtarum æuo recepta, cognoſci poterit. Quodnam vero antiquiſſimis Iudæis ante captiuitatem Babylonicam ſigillorum genus fuerit vſitatum, non facile dixerim: licet & tunc ſigilla nudas litteras aut ſiglas continuiſſe credam, tum antiquorum ſimplicitate, tum præcipue Moſis teſtimonio (g) perſuaſus, quo operam ſculptorum annulorum non ad imagines, ſed litteras potius binis onychibus inſculpendas adhibitam fuiſſe narrat, indicio haut obſcuro, hac in arte eos quam maxime valuiſſe.

ÆGYPTIORVM SIGILLA.

V. Proximos Iudæis Aegyptios ponimus, inquifituri, num apud hos quoque ſigillorum vſus inualuerit? Atque hic quidem eo minus dubitandum putamus, quo certius conſtat, eam gentem & ſapientia & arte plus ceteris iam inde antiquiſſimis usque temporibus valuiſſe. Plinio (h) quidem auctori graviſſimo, aliud videtur, quippe qui non obſcure tum annulorum tum ſigillorum vſum Aegyptiis adimit. Ita enim ille: *Nullos omnino ANNVLOS maior pars gentium, hominumque, etiam qui ſub noſtro imperio degunt, hodieque habet. Non SIGNAT Oriens, aut Ægyptus etiam nunc, litteris contenta ſolis.* Enimuero mores eius gentis Plinium, hæc ſcribentem, non ſatis habuiſſe compertos, argumentis quam plurimis conſtat. Teſte enim Moſe, (i) Pharao annulum ſuum ſignatorium Ioſepho, a ſe Proregi conſtituto, tradidit. In Hebræo quidem textu ibi non eſt חותם de qua voce iam antea diximus, eam non quemuis annulum, ſed characterе inſignitum ſigillisque imprimendis adhibitum notare, ſed טבעת, quod quemuis annulum videtur exprimere: ex circumſtantiis tamen recte colligas, eum ſignatorium fuiſſe. Vnde Druſius (k) recte hoc loco annulum intelligit, *Ioſepho in ſignum conceſſæ poteſtatis traditum, quo Regum litteræ* SIGNABANTVR. Ioſephus (l) quoque eandem hiſtoriam referens, *annulum ſignatorium* interpretatur; id quod etiam facit Philo in vita Ioſephi, ita quippe Moſis verba p. 543. interpretatus: δίδωσιν ἓν αὐλῷ σφραγίδα βασιλικήν. *Dedit igitur illi ſigillum Regium.* Nec male colligit R. Salomo, *traditionem annuli ſignum eſſe, eum, cui traderetur, ſecundum a Rege futurum*, hoc eſt, annulo ſignatorio Regis decreta firmaturum, quod aliis in rebus publicis hodie Cancellarii facere ſolent. Immo in profanis ſcriptoribus non deſunt illuſtria loca, quæ Aegyptios antiquitus ſigillis vſos eſſe declarant. Herodotus, (m) pater hiſtoricorum, qui omnes Aegyptiorum ritus coram curioſe explorauit, ſigillorum vſum potiſſimum in ſacris apud eos obſeruatum adſerit. Huius locum paulo prolixiorem ſemel tantum, hoc eſt, Latine adſcribere iuuat: *Ægyptii boues mares Epaphi * eſſe cenſent, ideo bouem explorant: ac ſi pilum in eo nigrum vel vnum viderint, nequaquam mundum cenſent. Exquirit autem ſacerdos ad id conſtitutus, pecude cum ſtante, tum reſupinata, lingua etiam exſerta: inſpicit & caudæ pilos. Si ſit omnimodo mundus, notat eum biblo cornu alligato; Dein terra ſigillari applicata, ANNVLVM inprimit, & ſic abducitur victima. Qui non ſignatum immolat, morte punitur.* Iſti ſigillatores victimarum dicebantur σφραγισταὶ itemque μοσχοσφραγισταί. De iisque intelligenda ſunt illa Porphyrii: (n) μυρίαι δ' ἄλλαι παρατηρήσεις καὶ τῆς περὶ αὐλὰ τέχνης τῶν καλεμένων ΜΟΣΧΟΣΦΡΑΓΙΣΤΩΝ ἄχρι συντάξεων προάγουσα βιβλιακῶν. *Infinitæ ſunt huiusmodi obſeruationes* (de ſacrificiorum munditie) *& libri conſcripti ſunt, de illorum arte, qui VICTIMARVM SIGILLATORES vocantur.* Adde quod Plutarchus, (o) qui & ipſe horum ſigillatorum meminit, formam etiam ſigillorum in ſacris adhibi-

a) SELDEN. *lib. 2. I. N. cap. 6. 7. 8.* b) GROT. *ad Exod. XX.* c) CONRING. *de numis Hebr. p. 34.* d) MARSHAM. *ſæcul. 9. Can. Chron. p. 164.* e) SPENCER. *lib. 3. diſſ. 5. c. 7. de Leg. Hebr. p. 1153.* f) MAIMON. *cap. 3. de Idololatr. n. 13.* g) *Exod. XVIII. 11.* h) PLIN. *lib. 33. Hiſt. N. cap. 1.* i) *Gen. XLI, 42.* k) DRVS. *not. maior. ad h. l. p. 657. T. I. Suppl. Crit. S.* l) IOSEPH. *lib. 2. Antiqv. Iud. cap. 3.* m) HERODOT. *lib. 2. cap. 38.* * *Ita Græcos adpellare Apim, patet ex eiusdem* HERODOTI *lib. 2. c. 153.* n) PORPHYR. *lib. 4. περὶ ἀποχ. n. 6.* o) PLVTARCH. *de Iſid. & Oſir. p. 363. tom. 2.*

adhibitorum describit: *Sacerdotes*, (ita inquit,) οἱ σφραγισαὶ *dicti*, *bouem*, *qui immolandus est*, *SIGILLO IMPRESSO notabant*. *In sculptura autem sigilli*, *vt refert Castor*, *exprimebatur homo in genua prouolutus*, *manibus post tergum deductis*, *ense iugulo imminente*. Quæ quum ita sint, aut fallere Plinium, aut certe sigillorum vsum apud Ægyptios in imperii potius sacrisque negotiis, quam in priuatorum contractibus invaluisse, dicendum erit.

PERSARVM SIGILLA.

VI. Ægyptios excipiant Persæ & Medi, quorum in republica sigillorum vsum obtinuisse, vel ipsæ sacræ paginæ nos ignorare non patiuntur. E Danielis (a) Prophetia æque ac Estheris (b) historia liquet, Regum decreta iuxta legem Persarum Medorumque edita immutabilia plane ac æterna fuisse. (c) Vbi forma ista faciendarum legum, a qua tantum pondus mutuabantur decreta Regia, hæc fuisse videtur Grotio, (d) quod non Regis tantum, sed & Principum signis munirentur. Idque factum etiam legimus in obsignando muniendoque lapide, leonum specui obiecto, in quam immissus fuerat Daniel. *Allatus enim est lapis vnus & positus est super os laci: quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.* (e) Magnam certe & insignem fuisse sigillorum apud Persas auctoritatem, vel hoc argumento esse poterit, quod nullum decretum Regium ratum esset, nisi annulo Regio insignitum, nec e contrario infringi posset id, quod hac parte sanum ac integrum adpareret. Nouerat id Lacedæmoniorum legatus, de quo Xenophon: (f) ἐπιστολήν τε ἔφερε ποῖς κατὰ πᾶσι τὸ ΒΑΣΙΛΕΙΟΝ ἔχεσαν ΣΦΡΑΓΙΣΜΑ. *Epistolam secum attulit ad omnes*, (Asiæ inferioris homines,) REGIVM *habentes* SIGNVM. Patet hoc etiam ex sacro Estheris libello. (g) Nam quum Rex Mardochæo id dedisset negotii, vt diploma suo nomine expeditum, etiam Regio annulo obsignaret, mox addit, epistolis Regis nomine missis illiusque annulo signatis neminem contradicere ausum. Id quod Iosephus (h) ita elegantissime eloquitur: τὰς γὰρ ἀναγνωσθμένας τὰς ὑπὸ τῦ ΒΑΣΙΛΙΚΟΥ ΣΗΜΑΝΤΗΡΟΣ ἠσφαλισμένας ἐπιστολὰς ἀδὲν περὶ τῶν ἐγγεγραμμένων ἐναντιώσεσθαι. *Confirmatas enim* REGIO SIGNACVLO *litteras auctoritatem habituras apud omnes, qui eas legerint, & contradicturum eis neminem.* Miratus hanc sigilli Persici auctoritatem Alexander Magnus, Persarum Victor, auctore Curtio, (i) *litteras, quas in Europam mitteret, veteris annuli gemma obsignabat: iis, quas in Asiam scriberet, Darii annulus imprimebatur.* Quod licet ignari in malam partem raperent, omenque, *quod a victoris insignibus in deuicti transisset habitum*, vererentur: patet tamen, eum huius facti habuisse rationes. Quemadmodum enim omne nouum imperium inuidiam habet: ita prouide cauere voluit Alexander, ne & Europæi diplomata alio, quam veteri annulo, obsignata vocarent in dubium, & Asiatici, Darii sigillo adsueti, nouo annulo firmata contemnerent. Quale Persici annuli ἐπισφράγισμα fuerit, plerique auctores tacent. Solus illud, quantum memini, his verbis attigit Scholiastes Thucydidis: ἡ ΣΦΡΑΓΙΣ τῦ Περσῶν βασιλέως ἔιχε κατὰ μέν τινας τὴν βασιλέως εἰκόνα, κατά δὲ τινας τὴν Κύρε τῦ πρώτε βασιλέως αὐτῶν, κατὰ δέ τινας τὸν Δαρείε ἵππον, δι' ὃν χρηματίσαντα ἐβασίλευσεν. SIGILLVM *Regis Persarum habuit vel Regis imaginem, vel Cyri, primi eorum Regis, effigiem, vel Darii equum, per quem hinnitum edentem Rex factus est.* Verum quo minus has sigillorum sculpturas ad posteros eius & successores transiisse putemus, facit illustris Polianni (k) locus, quem integrum huc transferre juvat: Ροδογένη λεομένη τὰς τρίχας ἐρρύπλετο. ἦκέ τις ἀγγέλλων ἔθνος ὑπήκοον ἀφέσηκεν, ἡ δὲ ἐκ ἀποκρυψαμένη τὰς τρίχας, ἀλλὰ, ὡς εἶχεν, ἀναδησαμένη, τόν τε ἵππον ἀνέβη, καὶ τὴν στρατιὰν ἐξήγαγε καὶ ὤμοσε, μὴ πρότερον ἀποκρύψαι τὰς τρίχας, εἰ μὴ κρατήσειε τῶν ἀποστάντων, καὶ δὴ πολλῷ χρόνῳ πολεμήσασα, ἐκράτησε. Μετὰ τὴν νίκην ἐλέσατο, καὶ τὰς τρίχας ἀπεκρύψατο. τοῖς Περσῶν βασιλεῦσι ΣΦΡΑΓΙΣ ΒΑΣΙΛΙΚΗ εἰκών ἐστι ἀναλελυμένην τὰς τρίχας ἔχουσα Ροδογένην. *Rhodogune lauans crines abstergebat. Venit quidam, nuncians, subditam gentem defeciisse. Illa non abstersis capillis, sedita, vt erant, reuinctis, equum conscendit, & exercitum eduxit, iurauitque, non ante se crines purgaturam, quam a defectoribus victoriam reportasset, longoque tempore bellum ducens, tandem victoria potita est. Post victoriam lauabat, & crines colligebat. Vnde Persarum REGVM SIGILLVM etiamnum imaginem impressam habet Rhodogunem, disiectis capillis præditam.* Discimus inde, iam a Rhodogunes æuo ad ætatem Polyæni, qui sub Antoninis vixit, Persarum, Parthorumque Regibus placuisse, impexum Rhodogunes caput in sigillatoriis annulis circumgestare.

VII. Ne

a) *Dan. VI, 8. 12. 15.* b) *Esth. I, 18.* c) BRISSON. *lib. 1. de regn. Pers. p. 25.* d) GROT. *ad Esth. I, 18. p. 233. tom. 2. Crit. Sacr.* e) *Dan. VI, 17.* f) XENOPH. *lib. 1. ἑλληνικ.* g) *Esth. VIII, 8.* h) IOSEPH. *lib. 11. c. 6.* i) CVRT. *lib. 6. c. 6.* k) POLYÆN. *Stratag. lib. 8.*

CYRENENSIVM.

VII. Ne ceterarum quoque barbararum gentium ſigilla curioſius, quam promiſeram, videar luſtrare, ſolos addo Cyrenenſes, quos ad oſtentationem vsque ſigillis vſos eſſe comperio. Auctorem huius rei habeo Ælianum, (a) cuius hæc verba ſunt: Ὁμολογεῖ δὲ καὶ Ἄυπολις ἐν τῷ Μαρικᾷ, ὅς τις αὐλῶν (Κυρηναίων) ἐυτελέςαλος ΣΦΡΑΓΙΔΑΣ εἶχε δέκα μνῶν. παρὴν δὲ θαυμάζεθαι καὶ τὲς διαγλύφονλας τὲς ΔΑΚΤΥΛΙΟΥΣ. *Teſtatur etiam Eupolis in Marica, contemtiſſimos apud eos (Cyrenenſes) & abiectiſſimos decem minarum pretii SIGILLA habuiſſe. Mirabili etiam arte ſculpebant ANNVLOS.*

GRAECORVM ΘΡΙΠΗΔΕΣΤΑ.

VIII. Iam miſſis barbaris ad Græcos tranſimus, apud quos ſignandi morem antiquiſſimum, ſigillorum vſum paullo recentiorem inuenio. Quamuis enim Homerus nec annulorum nec ſigillorum vllam mentionem fecerit, licet & epiſtolarum gratia miſſitatos codicillos indicet, atque inde recte colligat Plinius, (b) annuli vſum Troianis temporibus ignotum plane fuiſſe: vſos tamen eſſe Græcos quadam re, ſigillis veluti homogenea, e multis auctoribus locupletiſſimis conſtat. Adhibuere nimirum Lacones ligna a vermibus exeſa, loco typi, quem ceræ imprimerent, (θριπήδεςα & θριπέβρωλα vocarunt,) quemadmodum ex Heſychio, Etymologici auctore, Euſtathio ad Odyſſeam, Suida & Theophraſto (c) docent Meurſius, (d) Claudius Salmaſius, (e) & Ioannes Kirchmannus. (f) Hic ſimpliciſſimus ſignandi mos quemadmodum ad Theophraſti vsque ætatem viguit, atque adeo diutiſſime a Græcis ſeruatus eſt, certe a τοῖς σφόδρα οἰκονομικοῖς. ita ſero admodum in eius locum annulos ſucceſſiſſe adparet. Quod a quonam primo factum ſit, docent præcipue Herodotus (g) & Pauſanias, (h) cuius verba audire iuuat: Διεχεᾶν δὲ χαλκὸν πρῶτοι, καὶ ἀγάλμαλα ἐχωνώσανλο Ροικός τε Φιαίε, καὶ Θεόδωρος Τηλεκλέες, Σάμιοι. Θεοδώρε δὲ ἔργον ἦν καὶ ἐπὶ τῇ λίθε τῆς ΣΜΑΡΑΓΔΟΥ ΣΦΡΑΓΙΣ, ἣν πολυκράτης ὁ Σάμε τυραννήσας ἐφόρη λε τὰ μάλιςα. *Aes primi fuderunt & ſimulacra conflarunt Rœcus Phiæi F. & Theodorus Teleclis F. Samii. Theodorus autem & gemmæ SMARAGDO SIGILLVM incidit, quam Polycrates, Samiorum tyrannus, frequentiſſime geſtauit & plurimum ea delectatus eſt.* Quum igitur Polycrates Samius, cui iſte Theodorus δακτυλιογλύφος æqualis fuit, Olympiade LXII. vna cum Sylo & Pantagnoſto fratribus tyrannidem apud Samum exercuerit, vt diſerte in Chronico tradit Euſebius; (i) perſpicuum ſane eſt, annulorum ſignatoriorum, aut certe ſculpturarum gemmis inciſarum, vſum toto, quod hanc Olympiadem præceſſit, tempore in Græcia plane fuiſſe incognitum, atque ab eo demum tempore ſenſim inualuiſſe. Enimuero intelligendum hoc videtur de ſigillis gemmeis, quæ Polycratis ævo primum cœpiſſe, facile largimur. Nam ſigilla iam antea ipſos quoque Samios vſurpaſſe, docet Æſopi vaticinium, quo ex annulo publico ab aquila rapto & in ſerui ſinum demiſſo futuram Samiorum ſeruitutem diuinauit, teſte Maximo Planude. (k) Quod diu ante Polycratis tempora contigiſſe oportet, ſiquidem iam Olympiade LIII a Delphis occiſus ſit Æſopus, teſte Euſebio. Adde, quod nonnullis Lacones olim Samiorum gloriæ interceſſiſſe, ſibique inuentorum ſigillorum tribuiſſe laudem videntur, quippe quos ideo laudari exiſtimant a Iuuenale (l) hoc verſu:

ANNVLI SIGNATORII.

Et Lacedæmonium pytismate lubricat orbem.

Sed cum de hoc verſu mire diſſentiant inter ſe Critici, (m) nec ſatis conſtet, quid voce *pytismate* ſibi velit Iuuenalis: merito rem in medio relinquimus. Certe Lacedæmonios fere primos Græcorum litteras certo aliquo ſigno contra impoſtorum malas artes munire conſueuiſſe, ſupra ex Kirchmanno vidimus. Iisdem ea quoque laus veluti propria fuit, quod res publica eorum certo charactere vſa eſt, quo tabulæ publicæ a privatorum litteris diſtinguerentur, dummodo vera ſcribit Ioſephus, (n) exemplum proferens litterarum, quas Spartiatarum Rex Areus ad Oniam, Iudæorum Pontificem Maximum, perſcripſerat. Ibi enim addit hanc clauſulam, quam quidem in Maccabæorum libro priore, (o) ubi eadem epiſtola recenſetur, fruſtra quæras: *Demoteles eſt, qui has vobis reddit litteras in pagina quadrangula ſcriptas, & OBSIGNATAS AQVILAE SIGILLO, draconem tenentis vnguibus.* Sed quum Ioſephi fidem in deſcribenda Arei Laconis epiſtola in dubium vocent Ioſ. Scaliger (p) & Daniel Huetius, (q) eumque hanc æque ac illam Ionathanis epiſtolam interpolaſſe fe-

a) AELIAN. *lib. 12. var. hiſt. cap. 30. p. 591.* b) PLIN. *lib. 33. hiſt. natur. cap. 1.* c) THEOPHR. *lib. 5. hiſt. cap. 1.* d) MEVRS. *ad Lycophr. Caſand.* e) SALMAS. *p. 933. ad Solin.* f) KIRCHM. *lib. de annulis cap. 2. p. 5.* g) HERODOT. *lib. 3. Hiſtor.* h) PAVSAN. *in Arcadic. p. 306.* i) EVSEB. *Chron. fol. 53. edit. Sichard.* k) MAX. PLANVD. *in vita Aeſopi.* l) IVVENAL. *Satyr. 11.* m) *vid.* POLITIAN. *c. 38. Miſcell.* n) IOSEPH. *lib. 12. antiqv. Iud. cap. 5.* o) *1. Maccab. XII, 19.* p) SCALIGER. *lib. 3. canon. Iſag.* q) HVET. *propoſ. 4. demonſt. euang. c. 8. p. 174.*

ſe ferant, in eam fere ſuſpicionem deuenimus, totam hanc de ſigillo laciniam Ioſephum epiſtolæ adſuiſſe, quum ipſum eum vidiſſe autographum non ſit veriſimile. De Græcis plura haut addimus, quum ipſæ eorum ſuperſint gemmæ, ipſi annuli, quorum plures collegerunt Gorlæus, Licetus, Gronouius, Begerus & alii.

SIGILLA ROMANORVM.

IX. De Romanis, ad quos omnis Græcorum elegantia veluti in exſilium eiecta ſenſim commigrauit, non multum laborandum nobis videtur, vt eos ſigillis vſos eſſe demonſtremus. Ipſæ ſiquidem in promtu ſunt eorum leges, ſigillorum auctoritatem fulcientes; *ipſi annuli, ** nobiliſſimæ veteris elegantiæ reliquiæ, auctorum denique loca tam copioſa, vt facile vel ſingulari commentario ſufficerent. Inſtituti ergo noſtri memores, hanc quidem partem nunc non attingemus, ad mediam ætatem tranſituri, quam nobis vel præcipue propoſuimus conſiderandam.

BYZANTINORVM CAESARVM.

X. Eundem deinde ſignandi morem ſuum fecere Byzantini Cæſares, quorum tanta fuit in oſtentandis opibus ambitio, vt more adhuc inſueto non modo cerea, verum etiam plumbea, argentea, aurea ſigna chartis ſuis adpenderent, quaſi ſigilla imprimentium potius maieſtati, quam litterarum auctoritati conſulere deberent. Sigilli aurei cuſtodia penes magnum Logothetam, cerei plumbeique penes *παρακοιμώμενον τῆς σφενδόνης* fuit, vt docet Codinus Curopalates, (a) quos intelligit & Theodoſius Imperator, (b) *ſanciens, vt ii, qui peragendis* SIGNANDISque *Reſponſis ſuæ manſuetudini obſecundent, omnium vilium munerum fierent exſortes.* Veteris palatii ordinem ac officia ſtudioſe admodum imitati ſunt Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui hodienum hoc miniſterio tam copioſo ſplendorem miſeriæ ſuæ induunt. Hinc & in patriarchalibus ædibus quidam ſe offert titulo logothetæ, *isque habet*, Leone Allatio (c) auctore, *in facultate* SIGILLVM *Antiſtitis, quo epiſtolas ſignat.* Quod docet etiam Ordo S. Magnæ Eccleſiæ, a Iac. Hoaro (d) inter cetera Græcorum Ritualia editus, in quo hæc occurrunt: Ὁ *λογοθέτης ἱπποκρατῶν τὴν* ΒΟΥΛΛΑΝ *τῦ Ἀρχιερέως, καὶ εἴ τι ἂν γράφει ἀρχιερεὺς* ΣΦΡΑΓΙΖΕΤΑΙ *παρ' αὐτῦ. Logotheta Pontificis* SIGILLVM *ſeruat, & quidquid ſcripſerit pontifex, ab illo* SIGILLO MVNITVR. Ceterum, quæ de Conſtantinopolitanorum Cæſarum, Patriarcharumque ſigillis dici hic poterant, ſequentibus capitibus reſeruamus.

FRANCORVM.

XI. Ab his ad Francos, vt plerique alii mores, ita & ſigillorum vſus tranſiit, apud quos iam ante ſuſceptam religionem Chriſtianam ſigillandi morem inualuiſſe, vel ex ipſo Childerici annulo ſupra laudato poterit eſſe perſpicuum. Ex eo tempore plura ab his Regibus emanarunt diplomata, ſigillis munita, quorum bonam partem Aimonius aliique idonei auctores ſeruarunt. Multum etiam nos iuuant collectiones antiqui monachi S. Dionyſii, Dubleti, Labbei, & qui ipſa autographa ſumma cura delineata dedit, celeberrimi Mabillonii, horum inquam labores multum nos iuuant, cum ad demonſtrandum ſigillorum vſum, tum ad ipſas ſigillorum formas ac ſculpturas accuratius pernoſcendas, licet vel maxime ipſa diplomata in ſuſpicionem nuper adduxerit ſagaciſſimus P. Bartholomæus Germon. Tam accurate enim cauſſam dixit laudatus Mabillonius, vt vix quidquam ſupereſſe dubii videatur.

GERMANI AN ANTIQVITVS SIGILLIS VSI.

XII. Germanorum res atque antiquitates ante Francorum tempora deſcriptæ non fuerunt. Tanta enim vbique barbaries inualuerat, vt non niſi in iis partibus Germaniæ, quæ Francorum imperio ſubeſſent, nonnunquam monachi litteris quædam conſignare cœperint. Multo pauciora diplomata a Germanorum principibus ſcripta ſuperant, Carolino ævo antiquiora. Vt adeo ſatis certo definire non liceat, notane ſigilla ante illa tempora fuerint Germanis, nec ne. Equidem iam ante natum Chriſtum Germanos non modo ſigillis, ſed

* *Præter eas, quas primi capitis ſub initium dedimus, plures alias ſtudioſe collegit atque enodauit* HOPINCK. cap. I. de Iure ſigill. p. 8. ſq. *ad quem, ne in ICtorum caſtra videamur irrupiſſe, Lectorem remittere iuuat.* ** *Annulos multos in Dactyliotheca ſua ſpectandos offert* ABR. GORLAEVS, *plures in noua editione adiecit* GRONOVIVS V. CL. *ad quem curioſos talium rerum amandamus. De Lipſianis illis, quos in Commentariis ad* TACITI lib. 3. p. 81. *delineatos atque ab* HADRIANO IVNIO & GORLÆO *repetitos reperimus, diuerſa ſentiunt eruditi, eosque plane e ſigillorum claſſe eliminat* SALMASIVS ad Solin. p. 932. *& pro meris clauibus habet. Vid. &* Kirchm. c. 3. de ann. p. 12. *Exſtat tamen clauis alia eiusmodi annularis ap.* P. CLAVDE DV MOLINET. dans le Cabinet de la bibliotheque de Sainte Genneuiene. a) CODIN. *de offic. Palat. Conſtant.* b) *L. 14. Cod. Theod. de extraord. munerib.* c) LEO ALLAT. *lib. 3. c. 8. de perpet. conſenſ. orient. & occident. eccleſiæ n. 16.* d) IAC. GOAR *Euchol. p. 270.*

ſed eiusdem generis ſigillis, quæ hodie adhibentur, vſos eſſe dicendum videretur, ſi genuinum eſſet ſigillum illud Rhæticum, quod tum, cum Hetruſci hanc regionem tenerent, Bucelino (a) teſte, vſurparunt, hac notatum perigraphe: SIGNVM. CONCILII. RHAETIAE. Sed quum ipſe Bucelinus ſe putridas Inghirami lacunas hic fateatur hauſiſſe: nemo non videt, quid de ipſo ſigillo ſtatuendum ſit, cuius typum dare eum non piguit. Hinc ante Carolina tempora vix certi quidquam de Germanorum ſigillis dici poſſe exiſtimo. De priuatis hominibus non loquor, quippe quos ne Francicorum quidem Cæſarum temporibus ſigillis vſos eſſe conſtat. Sed quid de tot Regulis Boiariorum, Thuringorum, Saxonumque dicemus? hos ſane ſigillis caruiſſe minus videtur veriſimile. Colligere enim id mihi quodammodo videor ex litterarum commerciis, quorum hinc inde in auctoribus exſtant veſtigia. Sic enim Theodericus, Rex Oſtrogothorum, litterarum commercium inſtituit cum Regibus Herulorum, Guarnorum, Thoringorum, ad quos eius epiſtola exſtat apud Caſſiodorum. (b) Idem Rex cum Herminafrido, Thoringorum Rege, cui neptem Amalberg deſponderat, ſæpius per epiſtolas familiariter videtur colloquutus, vt vel ex ſola epiſtola, quam idem ſeruauit Caſſiodorus, (c) liquet. Præterea apud Caniſium (d) exſtat Donationum breviarium, anno, quo Carolus M. Boica potitus, ab Arnone epiſcopo conſcriptum, quod præclarum vetuſtatis monimentum vocat Marcus Velſerus, (e) quemadmodum & aliud breuius *inſtrumentum antiquiſſimum ſuper variis donationibus præſertim Theodonis & ſucceſſorum Monaſterio S. Petri factis erectum anno Chriſti 798. ab Arnone archiepiſcopo*, ſplendido Operi Hiſtoriæ Salisburgenſis inſeruit P. Ioſephus Mezgerus. (f) Iſta monimenta plurimarum ſuppeditant donationum notitiam, quas omnes ex vetuſtis litteris Boicorum principum petiiſſe Arnonem, credere par eſt. Ex his monimentis recte colligas, quum Reguli Germaniæ ante iſta tempora litterarum cum exteris gentibus inſtituerint commercium, quumque donationes eccleſiis factas ſuis litteris teſtati ſint, omnino etiam adhibuiſſe aliquid, quo epiſtolas ad exteros mittendas clauſerint, quoque diplomatibus ſuis fidem atque auctoritatem conciliarint. Enimuero ſigillane proprie ſic dicta fuerint, an aliud quidquam, ſigillis homogeneum, nondum liquet. In diplomatibus certe nudas ſubſcriptiones tantum, etiam Carolingorum temporibus a Ducibus & Comitibus plerumque eſſe adhibitas, comperio, idque præclarum illud Thaſſilonis Boici Ducis (g) diploma teſtatur, vt & alia a Ludolpho, Duce Saxonico, Gandersheimenſi parthenoni conceſſa, (h) nec non tot Comitum tabulæ, a Goldaſto, Piſtorio, Frehero, (i) aliisque ſtudioſe recenſitæ, demonſtrant. Sed alia ratio fuiſſe videtur litterarum ad exteros deſtinatarum, quas ſigillis confirmari ipſa ratio iuſſit. Elegantem ea de re locum inuenire mihi nuper viſus ſum in Venantii Fortunati Carmine de excidio Thuringiæ, quod ex codice MSCto Treuerenſi edidit Chriſtophorus Browerus, ex eaque editione integrum Antiquitatibus ſuis Regni Thuringici inſeruit Caſpar Sagittarius. (k) Ibi enim Radegundis, e Thuringicorum Regum proſapia ſuperſtes, Amalfredi patruelis Herminafridi Regis filii, Conſtantinopoli agentis, deſiderio accenſa ita loqui fingitur:

Hinc potius crucior validis onerata querelis,
Quum mihi nulla tui mittere ſigna velis?
Quem volo, nec video, FINXISSET EPISTOLA VVLTVM,
Aut loca, quæ (h) *retrahunt, ferret IMAGO virum.*

Si recte capio Venantium, hoc ſibi vult Radegundis, ſe magno excruciari dolore, quod ne litteras quidem ab Amalfredo accipiat, id enim ſibi ſolatio fore, ſi vel in ſigillo epiſtolæ impreſſo imaginem tam dilecti ſibi iuuenis intueri liceret. Quum igitur Amalfredus gente fuerit Germanus, ab eoque Radegundis exſpectet imaginem ſigillo inciſam: perſpicuum ſane eſt, ſigillorum vſum iam multo ante Caroli M. tempora principibus Germanis fuiſſe notum pariter & obſeruatum. Quæ vero poſt Carolingorum tempora ratio inualuerit, in ſequentibus capitibus pluribus erit dicendi locus.

a) BVCELIN. *Rhæt. ſacr. & prof. p. 15. 16.* b) CASSIODOR. *lib. 3. variar. epiſtolar. 3.* c) *Idem lib. 4. var. epiſt. 1.* d) *Annot.* ARNON. EPISC. *tom. 1. antiqu. Lect.* e) VELSER. *l. 4. rer. Boicar. p. 112.* f) MEZGER. *lib. 6. hiſtor. Salisb. claſſ. 2. p. 1040.* g) *ap.* MEIBOM. *tom. 3. rer. Germ. p. 192.* h) *ap.* BODON. *in Syntagm. de monaſt. Gandersh.* i) FREHER. *in Chron. Lauresb. tom. 1. rer. Germ. p. 481. 483.* k) SAGITTAR. *lib. 2. c. 14. p. 325.* l) *Legas* quem.

ANGLI PAVLO TARDIVS DIPLOMATA SIGNARVNT.

XIII. Proximos Germanis ſtatuimus Anglos, quæ gens, ex quo Chriſto ſemel nomen dedit, nec rerum geſtarum gloria, nec prudentia vlli ceſſit. Enimuero apud hos paullo ſerius ſigilla adhibita conſtat, ſiue quod de fide ſua ſecuri externa eiusmodi ſigna reſpuerent, ſiue quod ita conſtitutam haberent rempublicam, vt nulla perfidia illis videretur metuenda. Sane GuilielmumNothum vndecimo demumChriſti ſæculo ſigillorum vſum inuexiſſe inAngliam, auctor eſt Ingulphus: (a) *Chirographorum*, inquiens, *confectionem Anglicanam, quæ antea vsque ad Edwardi Regis tempora fidelium præſentium ſubſcriptionibus cum crucibus aureis, aliisque ſacris ſignaculis firma fuerunt, Normanni condemnantes Chirographa chartas vocabant: & chartarum firmitates cum CEREA IMPRESSIONE per vniuscuiusque ſpeciale SIGILLVM ſub inſtillatione trium aut quatuor teſtium adſtantium conficere conſtituebant.* Equidem Carolus du Freſne (b) locum hunc allegans, Ingulphum de penſilibus tantum ſigillis loqui exiſtimat, ſed quis non intelligit, illum potius ſimpliciter adſerere, quod ante Normannorum ætatem Angli loco ſigillorum vſi tantum ſint ſubſcriptionibus diplomatum, crucibus aureis, aliisque eiusmodi ſignis, quæ *ſignacula ſacra* vocat? In quo licet erret Ingulphus, quum ante Guilielmum Nothum, cuius ſigillum deſcribit Seldenus, (c) etiam Eduardus Confeſſor diplomatibus ſuis ſigilla adpendiſſe dicatur auctori vitæ S. Albani: (d) vel id tamen ex Ingulphi teſtimonio liquet, ante Normannorum ætatem iſtum morem non adeo familiarem in Anglia fuiſſe. Ceterum vt conſtet, quo pacto Angli diplomata crucibus munire conſueuerint, finem diplomatis Athelberti Dei gratia Regis Anglorum, quod ſeruauit Spelmannus, (e) adſcribere iuuat:

Actum eſt hoc in ciuitate Dorouerni Anno ab incarnatione Chriſti 605. Indictione 8. Ego Athelbertus Rex Anglorum hanc donationem meam SIGNO SANCTÆ CRVCIS propria manu confirmaui, Ego Adelbaldus Regis filius favi, Ego Humgiſillus Dux laudaui, Ego Hocca Comes conſenſi, Ego Angemundus referendarius approbaui, Ego Graphio Comes benedixi, Ego Trangiſilius Regis Optimas confirmaui, Ego Pinea conſenſi, Ego Geddi corroboraui.

MATVRIVS WISIGOTHI

Haut paullo maturius Wiſigothi Hiſpanorum Reges ſigilla ad confirmandam diplomatum auctoritatem vſurparunt. Iam enim ſeptimo ſæculo Flauius Eruigius Rex in Concilio Toletano XIII legem ſolemni forma promulgauit (f) hac clauſula communitam: *Huius igitur legis noſtræ decretum, quod in confirmatione huius ſacri concilii noſcitur promulgatum glorioſæ manus noſtræ exaratione ſubſcripſimus & ad perennem memoriam valorem ei perpetuum innodamus.* Procul dubio hac formula intelligit ſigillum decreto additum, id quod valorem perennem vocat. Colligimus id ex voce *innodamus*, quam plane hoc loco inconuenientem eſſe adparet, niſi de ſigillo, quod antiquitus lineo ligamento epiſtolis affigebatur, accipiatur. Certiora ſuppetunt de ſequentibus regibus, quos & aureas bullas loco ſigillorum adhibuiſſe, ex Matthæo Paris, (g) Florentino Wigornicenſi (h) & Marca (i) probat Carolus du Fresne.

PONTIFICVM ROMANORVM SIGILLA.

XIV. Pontifices Romani, quando cœperint litteras bullis ſigillisque communire, ob antiquitatem non adeo certum exploratumque videtur. Auctorem habeo Polydorum Vergilium, (k) Pontifices initio ceræ impreſſiſſe annulos, idque feciſſe adhuc Agathonem, deinde vero quum multa irrogarent priuilegia, vt diplomata diuturniora forent, placuiſſe Stephano tertio, ac deinde Hadriano primo, tabulas apoſtolicas plumbo obſignare circa annum ſalutis DCCLXXII. Satis proinde antiquum eſſe morem, quo Romani Epiſcopi litteras obſignabant, ac ipſarum litterarum eccleſiaſticarum origini æqualem, vltro fatemur. At vero id ridiculum eſt, quod non defuere, qui annulum, quem piſcatoris vocant, ipſi Petro, primo ſcilicet Pontifici, tribuant, vnde F. Bongratia: (l) *ANNVLO PISCATORIS*, inquit, *S. Petrus vſus fuiſſe creditur.* Sed a quonam quæſo creditur, niſi a Bongratia, eique ſimilibus? Tranſeat igitur nugiuendus.

HVNGARORVM REGVM ET ALIARVM GENTIVM.

XV. Sed vt cetera abſoluamus, prodeant iam Hungari. Hos nimirum etiam ſuſcepta religione Chriſtiana ſigillis vti cœpiſſe, fidem facit Andreæ Regis edictum, aurea bulla ſignatum. Nec minus id obſeruarunt Ruſſi, ſiue Moſcouitæ, quorum ſigillum antiquius

a) INGVLPH. *hiſt. Croylandens. p. 901. inter hiſtoric. Anglic. conf.* CAMDEN. *Britann. p. 340.* b) CAR. DV FRESNE *part. 3. Gloſſ. Latin. p. 852.* c) SELDEN. *ad Eadmer. p. 166.* d) VIT. S. ALBANI *p. 52.* e) SPELMAN. *Concil. Angl. f. 119. conf. eund. p. 256.* f) *ap.* BIN. *tom. 3. part. 2. p. 293.* g) MATTH. PARIS. *p. 584. 598.* h) FLORENT. WIG. *p. 357.* i) MARCA *l. 7. hiſt. Beneharn. c. 8.* k) VERGIL. *lib. 8. de inuent. rer. p. 605.* l) F. BONGRAT. *in ſummul. ſelect. qv. regular. p. 14.*

tiquius deſcribit Baro Sigismundus de Herberſtein. (a) Adde Danos, Suecos, Polonos, Langobardos, Siculos ceterasque per Europam gentes ac respublicas, quorum paſſim ſigilla apud auctores laudantur.

TVRCÆ, PERSÆ, INDI IMAGINIBVS NON SIGNARVNT.

XVI. Sed hæc de Chriſtianis. Quid vero de Mahumedanis dicamus, an & hi ſigillis proprie ſic dictis vſi ſunt olim, aut vtuntur etiamnum? Antiquos, qui ad Græcos mores procliviores plerumque erant, a ſigillis non abhorruiſſe conſtat Sultanorum Iconienſium exemplo, quos & aureis bullis litteras confirmaſſe, docet Ducheſnius (b) ex eoque Carolus du Fresne. Sed quum hoc Duchesnii opus nunquam mihi viſum ſit: nec coniicere poſſum, nudisne litteris, an adiecta ſculptura iſtud ſigillum inſignitum ſit. Poſteris ſane temporibus Turcarum Imperatores ab imaginibus abhorrere, litteræ eorum teſtantur, ſigilla præ ſe ferentes, nullis inſignibus, (lunam enim, quam vulgo Turcarum inſigne volunt, plane huc non pertinere, Schefferus (c) notauit,) ſed nudis litteris notata, & maioris venerationis cauſſa aureo panno, ſi ad Reges dirigantur, inuoluta. (d) Meminit quoque Paulus Iouius (e) litterarum aurea bulla ſignatarum, quas Ferdinandi I. legatis conceſſit Solimannus. Huius ſiue ſigilli, ſiue typi tanta eſt apud Turcas auctoritas, vt ſummis Viſiris eius cuſtodia ſoleat demandari. (f) Nec tamen huic ſigillo locus eſt, niſi in litteris ad Reges exteros mittendis, aut ſecretis negotiis. Patentia enim diplomata, veluti ad Baſſas, tribunos & alios miniſtros deſtinata ſolo notantur ſigno Cæſaris, ſeu monogrammate, quod Humaium, hoc eſt, *manucodiatam* vocant. Teſtatur id Salomon Schweigerus, (g) qui ipſas Sultani litteras ſibi conceſſas, integras delineatas dedit, vbi iſtud monogramma hunc in modum conſpicitur:



Quod ſignum decepiſſe nonnullos videtur, (h) vt Turcas plane ſigillis carere dicerent, forſan quod inter litteras patentes & ſignatas nullum diſcrimen ſtatuendum putarent. Eadem apud Perſas hodie initur ratio, quos non minus ac Turcas a ſigillis, quibus imago inſculpta eſt, abhorrere, auctor eſt Olearius, (i) cuius verba addo: Der König Sofi führet in ſeinem REICHS-SIEGEL, welches kaum ſo groß als ein halber Thaler, lauter Schrifft, und zwar in der Mitten dieſes Inhalts: Dem einigen GOTT, ſein Sclave bin ich Schach-Sofi von Hertzen. Auff dem Rande herum: Aaly, es mag einer von dir ſagen was er will, ich bin ſtets dein Freund. Wer für deſſen Thür ſich nicht als Staub und Erden achtet, wenn er auch ein Engel wäre, über deſſen Haupt ſey Staub und Erde. Qualia & apud Tauernierium, Chardinum, aliosque inueniuntur. Sed & apud Indos magni Mogolis numi, vexilla, ſigilla & quidquid apud nos certa imagine inſignitur, non niſi litteras & varios eorum ductus oſtendunt. Adeo enim ii, qui Mahumedi ſacris ſe dedere, ab omni imaginum genere abhorrent, vt eas nec ament omnino, nec ferant.

ATTAMEN IIS VTVNTVR SINENSES.

XVII. Tres tamen ex his barbaris gentibus excipias, quas ſigillis proprie ſic dictis vti comperio. Primo quidem Sinenſes, quorum Regi ſigillum placet præferens draconem barbatum & cornutum. De quo eleganter Lambecius: (k) *Eſtque ibi*, inquit, *inprimis notatu dignum, inter habitus Regii pretioſiſſima ornamenta præcipuum obtinere locum Draconem barbatum & cornutum, eumque Regum & regni Sinici proprium inſigne eſſe, quemadmodum aquila inſigne eſt Imperatoris & Imperii Romano-Germanici. Cauſſa autem, cur Si-*

 nenſes

a) HERBERST. *l. 1. de reb. Moſcov.* b) DV CHESNE *probat. Hiſt. Duc. Burgund. p. 136. ap.* CAR. DV FRESNE *tom. 1. p. 640.* c) SCHEFFER. *de antiquis veriſque Regni Sveciæ inſignibus cap. 4.* d) BVSBEQV. *ep. 1. p. 116.* e) PAVLL. IOV. *lib. 30. hiſtor. p. 191.* f) BVSBEQV. *ep. 2. p. 157.* g) SCHWEIGER. *lib. 3. cap. 2. p. 235. itiner.* h) BOEM. HVBAN. *lib. 2. de Aſia p. 149.* i) OLEAR. *lib. 5. itiner. Perſic. c. 29.* k) LAMBEC. *Append. l. 7. Comment. de bibl. Vindebon.*

nenſes illud inſigne ſibi elegerint, eoque in publicis monimentis religioſisſime vtantur, hæc eſt, quod ſecundum vulgarem quandam fabulam vnus ex antiquis eorum Regibus tali inſidens draconi cum barba longa & cornibus, qualis hic in ſchemate pectorali habitus Regii cernitur, in aërem adſcenderit. Quo pertinent etiam ea, quæ hanc in rem diſſerit P. Kircherus. (a)

IAPANENSES. Deinde Iapanenſes, apud quos non modo Rex, ſed ipſæ quoque ciuitates & pagi nobiliores ſigilla adhibent, certa figura, veluti ſtellis, capite apri, luna, cilindris, globulis, aliisque huiusmodi rebus notata, atque accurate deſcripta ab Arnoldo Montano. (b) Denique ab Orientalium Africanorumque principum conſuetudine vt religione, ita & moribus diſcedunt Abeſſini, quorum Rex in conſignandis litteris vtitur ſigno leonis, crucem tenentis,

ABESSINI. cum epigraphe: VICIT LEO DE TRIBV IVDA. Habemus eius rei auctorem Iobum Ludolphum, (c) virum, dum vixit, noſtri amantiſſimum, & cui reſtitutam Æthiopicarum rerum notitiam tota, quam late patet, litteraria respublica merito refert acceptam. Vnde merito ſuſpecta habita eſt legatio Chadja Morad, qui quum Anno MDCXCVI tertia vice Batauiam veniret, a Rege Habeſſiniæ miſſum ſe ferens, litteras, quas vocant credentiales, attulit, multa νοθεύσεως veſtigia præferentes. Vt enim omittam idioma Arabicum, angulum e charta Mahumedanorum more reciſum, Hegiræ vſum apud Habeſſinos minime receptum: ſigillum non præferebat ſcutum aliquod, aut imaginem iſtam, quam a Regibus vſurpatam diximus, ſed nigro colore in fronte litterarum receptum, per orbem hanc continebat perigraphen: *Sultan Adjam-Saghed. Filius Aelaf-Saghedi e ſtirpe Salomonis Dauidica.* In medio vero circulo hæc verba: *Ieſus Filius Mariæ*, quæ formula tamen Habeſſinis maxime ignota, quippe pro qua vſurpare ſolent: *Ieſus Chriſtus Dei & Mariæ Filius*. Ex quibus colligit B. Ludolphus, hanc epiſtolam malæ notæ eſſe, & ſtudio Chadja Morad a Mahumedano quodam confictam, qui quum religioni ſibi duceret Chriſtum vocare Dei filium, eius loco formulam excogitauit: *Ieſus Mariæ filius.* Sed ipſam hiſtoriam prolixius enarratam reperiet Lector a Domino Tenzelio, (d) quem euoluiſſe non pœnitebit.

CONCLVSIO HVIVS CAPITIS. XVII. Tædioſum forte videretur & ab inſtituto noſtro alienum, per certas gentes barbaras vagari, eorumque ſigilla luſtrare curioſius. Quamobrem iis nationibus hæc tractanda relinquentes, ad quas frequentius iſtinc litteræ deferuntur, ad ipſàm potius ſigillorum materiam æuo medio adhibitam tranſimus.

CAPVT QVARTVM.
DE
MATERIA IN SIGILLIS ADHIBITA,
& primo quidem
DE
BVLLIS AVREIS.

I. Principum litteris merito ornamenta varia accedunt.
II. Hinc Cæſarum Byzant. diplomata encauſto ſubſcripta.
III. Diplomata aureis litteris conſcripta.
IV. Præcipuum ornamentum bullæ aureæ, quarum origo euoluta.
V. Recenſus aurearum bullarum iuxta Imp. Rom. Germ. ſeriem.
VI. An & exteri Reges auro ſignarint?
VII. Diuerſa bullarum aurearum quantitas.
VIII. Negotia, in quibus bullarum aurearum vſus fuerit, recenſentur.

I.

PRINCIPVM LITERIS MERITO ORNAMENTA ACCEDVNT

MAteriam, cui ſigilla medio æuo imprimi conſueuerunt, ſpectaturis, non aliunde nobis ordiri licebit, quam ab ipſo auro, metallorum præſtantiſſimo, quod Principibus ad oſtentandam maieſtatem viſum eſt aptiſſimum. Quum enim litteræ principum muti veluti eorum legati ſint, quibus voluntatem ſuam abſentibus indicatam volunt: congruum eſſe iudicarunt, etiam externo quodam ſplendore litterarum auctoritati conſulere, ut lectores primo veluti intuitu cogantur maieſtatis principum ſummique eorum imperii meminiſſe.

II. Factum

a) KIRCHER. *Chin. illuſtratæ p. 25. 32. 41.* b) MONTAN. *part. 2. legat. memorab. ad Iapan. p. 333.*
c) LVDOLF. *lib. 2. cap. 1. hiſt. æthiop. n. 41. 42.* d) TENZEL. *Dial. Menſtr. anno 1698. p. 379.*

HINC DIPLOMATA ENCAVSTO SVBSCRIPTA.

II. Factum inde est, vt quidquid excogitari posset elegantiæ, in antiquorum principum litteris maioris momenti obseruatum esse adpareat. Imp. Constantinopolitani, quo & colore litterarum a vulgo se distinguerent, diplomata sua vel encausto, hoc est sanguine conchæ siue purpuræ, vel cinnabari subscripsere. Huiusque pærogatiuæ suæ tam fuerunt tenaces, vt perduellionis subirent supplicium, qui isthoc colore in litteris vterentur. Qua de re præter Pancirollum (a) & Kirchmannum aliosque singulari dissertatione accurate agit ill. Strykius. Sic Nicetas (b) Manuelem Cæsarem litteras rubro munitas Constantinopolin misisse tradit. Et Lib. VI, ait, *Sultanum Persiæ Regem Imperatori Constantinopolitano inanes magnorum munerum pollicitationes, quod* RVBRICATIS QVIDEM LITTERIS *inscriberentur, sed exigua præberentur, obiecisse.* Gregorius quoque II. Papa in Epistola I. ad Leonem Isaurum Imperatorem (c) ait, se accepisse ab eo litteras, in quibus ἔσωθεν ἀσφαλεῖς ὑπογραφὰι διὰ KINNABAPEΩΣ ἰδιοχειρὸι (αὐτᾶ) ὡς ἔδιξαϛ τοῖς βασιλεῦσιν ὑπογράφειν, *accuratæ intus subscriptiones* PER CINNABARIM *propria manu eius, vt mos est Imperatoris subscribere.* Id ipsum & de Michaële Seniore Palæologo constat, quem Romæ in æde Spiritus S. ecclesiæ Romanæ subiectionem iurantem, syngrapham præterea conchylii sanguine subscriptam dedisse, auctor Vueuero, Monachus Leodiensis. (d) Sed & eius pronepos Andronicus II. aureæ bullæ Henrico Duci Brunsuicensi concessæ & ab Henrico Meibomio in lucem editæ rubris litteris subscripsit. (e). Ex quibus adparet, Imperatorem non alio ac isthoc colore siue encausto, cuius in locum, Pachymere (f) teste, Cinnabaris deinde succesſit, scribere solitum. Idque tam religiose obseruatum est, vt nec Tutoribus quidem Imperatorum impuberum isto liquore scribere liceret, quibus potius viridi colore vtendum fuit, teste Niceta. (g) Enimuero labente orientali imperio, quum Romanam aquilam & alæ & pennæ sensim destituere cœpissent, iste mos a Palæologis paullatim contemtius habitus est. Auctorem enim habeo Nicephorum Gregoram, (h) Michaëlem Seniorem ius encausto vtendi, quod sibi adhuc veluti proprium retinuerant Cæsares, etiam Andronico filio indulsisse, a quo deinde ad alios quoque sensim transiisse credibile est. Adeo nihil est tam rarum atque venerabile, quod non interiecto tempore diuturno vsu veluti vilescat, & a palatiis ad ipsas priuatorum casas ac tuguria paullatim deuoluatur.

DIPLOMATA AVREIS LITERIS CONSCRIPTA.

III. At multo magis splendoris rationem in litteris suis olim habuerunt nostri Imperatores, quippe qui, procul habito Orientalium encausto, (si maiestas imperii postulare hoc videretur,) ipsum aurum scribendo adhibuerunt. Vt enim pauca tantum huius generis diplomata referam, tale est illud Arnulfi Cæsaris, quod Anonymus Hasenritanus (i) vocat *chirographum* AVREIS LITTERIS *inscriptum.* Tale est Ottonis I, aureis literis exaratum, apud Baronium & Conciliorum Collectores, (k) quo iura omnia Romanæ Ecclesiæ dicitur confirmasse; tale est & illud Henrici II, quod Paderbornensi Ecclesiæ, eiusque Episcopo Meinwerco concessit anno MXIV, aureis litteris distinctum, teste Nic. Schatenio. (l) Sed & in illustri Corbeiensium archiuo litteræ mihi visæ sunt Conradi III, datæ anno MCXLVII, aureisque litteris membranæ purpureæ inscriptæ, quarum etiam meminit Kleinsorgius. (m) In eodem thesauro, si Schatenio (n) fides, latet & aliud Friderici I. diploma, datum anno MCLII, non minus splendide consignatum, quod tamen, nescio quomodo, festinantis oculos fugit. Nec tamen putandum est, tam propriam fuisse nostris Imperatoribus hanc magnificentiam, vt non & alii principes illam sibi vindicarint. Incompertum quidem sibi esse fatetur Mallinckrotius, (o) an & Græcis huius generis diplomata in vsu fuerint: mirum tamen esse addit, si in hoc nostrates molliculos illos & arrogantes magnificentia superarint. Sed non est, quod de ea re amplius dubitemus. Diserte enim memoriæ proditum est a Wippone Presbytero, (p) Græcorum Imperatorem aureis litteris legationis causſam Conrado I. Imperatori scripsisse. Albertus quoque Stadensis (q) mentionem facit epistolæ Manuelis Græcorum Imperatoris, *scriptæ* AVREIS LITTERIS. Omitto alia testimonia, quibus pleni sunt veterum historicorum libri. Præter Constan-

a) PANCIROLL. *Rer. deperd. p. 15.* b) NICET. *lib. 1. vit. Manuel.* c) *Acta Syn. Nicen. II. act. I. ap.* BIN. *Tom. III. Concil. part. 1. p. 462.* d) WEWERO *epitom. Chronic.* e) MEIBOM. *Tom. 1. Rer. Germ. p. 476.* f) PACHYM. *lib. 8.* g) NICETA *lib. 7.* h) NICEPH. GREG. *lib. 4.* i) *ap.* GRETSER. *in Ep. Eistet.* k) BIN. *Tom. III. part. 2. p. 150.* l) SCHATEN. *lib. 5. Annal. Paderb. p. 499. Tom. I.* m) KLEINSORG. *lib. 6. Chron. Westphal.* n) SCHATEN. *lib. 8. annal. Paderb. p. 790. T. I.* o) MALLINKROT. *de Cancellar. Imp. p. 117.* p) WIPPO *Vit. Conrad. Imp. p. 438.* q) ALBERT. STAD. *ad ann. 1179. p. 624.*

Constantinopolitanos etiam morem hunc obseruarunt Langobardi. Sic Paulus Warnefridus (a) de Ariperto: *Hoc*, inquit, *tempore Aripertus Rex Langobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quæ quondam ad ius pertinuerunt Apostolicæ sedis, sed a Langobardis multo tempore fuerant ablatæ, restituit, & hanc donationem* AVREIS *exaratam* LITTERIS *Romam direxit.* Denique & Turcas diplomata præstantiora æque ac Alkoranum suum auro vbique distingvere, αὐτόπτης testis est ὁ πάνυ Tenzelius. (b) Ex quibus manifestum esse poterit, quanta cura olim principes, inprimis Imperatores nostri, litteris suis auctoritatem conciliare studuerint.

PRAECIPVVM ORNAMENTVM BVLLAE AVREAE, QVARVM ORIGO EVOLVTA.

IV. Quæ igitur ratio summorum Cæsarum Regumque litteras auro exornari, eadem & bullas aureas adpendi iussit. De quarum antiquitate dici non potest, quæ sint sententiarum diuortia. Carolus du Fresne, (c) Francorum gloriæ paullo studiosior, earum inuentionem his potius quam Byzantinis tribuere velle videtur. Cui præluſit Polydorus Virgilius, (d) ita de origine harum bullarum differens: *Constat, ante Carolum Magnum Imperatorem litteras* AVRO OBSIGNASSE *principum Romanorum neminem.* Bernhardo vero a Mallinckrot (e) vix dubitandum videtur, quin a Constantinopolitanis Imperatoribus bullæ ad hos promanarint. Denique doctissimus Thulemarius (f) adfirmare non dubitat, Byzantinos a Francis bullarum aurearum vsum accepisse. Nostrum non est tantas componere lites. Id sane adfirmare haut vereor, argumenta, quibus tum Carolus du Fresne, tum laudatus Thulemarius ad vindicandum Francis hunc honorem vtuntur, non satis solida videri. *Primo* enim id vrgent, non succurrere in historia Græca quempiam, qui huiusmodi bullas vsurparit, ante tempora Theophili, Michaëlis filii, Imperatoris Constantinopolitani, sub quo earum primum meminerit Cedrenus. Iam vero illum æqualem fuisse Ludovico Pio, quem aureis bullis vsum paullo post erit perspicuum. Sed esto, Cedrenum earum primum meminisse, inde sane non sequitur, etiam non antea illas fuisse in vsu. Germanorum etiam bullas aureas quam sero commemorarunt historici? & tamen constat ex ipsis eorum diplomatibus, eas dudum fuisse vsitatas. Quod si nobis tam larga suppeteret diplomatum Græcorum copia, quanta Germanicorum suppetit, minus dubitarem, quin plura eorum aureas bullas appensas sint habitura. Deinde Illustr. Thulemarius diplomata veterum Regum Francorum allegat, quorum in *Adparatu ad stemmata Lotharingica* non manipulos, sed integram messem collegit Franc. Rosiarius. Sed fidem illius auctoris dudum apud eruditos laborantem vel illa pauca mihi suspectam reddunt, quæ ex eo refert Dn. D. Becmannus: (g) *Fr. Rosiarius profert non solum Pipini Regis & Sigeberti, sed Dagoberti etiam chartas plures, aureis sigillis roboratas, & quod maius est, scuta in sigillis exhibentes iuxta regulas hodiernæ fecialium scholæ insignita.* Ecquis enim credat, iam Merovingicorum æuo solenne Regibus fuisse, arma gentilitia in sigillis vsurpare? Plane hoc esse incredibile, ex iis adparebit, quæ infra ea de re dicenda erunt. Quæ quum ita sint, non tuto Rosiarii fide nitemur, optimeque consuluit existimationi suæ laudatissimus Thulemarius, dum & ipse suspicionem suam de dubia horum sigillorum fide non tacuit. Nondum igitur confectum his rationibus puto, a Francis ad Græcos aureæ bullæ vsum transiisse. At nos habere videmur rationes, cur Græcis potius earum inuentarum laudem tribuamus. *Initio* enim constat, etiam apud Francos aureas bullas vocatas esse *Byzantia.* Petrus Saniulianus in Tornutio (h) affert diploma Caroli Calui, nondum Imperatoris, quod ita clauditur: *Manu nostra propria eam firmauimus & bullis nostris subinsigniri iussimus. Cui quidem diplomati,* (ait idem scriptor,) *adpensum erat sigillum aureum* (BYZANTIVM *adpellant veteres tabulæ eiusdem monasterii,*) *in cuius antica Regis protome, in altera eiusdem Caroli monogramma conspiciuntur.* Iam igitur merito quærendum videtur, cur aureas bullas BYZANTIA vocarint? Mea quidem sententia non alia videtur huius nominis ratio dari posse, quam ea, quod Franci bullarum aurearum vsum primum a Byzantinis acceperint. Sic enim & nummorum genus, quorum vsum a Constantinopolitanis accepere, teste Wilhelmo Malmesburiensi, (i) vocarunt *Byzantinos.* Quidni eandem habuerint rationem, aureas quoque

a) PAVL. DIAC. *lib. 6. de gest. Lang. cap. 28. p. 1184.* b) TENZEL. *dial. menstr. an. 1690. p. 826.* c) DV FRESNE *part. 1. Gloss. Lat. p. 639.* d) VERGIL. *lib. 8. de invent. rer. p. 605.* e) MALLINK. *de Cancell. Imp. p. 116.* f) THVLEMAR. *cap. 2. de bullis aureis.* g) BECMANN. *diss. 7. Synt. dignit. cap. 3. p. 753.* h) *p. 510. ap.* CAR. DV FRESNE *p. 639.* i) GVIL. MALM. *lib. 4. de gestis Reg. Angliæ.*

quoque bullas *Byzantia* appellandi? Deinde mores Græcorum Cæſarum nobis perſuadent, eos primo omnium aureas bullas inueniſſe. Tanta enim fuit eorum ſiue magnificentia ſiue mollities & luxuria, vt & a longo titulorum ſyrmate litteras ſuas inchoarent, & ad ſcribendum initio encauſtum, mox cinabarim adhiberent, & litteras pretioſo panno inuoluerent, & ſigilla denique non modo auro, verum etiam, vt paullo poſt audiemus, gemmis exornarent. Vt paucis dicam, nihil eſt ab his principibus prætermiſſum, quo epiſtolis ac diplomatibus ſplendor accedere poſſe videbatur. At enim apud Francos omnia initio ad bella potius, quam ſplendorem compoſita. Litteræ eorum, quæ pro antiquiſſimis venditantur, nihil habent affectatæ magnificentiæ. Apices ſatis negligenter ductos, nullam vel orthographiæ, vel ſyntaxeos rationem habitam, atramentum plane vulgare adhibitum, annulum Regium ceræ duntaxat impreſſum notabunt omnes, qui Mabillonii ſpecimina Merovingicorum diplomatum, ad quæ cetera omnia tanquam ad Lydium lapidem exigenda putat, paullo accuratius conſideraverint. Vtros ergo bullas inueniſſe aureas eſt credibilius?

RECENSVS DIPLOMATVM IMP. GERM. AVREIS BVLLIS MVNITORVM.

V. Libet hoc loco aurearum bullarum inire recenſum, quum multæ ſe mihi obtulerint a Thulemario non obſeruatæ, vt conſtet, morem auro ſignandi ab ipſis fere Germanici Imperii originibus ad noſtram vsque ætatem viguiſſe. Et CAROLI M. quidem bullam auream genuinam nondum obſeruaui, licet eum Polydorus Vergilius (a) illa primum vſum eſſe tradat. Scio equidem, Venetos gloriari, ſe libertatis ſuæ privilegia a Carolo M. conſequutos, quod diploma, aurea bulla munitum, vidiſſe ſe teſtatur Albericus de Roſſate. (b) Sed quum res videatur paullo maioris momenti, necinter eruditos omnino ſit exploratum, an illud diploma fidem mereatur, quum nondum lucem viderit, merito rem cum ſagaciſſimo Gryphiandro (c) in medio relinquimus. Sed & famoſum illud diploma pro libertate Friſica exaratum, quod poſt alios exhibuit Guicciardinus, (d) aureæ bullæ hunc in modum meminit: *Et vt hoc laudabile factum noſtrum robur obtineat æternæ firmitatis, nec a nobis, nec a noſtris ſucceſſoribus, ſeu a quocunque alio aliquatenus infringi poſſet, vel etiam indubium reuocari valeat----præſentem paginam exinde conſcribi, &* BVLLAE AVREAE *munimine in teſtimonium omnium horum roborari fecimus.* Verum dudum eſt, ex quo hoc diploma prudentioribus ſorduit. At magis notabiles ſunt bullæ Caroli M. & Pipini, vni præcepto, quod Farfenſi Monaſterio miſerant, adpenſæ, ſi fides auctori Chronici eius loci apud Cheſnium, (e) qui & aliarum binarum Guidonis & Lamberti, Imperatorum, meminit. Sed quum dudum omnes perierint, furto ablatæ ab Ildebrando de Matenario: de earum γνησιότητι iudicare nemo poteſt, quod alias ſuo more feciſſet Mabillonius. (f) LVDOVICI PII binæ præcipue bullæ aureæ memorantur, altera ab Agobarto Lugdunenſi, (g) altera a doctiſſimo Mabillonio. (h) Exſtat & bulla eiusdem Imperatoris apud Erpoldum Lindenbrogium, in priuilegiis Archiecclesiæ Hamburgenſis, (i) vbi & ipſam ſatis eleganter depictam inuenimus, ſed num aurea ſit, an ex alio metallo confecta, incompertum habemus, (*) CAROLI CALVI *chartas auro bullatas* allegat Sugerius Abbas, apud Dubletum. (k) Quibus geminas binas ex Saniuliani Tornutio, & ſpicilegio Dacheriano producit Carolus du Freſne. (l) Sed & ipſe Mabillonius (m) aliam profert, aliam Ioannes a Leydis. (n) ARNVLPHI Imperatoris bullæ aureæ memorantur ab Anonymo Haſenritano. (o) Vt adeo mireris, Mallinckrotio, tantæ lectionis viro, ea loca minus comperta fuiſſe, alias enim non ſcripſiſſet: (p) *Apud veteres Francorum Reges, quod quidem obſeruarim & meminerim, BVLLAE AVREAE in vſu non fuerunt.* Et paullo poſt: *Ab Imperatoribus noſtris Germanicis vetuſtiſſimis, puta Francicis, ſiue Carolingis & Ottonibus, quique intermedii fuerunt, non reperio* BVLLAS AVREAS *adpenſas eſſe, vel ſi quæ earum ſunt, mihi vel non repertæ, vel certe per incuriam neglectæ fuerunt.* Sane non minus falſa ſunt illa, quæ de Saxonicis, quam quæ de Francicis Imperatoribus ſibi perſuaſerat, licet vel maxime in eo præeuntem ſequutus ſit Beniaminum Leuberum. (q) OTTONIS enim I. bulla aurea eſt

a) POLYD. VERGIL. *lib. 8. de inuent. rer. p. 605.* b) ALB. DE ROSATE *in l. 1. C. de ſumm. Trinit.* c) GRYPHIAND. *cap. 35. de Weichbildis Saxon. p. 88.* d) GVIICCIARD. *deſcript. Belg. p. 176.* e) CHRON. FARF. ap. DV CHESNE *p. 670. ſq. Tom. III.* f) MABILLON. *lib. 2. de R. D. c. 16. n. 16. p. 1641.* g) AGOBARD. *lib. 6. de inſolentia Iudæor.* h) MABILLON. *cap. 11. rei diplomaticæ ſupplem.* i) LINDENBROG. *n. 1. p. 126. Scriptor. ſeptentrional.* *) *Tab. I. n. 8.* k) DVBLET. *p. 873.* l) DV FRESNE *part. 1. Gloſſ. Lat. p. 639.* m) MABILLON. *cap. 11. ſupplem. de re dipl.* n) IO. a LEYD. *lib. 6. Chron. Belgic. c. 4.* o) *ap.* GRETSERVM *in Epiſc. Eyſtetenſ.* p) MALLINK. *de Cancell. Imp. p. 116.* q) LEVBER. *Stapul. Magdeb. n. 1572.*

apud Goldaſtum: (a) OTTONIS III. apud Mabillonium. (b) HENRICI SANCTI aurea bulla laudatur in Chronico Caſſinenſi. (c) Et alia eccleſiæ Paderbornenſi conceſſa ab auctore vitæ B. Meinwerci, (d) quam tamen P. Nicolaus Schatenius, (e) qui integrum diploma protulit in lucem, non quidem auream, ſed inauratam eſſe refert. Ex eo tempore longe frequentior apud Germanos fuit bullarum aurearum vſus: inprimis Salicorum Sueuorumque Cæſarum ætate. CONRADVM SALICVM bulla aurea, anno M. XXXVIII. Monaſterio Caſſinenſi bona omnia confirmaſſe, auctorem habeo Baronium, (f) qui &HENRICVM III idem feciſſe anno MXLVII, e chronico Caſſinenſi (g) tradit. (h) HENRICI IV bullæ aureæ occurrunt in eodem chronico Caſſinenſi. HENRICI V apud Baronium, vbi huius Imperatoris renunciationem Iuris Inueſtituræ recenſet, atque Abbatis Vrſpergenſis exemplar ſupplet. CONRADI III auream bullam Traiectenſibus conceſſam laudat Buchelius, (i) aliam Corbeienſibus datam perquam magnificam producit Kleinſorgius, (k) alias denique ex Samuelis Guichenoni bibliotheca Sebuſienſi & Ioannis a Boſco Vienna allegat Carolus du Freſne. (l) Sed non poſſum non hic monere, Kleinſorgium de aurea bulla aut incomperta ſcripſiſſe, aut certe feliciorem nobis fuiſſe. Vidimus enim nuper Corbeiæ illud aureum Conradi diploma, pergameno purpureo litteris aureis inſcriptum, quo nihil poteſt excogitari ſplendidius, at aurea bulla non adeſt, foramina tamen pergameno inciſa faciunt nobis coniecturam, vt adfuiſſe eam, poſteaque, (quæ eſt auri ſacra fames) furto ablatam putemus. Filius Conradi erat HENRICVS, quem a patre imperio deſtinatum, & iam diademate incinctum, properantibus fatis mors in ipſo ætatis flore exſtinxit. Et hunc quoque aurea bulla in litteris ad Concilium Rhemenſe vſum eſſe, auctor eſt Otto Friſingenſis. (m) De FRIDERICO porro Ahenobarbo, qui imperii maieſtatem felici induſtria reſtituit, res omni dubio caret. Exſtat illius diploma, (n) quo Henrici Leonis proſcripti ducatus Weſtphaliæ Philippo, Colonienſi Archiepiſcopo, adſignatur, cuiusque in fine Imperator: *Hanc*, inquit, *noſtram conſtitutionem præſenti priuilegio AVREA excellentiæ noſtræ BVLLA inſignito corroboramus*. Herbipolenſes ab eo priuilegiorum ſuorum confirmationem obtinuiſſe ſub aurea bulla, auctor eſt Caſp. Bruſchius. (o) Pertinet huc etiam diploma Friderici I anno 1156. exaratum, aureaque bulla munitum, cuius accuratam deſcriptionem ſæpius laudato Mabillonio (p) debemus. Eiusdem generis eſt bulla Friderici I aurea, cuius meminit Browerus. (q) Porro aurea bulla ſignatum eſt diploma, quo Henrico Leoni comitatum Vtonis & foreſtum in montanis Hart confert. (r) Vt & aliud, quo anno 1155. limites diœceſeos Conſtantienſis deſcribit. (s) Romanos quoque, anno 1176, huic glorioſiſſimo Imperatori reconciliatos, id inter cetera pactos eſſe tradit Godefridus Monachus, (t) vt *Dominus Imperator faciat inde priuilegium cum* SIGILLO AVRI. Denique hic locum etiam ſibi depoſcunt aureæ Friderici I bullæ, tum qua Auſtriacum Ducatum erexit, quam accuratius in Chronico Auguſtenſi recenſet Thomas Haſſelbach (u) & Bœclerus, (x) tum illa, qua pactum cum Wilhelmo Siculo iniuit apud Baronium. (y) HENRICI VI diplomata haud adeo multa exſtant, quæ ab aureis bullis mutuentur ſplendorem, nec tamen nulla huius generis eum edidiſſe, docet illud Vltraiectinum apud Buchelium. (z) Mortuo illo, magno animorum motu de imperio inter ſe contenderunt Philippus Svevus & Otto, Henrici Leonis filius, eo tamen euentu, vt Imperium, quod alter alteri inuidebat, vtrique fortuna deſtinaſſe videretur. Vterque horum aureis ſigillis maieſtati ſuæ conſuluit. PHILIPPI quidem auream bullam his verbis deſcribit Gelenius: (aa) *In fine dependet ex filo ſerico* SIGILLVM AVREVM, *ab vna parte habens templum tergemina inſignitum turri---ab altera parte ſedet Imperator in ſolio regio tenens dextra ſceptrum, ſiniſtra orbem mundi.* OTTONI vero IV natales debet aurea bulla, qua Pontificum Romanorum priuilegia coram rata habuiſſe fertur. (bb) Sequitur FRIDERICVS II, cuius tot ſunt

bullæ

a) GOLDAST. *tom. I. Conſtit. Imp. p. 216.* b) MABILL. *l. c.* c) CHRON. CASSIN. *lib. 2. cap. 31.* d) *p. 32. ap.* BROWER. e) SCHATEN. *lib. 5. annal. Paderb. tom. 1. p. 409.* f) BARON. *tom. XI. p. 131.* g) CHRON. CASSIN. *lib. 2. c. 81.* h) BARON. *tom. XI. p. 154.* i) BVCHEL. *in not. ad Wilhelm. Hedam. p. 166.* k) KLEINSORG. *lib. 6. Chron. Weſtf.* l) DV FRESNE *part. 1. Gloſſ. Lat. p. 640.* m) OTTO FRISING. *lib. 1. de geſt. Frid. c. 55. p. 439.* n) *ap.* GELEN. *l. 7. Syntagm. p. 73.* o) BRVSCH. *cap. 9. Catal. Epiſc. n. 31. p. 989.* p) MABILLON. *Supplem. de R. D. append. 2. n. 15.* q) BROWER. *lib. 14. annal. Treverenſ. anno 1156.* r) *ap.* MADER. *antiqv. Brunſv. p. 119.* s) BVCELIN. *Conſtant. Metrop. ſacra & profan. p. 50. ſqq.* t) *p. 242. ap.* FREHER. *tom. 1. rer. Germ.* u) *ap.* TENZEL. *anno 1689. dial. menſtr. p. 558.* x) BOECLER. *diplom. Frider. III. p. 3.* y) BARON. *ad ann. 1177. p. 718. Tom. XII.* z) *ad* WILHELM. HEDAM. *p. 178.* aa) GELEN. *vit. S. Engelb. p. 32.* bb) *ap.* SCHATEN. *lib. 10. p. 956.*

bullæ aureæ, vt earum numerum inire fit difficillimum. Priuilegia Ducibus Auſtriæ aurea bulla ab eo confirmata recenſet Petrus de Vineis. (a) Trithemius (b) profert eius diploma, quo Sifrido Archiepiſcopo Moguntino monaſterium Laurishamenſe cum omni honore, vaſallis, caſtris & prouentibus dono dedit, idque Imperator AVREO TYPARIO *impreſſo communitum eſſe profitetur*. Binas porro eius bullas aureas, totidem diplomatibus vrbi Lubecenſi traditis adpenſas vidiſſe ſe teſtatur Ioannes Kirchmannus, (c) qui & earum ἐπισφραγίσματα deſcribit. Plures denique reperire licebit apud Gelenium, (d) Noppium, (e) Lindenbrogium, (f) Meibomium, (g) Auctorem Apologiæ Archiepiſcopalis Colonienſis, (h) Schatenium, (i) Buchelium, (k) Ioannem Villaneum, (l) Goldaſtum, (m) Maderum, (n) Baronium, (o) & Antonium Matthæi, (p) ad quos nunc Lectorem, ne nimis prolixi videamur, remittimus. (*)

Succeſſere triſtia Germaniæ tempora, quibus rempublicam diuturno interregno diſtractam & debilitatam multi affectarunt, capeſſiuit nemo. In hac miſerrima rerum facie cum pæne nec vola nec veſtigium priſtini ſplendoris amplius ſupereſſe videretur, mirum non eſt, ſi aut nunquam, aut rarius certe aureas bullas adhibuere, qui veluti per ſcenam tunc introducebantur, tragici Reges. Certe nec Henrici Thuringi, nec Wilhelmi Batavi, nec Richardi Cornubienſis, nec Alfonſi denique Caſtellani vllam reperire licuit. Poſt interregnum, quum Rudolphus Habsburgicus ſua ſapientia aureum ſæculum patriæ reddidiſſet: aurearum quoque bullarum vſus ſenſim rediit. Ipſius RVDOLPHI I auream bullam producit Dn. Layrizius. (q) Hinc aureis bullis litteras ſignaſſe reperimus LVDOVICVM BAVARVM, principem maieſtatis ſuæ iuriumque ſeruantiſſimum. Eius enim auream bullam in Lubecenſi archiuo vidit Ioannes Kirchmannus. (r) Sed nullus Cæſarum fuit, cuius plures exſtent aureæ bullæ, quam CAROLI IV, cui & id datum eſt, vt aurea bulla καὶ ἐξοχὴν de illa Carolina accipiatur, quæ toto orbe notiſſima, totque eruditorum commentariis illuſtrata noſtro non eget ſtylo. (**) Vt aliquot ſaltem hic repetamus, quæ nobis nunc vltro ſe obtulerunt, agmen merito ducit bulla illa Brabantina, quæ a Sigismundo, Friderico III, Maximiliano I & Carolo V Imperatoribus confirmata tot litibus materiam præbuit, donec primum in comitiis anno MDXCIV, deinde in pacificatione Monaſterienſi, ac denique per capitulationem Diui Leopoldi & Sacratiſſimi Ioſephi aboleretur. (s) Præterea Carolus IV aureis bullis confirmauit iura Archiepiſcopatus Colonienſis, & Ordinis Poruſſici, vt docent eius diplomata apud Auctorem Apologiæ Archiepiſcopalis Colonienſis (t) & Ioannem Strauchium. (u) Sed & ceterarum Eccleſiarum libertati atque incrementis eadem magnificentia conſuluit, munitis aurea bulla diplomatibus quamplurimis, quæ e latebris protulere Lindenbrogius, (x) Lehmannus, (y) & Io. Smith. (z) Alia ſuppeditant alii. Feliciora reip. tempora, quæ Carolo Cæſare illuceſcere cœperant, interrupit inauſpicatum WENCESLAI imperium. Ab eo nullam reperio bullam auream litteris appenſam eſſe, licet nemo fuerit æque ac ille auri prodigus. Sed forſan in publicis tabulariis latent, nobis ignotæ. Non poterat vero fortuna errorem, quem in euehendo ad Imperium Wenceslao admiſerat, corrigere melius, quam vbi SIGISMVNDVM imperio admouit, qui quum nihil haberet antiquius, quam vt Imperium eccleſiamque motibus inteſtinis concuſſam ſeruaret, frequentius habuit occaſionem litteras in grauiſſimis reip. negotiis expediendi. Itaque non eſt dubium, quin plura omnino eius ſuperſint diplomata aureis bullis inſignita. Nobis iam vnicum illud, ſed admodum illuſtre, laudaſſe ſuffecerit, quo Comitibus Palatinorum Rheni pacta gentilitia, de ſucceſſionis iure inita, rata habet. Integrum illud recenſuit Fridericus Lucæ. (aa) Nos clauſulam tantum adiiciendam putamus.

a) PETR. DE VIN. *lib. 6. epiſt. 26. p. 729.* b) TRITHEM. *in Chron. Spanhem. ad an. 1232. conf.* FREHER. *append. T. I. Script. Germ. p. 2.* SERRAR. *lib. 5. rer. Mogunt. p. 835.* c) KIRCHMANN. *cap. 8. p. 35. de annulis.* d) GELEN. *hiſt. S. Engelb. p. 114.* e) NOPP. *part. 2. Chron. Aquisgr. p. 7.* f) LINDENBROG. *priuil. archieccl. Ham. p. 172.* g) MEIBOM. *tom. 3. rer. Germ. p. 207.* h) APOL. COLON. *ann. 1658. edit. p. 12. in appendice.* i) SCHATEN. *lib. 11. Annal. Paderb. p. 18. Tom. 2.* k) BVCHEL. *in not. ad Wilhelm. Hed. p. 202.* l) IO. VILLAN. *lib. 6. c. 25.* m) GOLDAST. *tom. 1. Conſtit. Imper. p. 289. 305.* n) MADER. *antiquit. Brunſuic. p. 298.* o) BARON. *ad ann. 1030. p. 106. Tom. XI. & ann. 1097. p 693. tom. eod.* p) ANT. MATTH. *de Nobilit. lib. 4 cap. 17. p. 1028.* *) *Tab. II. No. 1.* q) LAYRIZ. *diſſert. de Burggrav. Norib. p. 21.* r) KIRCHMANN. *c. 8. de annulis. p. 35.* **) *Tab. I. n. 6.* s) THVLEMAR. *de bulla Brab. p. 5. ſqq.* t) APOL. COLON. *append. p. 98.* u) STRAVCH. *Diſſert. Iur. Publ. exoter. diſſ. 1. p. 39.* x) LINDENBROG. *priuil. archieccl. Hammab. p. 176.* y) LEHMANN. *lib. 4. Chron. Spir. c. 22. p. 370.* z) SCHMITH. *Oppid. Batau. c. 8.* aa) LVCÆ *Atr. Ducum part. 2. c. 7. p. 546.*

Nulli ergo penitus hominum liceat hanc noſtræ pronunciationis, decreti, ſtatuti, declarationis, ſanctionis, infeudationis & inueſtituræ, auctoriſationis, approbationis, ratificationis, confirmationis, & defectum ſuppletionis paginam infringere, aut ei auſu temerario quomodolibet contraire, ſub pœna mille marcarum auri puriſſimi, quas ab eo, qui contra fecerit, toties, quoties contra factum fuerit, irremiſſibiliter exigi volumus, & earum medietatem Imperialis noſtræ Cameræ fiſco, reſiduam vero partem iniuriam paſſorum vſibus adplicari, præſentium ſub BVLLA AVREA typario noſtræ Maieſtatis impreſſa teſtimonio litterarum. Datum Baſileæ, Anno Domini mileſimo quadringenteſimo triceſimo quarto, die octaua Menſis Martii, Regnorum noſtrorum, Anno Hungariæ, &c. quadrageſimo ſeptimo, Romanorum viceſimo quarto decimo, Imperii vero primo, &c.

Agmen claudant FRIDERICI III bullæ aureæ, in quibus conquirendis eo minus nobis laborandum eſt, quo plura eius exſtant diplomata, laudata induſtria in vnum volumen collecta a doctiſſimo Bœclero. In eo auream bullam reperies Friderici III, qua Auſtriacis iura omnia anno M CCCC LIII ſtabiliuit. (a) Itemque aliam, qua Archiepiſcopo Salisburgenſi vectigal de vino anno M CCCC LXXXIII confirmauit. (b) Exſtat porro D. Friderici III Romanorum Imperatoris perpetua & ſpecialis conceſſio, vbique per ducatum Franconiæ exigendi telonium, vt vocant, aureum, Epiſcopo Herbipolenſi facta anno M CCCC LXVIII, aureoque ſigillo ſignata. (c) Hæc ex Bœcleri laudata collectione excerpere placuit, cui & ipſius Fridericianæ bullæ delineationem debemus. (*) Ad recentiores Imperatores deſcendere nihil opus eſt, cum nullus poſt Fridericum fuerit Imperator, quin aureas ſubinde bullas dederit, quas ſtudioſe obſeruauit Thulemarius V. C. (d) Memores itaque, nos medii æui ſigilla expendere, in Friderici III ætate merito ſubſiſtere videmur.

AN ET EXTERI REGES AVRO SIGNARINT?

VI. De aliis quoque gentibus nunc dicendum eſt, quæ aureas bullas in conſignandis litteris ſuis adhibuere. Non enim ita Imperatoribus propriæ fuere, vt non & alii Reges & Principes eas vſurparint. Atque hic primum occurrunt Romani Pontifices. His licet iam inde ab antiquiſſimis vsque temporibus ſolenne fuerit, plumbeis hamis aurum piſcari, hoc eſt, diplomata plumbo munita multo auro venalia exponere: eſt tamen, vbi placuerit iis auro vti, atque in hac re Romanos Principes æmulari. Adnotat quidem ex Dominico Rainaldo Carolus du Freſne (e) nunquam id obſeruari, niſi in confirmatione Romani Imperatoris. At ipſe deinde ex Spelmanno allegat diploma Clementis VII, quo Defenſoris Fidei titulum Henrico VIII Regi Angliæ detulit, adpenſa aurea bulla inſigne, cuius elegantem delineationem debemus Seldeno. (f) Immo Thulemarius non modo ex Sprengero obſeruat, diplomata Cardinalatus collati auro ſignari, ſed & ex Durando Speculatore & Choppino duo alia pontificia diplomata allegat, aureis bullis exornata, alterum ad Cæſarem miſſum, alterum conceſſum fratribus Auguſtinianis. E Regibus Franciæ licet multi aurum, ceterorum Regum exemplo, ſigillandis litteris adhibuiſſe videantur: bullarum tamen paucarum ſupereſſe memoriam fatetur laudatus Carolus du Freſne. (g) Præter bullas enim aureas Ludouici VI, Philippi VI & Franciſci I, quas in Regeſtis parlamenti Pariſienſis, Chartophylacio Chriſtianiſſimi Regis & Spelmanni opere inuenit, nullam ſibi innotuiſſe ait. Hiſpanos porro nihil hac in re gentibus exteris conceſſiſſe, ex Matthæo Pariſienſi, (h) Florentio Wigornienſi, (i) Petro de Marca, (k) Spelmanni Gloſſario Carolus du Freſne (l) & Thulemarius (m) demonſtrant. Qui & de ceterarum gentium, veluti Italorum, (n) Anglorum, (o) Neapolitanorum, (p) Siculorum, (q) Hungarorum, (r) Bulgarorum, (s) Sultanorum Iconienſium, (t) Ruſſorum (u) Turcarumque (x) bullis aureis cum cura agunt, vt non

a) BOECLER. *pag. 11. dipl. Frid. III.* b) *ibid. p. 21.* c) *ibid. p. 317.* *) *Tab. II. n. 2.* d) THVLEMAR. *c. 2. de bull. aur. p. 8. 9.* e) DV FRESNE *part. 1. Gloſſ. Lat. p. 640.* f) SELDEN. *de tit. honor. cap. 5. n. 4.* g) DV FRESNE *l. c. p. 639.* h) MATTH. PARIS. *p. 584. 595.* i) FLOR. WIGORN. *p. 357.* k) PETR. DE MARCA *hiſtoire de Bearn. l. 7. c. 8.* l) DV FRESNE *l. c. p. 640.* m) THVLEMAR. *cap. 4. de bull. plumb. p. 19.* SPRENGER. *c. 5. Rom. nov.* DVRAND. *l. 4. part. 3. de præbend. n. 7.* CHOPPIN. *l. 2. de droits de religieux & monaſteres tit. 1. n. 13.* n) PVRICELL. *p. 282. de baſilica Ambros.* o) MATTH. PARIS. *p. 172.* WILH. THORN. *l. 2. cap. 15.* DACHER. *tom. 5. Spicileg.* p) BARON. *tract. de monarch. Sicil. tom. XI. Annal.* q) ROMVALD. SALERNIT. *in Chron. MSC. ann. 1166. ap.* DV FRESNE *l. c. p. 640. Brompton. p. 1114.* NICOL. TRIVET. *Chron. anno 178.* FALC. BENEVENT. *anno 1137.* ROCCHVS PIRRVS *tom. 1. notit. Sic. p. 123. 125. 404.* BARON. *ad ann. 1156. p. 403. Tom. XII.* MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 16. p. 141. de R. D.* r) *Decret. Reg. Andreæ c. 25.* HIERON. RVB. *l. 6. hiſt. Rav. p. 405.* s) *Act. Innocent. V. PP. p. 54. 55.* LEO *Gramm. p. 503.* t) DV CHESNE *probat. hiſt. Ducum Burg. p. 136.* v) LIMN. *not. ad Capit. Ferdin. III. artic. 46.* x) PAVL. IOV. *l. 30. hiſt. p. 191.*

non opus hic sit, vel Carolum du Fresne vel Thulemarium exscribere prolixius, quum vtriusque liber in multorum manibus sit. Attamen solos addimus Danos, quorum aureæ bullæ (a) satis demonstrant, a borea quoque aurum venire. At vero id obseruatione dignum iudicamus, quod & alii Principes, infra regiam dignitatem constituti, aureis nonnunquam bullis vsi esse comperiantur. Sæculo adhuc XVI bullis aureis nonnunquam signarunt Duces Lotharingiæ. Mabillonio (b) enim teste, in Metensi Beati Arnulphi cœnobio seruatur sigillum aureum Francisci a Lotharingia Gusiæ Ducis, ex vna parte eius effigiem equo insidentem, ex altera insignia gentilitia præferens, adpensum anno M D LII. Nec apud antiquiores res exemplo caret. Etenim de Guaimario, Capuano Principe & Ducibus Apuliæ refert Leo Ostiensis, (c) eos præcepta feciſſe S. Benedicto cum aureis bullis de omnibus Monasterii Cassini montis pertinentiis. Procul dubio id a Constantinopolitanis, quibus diutissime paruisse eas regiones constat, sumserant, apud quos, deficiente paullatim imperii dignitate, etiam Despotæ aurum signandis litteris adhibuere. (d)

VARIA BVLLARVM AVREARVM QVANTITAS.

VII. Quamvis autem, vti iam dictum est, magno consensu gentes aurum adhibuerint signandis litteris: non eadem tamen omnes liberalitate nobilissimum isthoc metallum eum in vsum erogarunt. Minima pariter & vilissima est illa Constantinopolitana Andronici, quam protulit Meibomius. Nam & aurum non Panonicum, sed Rhenanum est: & bulla ipsa ex binis tantum tenuissimis laminis conferruminatis constat, & denique magnitudinem duplicis aurei Hungarici vix excedit. (*)(e) Maior est Bulla Balduini, quam Olivario Vredio (f) debemus, imperiali quippe non minor thalero. (**) Sed non est quod miramur, priscam superiorum Cæsarum magnificentiam in posteris paullatim defeciſſe, quum crescente subinde luxuria, prouinciisque distractis, vix esset denique, quo tot splendida nomina tuerentur. Certe feliciore imperio vsi, ad insaniam vsque aurum hoc modo prodegerunt. Quippe non modo gemmis distinxere aureas bullas, vt narrat Nicetas, (g) verum etiam maius, quam ceteræ gentes, auri pondus adhibuere. Memoratu digniſſimus ea de re locus exstat in *Chronico Goslarienſi MSCto membranaceo*, quem alibi etiam commemoratum hic repetendum putamus: *Dedit preterea* Henricus III. Imperator Eccleſiæ SS. Simonis & Iudæ *quandam litteram, a Rege Grecie ſibi miſſam, cum ſigillo aureo SATIS PONDEROSO, de quo fiebat calix aureus, de littera vero fiebat palla altaris.* En veterum Byzantinorum magnificentiam, en splendidum diploma, quod si incurioſa illa talium rerum ætas integrum potius ad posteros seruare, quam in vsus Eccleſiæ conuertere maluisset, omnibus chartis antiquis palmam hodie præriperet. Sed amissarum rerum obliuio potius optanda, quam memoria alenda est. Interea vel eo nomine gratiam apud omnes curioſos iniuit antiquus compilator, quod aliquam nobis reliquit tam exquisiti diplomatis descriptionem, quam frustra in ceteris illius ætatis scriptoribus quærimus. Maximum sane fuisse oportet sigillum, &, ceu ipse loquitur Chronographus, *satis ponderoſum*, quod & dignum visum est Imperatori, vt illud suæ basilicæ dono daret, & calici inde efficiendo satis fuit, cui nec vlla earum bullarum, quarum vel memoria, vel typus supereſt, sufficeret. Haut paullo maiores illa Andronici, nostrorum Imperatorum bullæ apparent. Bulla aurea Caroli Calui Imperatoris, quam monasterio S. Cornelii Compendienſis conceſſit, fuit octo vel decem ducatorum. (h) Friderici II bullæ quatuor digitorum latitudinem diametro excedunt. Carolina illa celeberrima in Francofurtenſi curia asseruata duplicem circiter imperialem orbiculari circumferentia exæquat, diametrum quippe huius tertia vel quarta sui parte excedens. Sed quo recentiores sunt, eo magis pondere crescunt. Friderici III bulla aurea cuius delineationem Bœclero debemus, (i) sexta fere sui parte Carolinæ bullæ aureæ diametrum superat. Ferdinandi II bullæ quadruplo fere maiores Carolinis adparent. Exterorum Regum bullas aureas paucas habemus delineatas, ex quibus de earum quantitate coniicere liceat, nisi quod auream bullam Siculorum Regis describit Io. Bromptonus, (k) qui nobis nunc non est ad manus. Henrici vero VIII Angliæ

 Regis

a) *Auctarium Muſ. Danic. Sect. 3. p. 31.* b) MABILL. *lib. 2. c. 16. n. 16. p. 142. de R. D.* c) LEO *Oſtienſ. lib. 2. cap. 66. Chron. Caſſin. & lib. 3. cap. 57. & lib. 4. c. 10.* d) Phranz. *l. 3. l. c.* *) *Tab. I. n. 10.* e) MEIBOM. *ad aur. bull. Andron. p. 476. tom. 1. Rer. Germ.* f) OLIV. VRED. *de ſigill. Comit. Flandr. p. 27.* **) *Tab. I. n. 7.* g) NICET. *lib. 3. in Man. Comneno.* h) CAROL. DV FRESNE. *Part. 1. p. 639. Gloſſ. Lat.* i) BOECLER. *collect. ad* ÆN. SYLV. *hiſt. Frider. III.* k) IO. BROMPTON. *p. 1114. Chron. Angl.*

Regis sigillum aureum ponderosius exstat, adpensum tabulis fœderis cum Franciſco I. Galliarum Rege initi, quod decem aureorum Hiſpanicorum pondus æquare ex Adverſariis Peireſcii MSCtis obſeruat laudatus Carolus du Freſne. (a) Enimuero diuerſa Principum in vtendis aureis ſigillis conſilia adparent, aliis quippe magnificentiæ, aliis parſimoniæ ſtudioſioribus.

NEGOTIA, IN QVIBVS BVLLARVM AVREARVM VSVS FVERIT, RECENSENTVR.

VIII. Quemadmodum vero aureæ bullæ facile omnibus aliis ſigillis ſplendote antecellunt: ita & negotia, in quibus adhibitæ ſunt, non niſi grauiora, perſonasque, ad quas mitterentur, clariores eſſe oportuit. Iuuat hic negotiorum eiusmodi perſonarumque aliquem inire recenſum, vt quando aureæ bullæ ſint adhibitæ, eo conſtet dilucidius. Hinc

I. Litteras ad alios Principes & Reges conſcriptas auro ſignatas comperio. Diſerte Codinus: (b) Ὁ μέγας λογοθέτης, inquit, διαλάτλει τὰ παρὰ τῦ Βασιλέως ἀποξελλόμενα πρόστάγματα καὶ ΧΡΥΣΟΒΟΥΛΛΑ ΠΡΟΣ τε ΡΗΓΑΣ, ΣΟΥΛΤΑΝΟΥΣ καὶ ΤΟΠΑΡΧΑΣ. *Magnus Logotheta diſponit mandata &* AVREAS BVLLAS, AD REGES, SVLTANOS & TOPARCHAS *directas.* Hinc vix vnquam ad Imperatores noſtros ex Græcia, aut ad Byzantinos a noſtris Auguſtis litteræ commearunt, quin aureas bullas habuerint adpenſas. Exempla habes apud Wipponem, (c) Luitprandum, (d) Auctorem Chron. MSC. membranacei Goslarienſis ſupra citatum, (e) & præcipue in diplomate Andronici, quippe quod ita orditur: *ANDRONICVS in χρο Deo fidelis Imperator & Moderator Romeorum, Paleologus excellentiſſimis Regibus, nobilibus & egregiis Principibus, Comitibus, Marchionibus, Capitaneis, Communitatibus, Dominis, Caſtellanis ac Poteſtatibus, Rectoribus, ac etiam vniuerſis & ſingulis tam eccleſiaſticis quam ſecularibus, ad quos præſentes aduenerint, ſalutem cum Imperiali affectione.* (f)

II. Decreta & conſtitutiones Imperatorum maioris momenti, vt eo maius pondus haberent, aurea bulla ſignabantur. Clarum id eſt ex Baſilii Porphyrogeniti conſtitutione, quæ in Codice Iuris Græco-Romani (g) ita finitur: Καὶ ὥξε ἀσφαλῆ καὶ ἀμετάθετον εἶναι τὴν παρῦσαν διάταξιν, οἰκείᾳ χειρὶ ὑποσημηνάμενοι ΧΡΥΣΩ ΣΦΡΑΓΙΔΙ ἰδίᾳ ὑποσφραγισθῆναι διωρισάμεθα, μηνὶ Ἀπριλλίῳ δ'. ἐπινεμήσεως ά. *Et vt ſancta & inconuulſa ſit hæc conſtitutio, propria manu ſubnotantes, AVREO SIGILLO eam ſubſignari iuſſimus d. IV. Aprilis Indictione I.* Vt & ex Nicephori Botoniatæ ſanctione, de qua ibidem (h) ita reperimus ſcriptum: Καὶ γὰρ ἐπισφραγεῖσα ἡ βασίλειά μῦ τὰ κεκριμένα καλῶς καὶ οἰκονομιθέντα συνοδικῶς, καὶ τὸ παρὸν ἐξέθετο ΧΡΥΣΟΒΟΥΛΛΟΝ εἰς ἐπικύρωσιν τε καὶ σεσεότητα ὑποσημήναμεν, ἐν αὐτῷ δὲ ἐρυθρῶν γραμμάτων. καὶ διὰ τέτων τὴν ἀλήθειαν φανερωτέραν ὑπαγορέυσα ΚΟΡΩΝΗΝ ὥσπερ δήτινα ΧΡΥΣΗΝ τὴν ἀληθῶς ΣΦΡΑΓΙΔΑ τέτῳ ἀπαιωρήσασα. *Quippe maieſtas mea præclare diiudicata geſtaque per ipſam ſynodum obſignans, præſentem hanc AVREAM BVLLAM promulgauit, ad confirmandum & ſtabiliendum ea: cui bullæ rubris litteris ſubſcripſit, & per eas veritatem clariorem dictitans, verum & SIGILLVM, quaſi quoddam AVREVM COROLLARIVM adpendit.* Hoc exemplo Carolus IV Imperator Conſtitutionem ſuam de libertate eccleſiaſticarum perſonarum aurea bulla firmauit, (i) vt & celeberrimam illam ſanctionem de electione Cæſaris, electorumque officio, inter fundamentales noſtræ Reip. leges dudum receptam. Prætereo alias, quæ curioſo Lectori facile ſe in ſcriptorum antiquorum euolutione dabunt.

III. Litteras, quibus fundatas abs ſe eccleſias academiasque teſtati ſunt Principes, ſæpenumero aureis bullis firmatas eſſe, credere par eſt, vt & alias, quibus iura eiusmodi collegiorum ſarta tectaque eſſe iuſſerunt. Ideo Balſamo ad Can. XII. Synodi I. Conſtant. bullam auream Imperatoris *Medicatricem* vocat, ὡς ἰώμενος τὰ χολέυοντα ἴσως δικαιώματα τῶν ἁπανταχῦ ἐκκλησίων, *quod medeatur titulis & iuribus eccleſiarum omnium.* Ludouicus porro Pius eccleſiæ Hamburgenſis fundationem aut aurea, aut plumbea certe bulla ratam habuit. (k) Ferdinandus II Imp. priuilegium ſuper erectione Academiæ

a) CAR. DV FRESNE *l. c. p. 640.* b) CODIN. *de Official. Palat. Conſtant.* c) WIPPO *in vita Conradi Salic. p. 438.* d) LVITPR. *in legat.* e) *n. VII. huius capit.* f) MEIBOM. *tom. 1. rer. Germ. p. 472. conf.* THVLEMAR. *l. c.* g) *p. 118. vid.* KIRCHMAN. *cap. 8. de annulis p. 36.* h) *p. 123.* i) LINDENBROG. *priuil. archieccl. Hammab. p. 175.* k) LINDENBR. *l. c. p. 126.*

demiæ in ciuitate Monaſterienſi Weſtphalorum aureo ſigillo muniuit. (a) Eundem honorem academia Kilonenſis ſibi habitum a Ferdinando III gloriatur. (b)

IV. Tabulæ fœderum pactorumque frequentius aureas bullas adpenſas habent. Fœdus quod cum Romanis poſt diuturnas lites pepigit, aurea bulla inſigniuit Fridericus I. (c) Otto IV, cum Pontifice ante coronationem pactus, aurea bulla rem omnem ſtabiliuit. (d) Fœdus quoque, quod inter ſe iniuere Franciſcus I & Henricus VIII, hic Angliæ, ille Franciæ Reges, vterque paciſcentium aureis bullis muniuit, quarum alteram Spelmannus, alteram (vt ſupra monuimus) Carolus du Freſne ex aduerſariis MSC. Pereiſcianis laudat.

V. Erectiones Ducatuum, confirmationes variorum iurium ac priuilegiorum, veluti iuris primogenituræ, iuris equites creandi, titulisque eminentioribus vtendi, aliarumque huius generis prærogatiuarum conceſſiones, honoris cauſſa plerumque aureis bullis conſignatas deprehendo. Teſtimonio eſſe poterunt erectiones Ducatuum Principatuumque Brunſuicenſis, Holſatienſis, (e) Curlandenſis, & Ottingenſis. (f) Ius primogenituræ ab Haſſiæ Landgrauiis introductum aurea bulla ratum habuit Ferdinandus II. Equites Comitesque palatinos creandi poteſtatem Seren. Domino Chriſtiano Wihelmo, tunc Comiti, iam Principi Schwarzburgico dedit glorioſiſſimæ memoriæ Imperator Leopoldus Magnus. (g) Cuius & illa aurea bulla eſt, qua ſeniori in familia Anhaltina principi titulus Sereniſſimi in perpetuum conceditur. (h)

VI. Huc ſpectant & alia priuilegia eminentiora, Ducibus, Principibus, Comitibus, Ciuitatibus, Epiſcopis, Equitum ordinibus, monaſteriisque conceſſa, quæ aureis ſubinde bullis munita eſſe, multis exemplis compertum habeo. De Principum priuilegiis liquet hoc ex diplomate Friderici II, Auſtriacis dato, (i) ex bulla Brabantina Caroli IV, aliisque iam ſupra commemoratis. E ciuitatibus hanc Cæſarum noſtrorum magnificentiam collaudant Veneti, (k) Lubecenſes, (l) Argentoratenſes, (m) Fridbergenſes, (n) Aquisgranenſes, (o) Nimmegenſes (p) & forſan aliæ plures. Priuilegia Epiſcopis conceſſa grati commemorant Pontifices Romani, (q) Moguntinenſes, (r) Colonienſes, (s) Salisburgenſes, (t) Bremenſes, (u) Herbipolenſes, (x) Paderbornenſes, (y) Vltraiectenſes, (z) Friſingenſes, (aa) Eiſtetenſes. (bb) Ordinem equeſtrem Boruſſicum luculento priuilegio aurea bulla munito ornauit Carolus IV. (cc) E monaſteriis pauca proferre licebit, quum non omnium diplomata in lucem edita ſint. Omnium igitur vice ſint monaſteria Caſſinenſe, (dd) S. Vincentii ad fontes Vulturni, (ee) Sandionyſianum, (ff) Compendienſe, (gg) & Corbeienſe, (hh) quorum aureas bullas partim ſupra adduximus, partim hic commemorandas putauimus.

VII. Denique honoris cauſſa etiam in minoribus negotiis bullæ aureæ locum fuiſſe obſeruo. Auctores habeo Kirchmannum (ii) & Thulemarium, (kk) Imperatores Byzantinos etiam ſacro ordini, quem Clerum vocant, nonnunquam id honoris habuiſſe, vt aureas bullas ad eum darent. Narrant enim ex Niceta, (ll) *Logothetam magis contra Stypiotam Theodorum inflammatum, quod Imperator illi AVREAM BVLLAM cum*

a) MALLINCKROT. *de Archicanc. & Canc. Imp. p. 116.* b) THVLEMAR. *l. c. p. 9.* c) GODOFR. MON. *p. 242. ap.* FREHER. *tom. 1.* d) SCHATEN. *l. 10. p. 956.* e) MEIBOM. *p. 206. & 214. tom. 3. rer. Germ.* f) THVLEMAR. *l. c. p. 9.* g) TENZEL. *dial. menſtr. anno 1694. p. 609.* h) FRIDER. LVCÆ *Atr. Princip. part. 2. cap. 7. p. 546.* i) PETR. DE VINEIS *lib. 6. epiſt. 26. p. 729.* k) ALBERIC. DE ROSAT. *lib. 1. Cod. de ſumm. trin. n. 20.* l) KIRCHM. *cap. 8. de annul. p. 35.* m) BOECLER. *Collect. diplom. Frider. III. p. 317.* n) THVLEM. *l. c. p. 8.* o) NOPP. *part. 2. Chron. Aquisgran. p. 7.* p) ANT. MATTH. *de Nobilit. lib. 4. c. 17. p. 1029.* q) BIN. *Tom. III. part. II. Concil. p. 150.* r) TRITHEM. *Chron. Spanh. ad ann. 1232.* SERRAR. *lib. 5. rer. Mog. p. 835.* s) GELEN. *hiſt. S. Engelb. p. 114. 32. 73. Apolog. Archiep. Colon. append. p. 98.* t) BOECLER. *Collect. dipl. Frider. III. p. 11.* u) ERPOLD. LINDENBROG. *privil. archieccl. Hammab. p. 126. 172. 176.* x) BRVSCH. *cap. 9. Catal. Epiſc. n. 31. p. 989.* BOECLER. *Collect. dipl. Frider. III. p. 79.* y) *Autor vitæ S. Meinvverc. p. 32. ap.* BROWER. SCHATEN. *lib. 5. annal. Paderb. p. 409. tom. 1.* z) BVCHELIVS *ad Wilh. Hedam paſſim.* aa) GEWOLD. *in metrop. p. 163. tom. 2.* bb) GRETS. *in Catal. in Epiſc. Eyſtetens.* cc) STRAVCH. *diſſ. jur. publ. exot. diſſ. 1. p. 39.* dd) LEO OSTIENS. *aliique Chronographi Caſſin. paſſim.* ee) BARON. *tom. 10. annal. ad ann. 942. p. 724.* ff) DVBLET. *p. 873.* gg) CAROL. DV FRESN. *part. 1. p. 639.* hh) KLEINSORG. *lib. 6. ann. Weſtphal.* ii) KIRCHMANN. *cap. 8. de annul. p. 37.* kk) THVLEMAR. *l. c. p. 6.* ll) NICET. *lib. 3. in Manuel. Comnen.*

cum radiantibus gemmis dediſſet, mandaſſetque, vt in magna Blacheriana eccleſia iureiurando præeſſet, quo Imperii ſucceſſio Alexio Hungaro & filiæ Mariæ confirmaretur, quod munus ad Logothetæ potius officium pertinebat. Sed forſan hoc exemplum magnitudine negotii ſe excuſat. At vero id poſſet videri mirum, Carolum IV, quem frequentiſſime aurea bulla vſum eſſe conſtat, Franciſco Petrarchæ tam inſigni diplomate Comitiua Palatina detuliſſe. Quam in rem ipſe Petrarcha ad Ioannem Epiſcopum & Cancellarium ſcribit: *Quanto me nuper & quam raro priuilegio honeſtaſti? Quod etſi ſolum feceras, ſecretum tamen imperii ſignum & ingentem BVLLAM AVREAM adieciſti. Cuius vel aſpectus ſolus immenſum quiddam maieſtatis & gloriæ contemplantibus ingerit, & venerabundos cogit ſummi Imperii & veteris Romæ atque aurei ſæculi meminiſſe.* (a) Sed duo ſunt, quæ reſpondeamus. *Primo* enim ea dignitas, olim, quum primum renaſci litteræ cœpiſſent, fuit ſplendidiſſima, ipſisque principibus viris non indigna viſa. *Deinde* haut obſcure ipſe Franciſcus Petrarcha videtur ſubinnuere, Ioannem illum Cancellarium ſingulari quadam in Muſas ſuas beneuolentia commotum, iſta ornamenta veluti proprio impetu adieciſſe, quod tamen, quo minus hodie fiat, ſingulari lege prohibetur in Capitulatione Ferdinandi III Imperatoris, (b) vbi cautum eſt, ne aurea bulla, tamquam vetuſtiſſimum imperantis Cæſaris inſigne, aliis diplomatibus adpenderetur, præterquam, quæ in cancellaria iuſſu Cæſaris expediantur.

CAPVT QVINTVM.

DE BVLLIS ARGENTEIS ET PLVMBEIS.

I. Argentearum bullarum vſus rarior. An & Latinis familiaris? Sunt qui negant.
II. Alii adfirmant. Varia earum exempla expenduntur.
III. 1) Bulla argentea Dagobertina.
IV. 2) Bulla argentea Ludouici Pii.
V. 3) Bulla Paderbornenſis.
VI. Bullæ argenteæ in occidente rariores, ab Epiſcopis tamen nonnunquam adhibitæ.
VII. Frequentiores apud Græcos & Orientales.
VIII. Bullæ plumbeæ vſitatiſſimæ.
IX. Apud Græcos. 1) Gallæ Placidiæ bulla plumbea. 2) Teſtimonium de bullis plumbeis CP. 3) Aliud eiusdem generis. 4) Bulla plumbea Balduini II. 5) Bulla Conſtantini. 6) Bullis plumbeis apud Græcos deinde viliores etiam ſignarunt.
X. Bullæ plumbeæ Imperat. & Regum Occident. Bullæ, quibus inſcriptum: RENOVATIO REGNI FRANCORVM. 1) Sangenouefenſis. 2) Patini. 3) Domini le Blanc. 4) Sangallenſis. 5) aliæ aureæ. Cui Carolo ſint tribuendæ? Carolus Craſſus an & cur Magnus dictus?
XI. An ſint hæ bullæ genuinæ?
XII. Etiam poſt Carolingos plumbo ſignarunt Imperatores.
XIII. Vt & alii Reges.
XIV. Nec non Duces Veneti. Aliique Viri Principes.
XV Bullæ plumbeæ Ciuitatum.
XVI. Bullæ Conciliorum.
XVII. Bullæ plumbeæ hodie Papis propriæ, quando inuentæ?
XVIII. An plumbum humilitatis indicium? videntur Patriarchas CP. æmulati.
XIX. Epiſcoporum bullæ plumbeæ.
XX. Bulla ænea.

I.

ARGENTEARVM VSVS RARIOR.

ARgentearum bullarum vſum, quod mireris, non tam frequentem fuiſſe, quam aurearum, tum ex auctorum ſilentio, tum præcipue ex diplomatum huiusmodi defectu recte colligimus. Quum enim aureæ plumbeæque bullæ utramque in auctoribus paginam faciant, totque etiam ſuperſint chartæ, iſtis inſignitæ: argentearum altum fere vbique ſilentium eſt, pauciſſimæque ætatem tulerunt. Qua re factum eſt, vt non deſint auctores, qui earum vſum apud Latinos in dubium vocare audeant.

AN ET LATINIS FAMILIARIS? SVNT QVI NEGANT.

Doctis-

a) PETRARCHA *lib. 2. epiſt. 2.* b) *art. 46. item Capitulat. Ferdin. IV. art. 44.*

Doctiſſimus Io. Mabillonius, (a) diplomatum Francicorum indagator ſagaciſſimus, nullam ſibi occurriſſe fatetur. *Qui ARGENTEAS BVLLAS adhibuerint Francorum Reges, nullos hactenus legimus.* Idem & de reliquis Occidentalibus viſum eſt Bernardo Mallinckrotio, (b) hunc in modum ſcribenti: *ARGENTEÆ BVLLÆ, quantum compererim, Latinis in vſu non fuerunt, hodie certe non ſunt.* Denique idem tacite ſenſiſſe videntur Kirchmannus & Hœppinckius, qui quum prolixius de aureis plumbeisque bullis agant, argenteas ſicco fere pede præter-eunt, ſolosque Byzantinos iis vſos eſſe, ex Codino & Phranza commemorant.

ALII ADFIRMANT.

II. At alia eſt Caroli du Freſne (c) & Domini Thulemarii (d) ſententia, quippe qui non Græcos tantum, ſed & Latinos hoc genus ſigilla nonnunquam adhibuiſſe, referunt. Nos, cum pauca ſint, quæ hanc in rem dici poſſint, hanc rationem hic inibimus, vt recenſitis bullis argenteis, locisque auctorum, quæ huc faciunt, adductis, noſtram de ſingulis ſententiam proferamus.

VARIA EARVM EXEMPLA EXPENDVNTVR.

1) BVLLA ARGENTEA DAGOBERTINA.

III. Antiquiſſima igitur pariter ac elegantiſſima bulla argentea, quam & Mabillonius & Papebrochius & Carolus du Freſne & Thulemarius ignorarunt, eſt illa Dagoberti, quam ex gazophylacio Ducali Gothano primus in lucem protraxit celeberrimus Dn. Tenzelius. (e) Conſtat illa ex binis laminis ita conferruminatis, vt ex vtraque parte rimæ, per quas fila tranſierunt, adpareant. Efficta eſt in hoc ſigillo Dagoberti effigies ad vmbilicum vsque, coronati ac palliati, dextram ad aliquid veluti demonſtrandum componentis, ſiniſtra tenentis ſceptrum breuius, ac ſiue in lilium ſiue in cuſpidem triſulcam deſinens. Perigraphe hunc in modum concepta eſt: D† GRACIA DAGOBERTVS REX. Hæc bulla argentea quamuis dudum a ſuo diplomate auulſa, quantiuis tamen pretii videtur laudato Tenzelio. Litteræ ſane antiquitatem illi videntur præ ſe ferre Dagobertino æuo dignam, Dagoberti tum habitus tum barba non multum diuerſa ſunt ab eo, quem nobis deſcribit Mabillonius. (f) Rimæ præterea, ſigilli notæ adſunt; ipſum denique ſigillum cum illo S. Maximini Treuerenſi, cuius ectypon dederunt Zylleſius (g) & Papebrochius, tam accurate conuenit, vt vix ouum ouo poſſit eſſe ſimilius. Quum igitur illud Treuerenſe tam præſtans videatur Papebrochio, (h) vt & alia Dagoberti ſigilla ad hoc, veluti ad Lydium quendam lapidem exigat, ceteraque, quæ ab hoc diſcrepant, minus genuina ſtatuat: quum etiam Mabillonius, qui ipſum illud Treuerenſe diploma variis animaduerſionibus confodit, in ſigillo tamen nihil inuenerit, ſtrictura dignum: conficit inde Tenzelius, ſigillum hoc genuinum ac antiquum eſſe. Sed præterea, quod hæc bulla non minus, quam ſigillum Zylleſianum non nulla habet, quæ ſuſpicionem mouere poſſint, de quibus infra dicemus: etiam ob hanc cauſſam ex ea ſola colligi non poteſt, Francorum Reges argento ſignaſſe, quod nec diploma Dagobertinum exſtat, cui adpenſa fuerit, nec vllo pacto poſſit probari, Dagobertum præter cerea aliis quoque ſigillis fuiſſe vſum.

2) BVLLA ARGENTEA LVDOVICI PII.

IV. Vnica hæc quidem eſt bulla Francorum argentea, quæ ſpeciem quandam veri habet. At minoris momenti eſt illa Ludovici Pii, de qua Carolus du Freſne: (i) *Seruatur etiam in gazophylacio Sangenouefano Pariſienſi BVLLA ARGENTEA ſpiſſior LVDOVICI PII, in cuius parte altera viſitur eius protome cum inſcriptione ſolita: XPE PROTEGE LVDOVICVM IMPERATOREM: In altera nihil effictum eſt.* Quæ etiam totidem verbis repetit Dn. Thulemarius. (k) Sed quum hæc bulla nullas plane habeat rimas, per quas fila traiici queant: non video, quomodo ſigilli vice eſſe potuerit. Vnde recte Mabillonius: (l) *Verum non ſigillum, ſed ſigilli ectypum eſſe, inde colligimus, quod NVLLA FISSVRA, per quam dependere ex charta potuerit, in eo adpareat.*

3) BVLLA PADERBORNENSIS.

V. Vnica ſupereſt bulla argentea Paderbornenſis Henrici II Imp. quam genuinam eſſe negare non licet. Aurea quidem viſa fuerat olim Auctori Vitæ S. Meinwerci Paderbornenſis. (m) Meminit enim hic *Regiæ auctoritatis præcepti AVREO SIGILLO bullati.* At P. Schatenius ſigillum hoc procul dubio accuratius examinatum, inauratum ſaltem inuenit. (n) Verum tamen, quum auro obductum ſit, atque adeo loco bullæ aureæ eſſe debuerit: habere videmur

a) MABILLON. *lib. 2. de R. D. c. 16. n. 16. p. 141. ſq.* b) MALLINKROT. *de Archicanc. & Cancell. Imp. p. 115.* c) DV FRESNE *part. 1. Gloſſ. Lat. p. 641.* d) THVLEMAR. *cap. 3. de bullis argent. p. 14.* e) TENZEL. *Biblioth. curioſ. ann. 1704. p. 830.* f) MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 6. p. 136. 137.* g) ZYLLES. *Defenſ. Abbat. S. Maximini. p. 10. part. 3.* h) PAPEBROCH. *propyl. antiquar. ad tom. 2. April. Act. Sanct. tab. 1. p. 12.* i) DV FRESNE *part. 1. p. 641. Gloſſ. Lat.* k) THVLEMAR. *l. c. c. 3. p. 14.* l) MABILLON. *lib. 2. de R. D. c. 16. n. 16. p. 142.* m) *p. 32.* n) SCHATEN. *lib. 5. ann. Paderb. part. 1. p. 509.*

demur rationes, cur illud non in argentearum, sed aurearum potius bullarum classem referamus.

BVLLÆ ARGENTEÆ IN OCCIDENTE RARIORES, EPISCOPIS TAMEN NONNVNQVAM ADHIBITÆ.

VI. Quæ quum ita sint, nullam supereſſe hodie constat bullam argenteam, a Regibus Occidentalibus profectam, quæ omni exceptione sit maior. Atque adeo magis videretur adsentiendum Mallinckrotio & Mabillonio, qui iis ignotas fuisse statuunt bullas argenteas, quam Carolo du Fresne & Thulemario, qui vnica bulla San Genofeuensi permoti in alia omnia eunt: nisi certo constaret, Episcopos olim nonnunquam, licet paullo rarius argento diplomata signasse. Cuius rei auctorem omni exceptione maiorem habeo Ioannem Hoksemium in historia Episc. Leod. (a) ita scribentem: *Ostensum fuit in Capitulo coram magistris sigillum plumbeum, siue stanneum, eiusdem typarii cum MAGNO SIGILLO ARGENTEO Episcopi.* Qui locus nisi de typario potius argenteo capiendus sit, demonstrare videtur manifesto, argentea sigilla Occidentalibus non plane fuisse incognita.

FREQVENTIORES APVD GRÆCOS ET ORIENTALES.

VII. Sed hæc de Latinis. In oriente vero certiora argentearum bullarum extant vestigia. Tum enim Byzantini, tum ceteri Orientales iis frequentius vsi sunt. De illis Phranzes: (b) *Ego*, inquit, *cum litteris BVLLA ARGENTEA insignitis & iureiurando firmatis & multo milite missus sum, vt Athenas & Thebas in potestatem reciperem.* Cui gemina sunt illa Luitprandi in legatione: *Tulerunt autem & alias litteras* ARGENTO SIGNATAS *atque dixerunt, Papam vestrum. &c.* Quibus exemplis Thulemarius (c) aliud adiecit e Nicephoro, qui Phocam Imperatorem apud Papam Romanum *litteras* ARGENTO SIGNATAS misisse ait. Porro notum est sigillum argenteum Maumedis, iis litteris adpensum, quibus Imperatorem Constantinopolitanum, Persorumque & Ægypti Reges ad amplectendam suam religionem inuitauit. De quibus Cælius Aug. Curio, (d) Theod. Hœppinckius (e) & Thulemarius. (f)

DE BVLLIS PLVMBEIS.

BVLLÆ PLVMBEÆ VSITATISSIMÆ.

VIII. Vsus plumbearum bullarum, quas *μολιβδίνας βέλλας* & *μόλιβδα βελλωτήρια* itemque *μολιβόβελα* vocabant Græci, multo latius patuit, siquidem Cæsaribus, Regibus, Ducibus, Pontificibus ac Episcopis communis fuit. Id sane metallorum vilissimum ideo visum est ad sigilla percommodum, quod & litteras sculpturamque facile admitteret, & cera esset perennius, & furum denique rapaces manus facilius effugeret, quam aurum, cuius vsus in sigillis splendidior fuit, quam vtilior. Quum vero de bullis plumbeis multa iam collegerint Kirchmannus, Hœppinckius, Carolus du Fresne, Thulemarius & Mabillonius, licebit nobis, ne eorum scripta videamur compilare, esse eo breuioribus.

APVD GRÆCOS.

IX. Primi igitur, quos bullis plumbeis vsos inuenio, sunt Imperatores Byzantini, qui vt bullis aureis Sultanos & Reges, argenteis Imperatores bellicos & Pontificem nonnunquam Romanum; ita plumbeis Despotas, Patriarcham, Sebastocratorem, reliquosque honoratiores magistratus dignati sunt. (g) Magna enim Imperatorum Byzantinorum cura in eo adparuit, quod personas ac ministeria variis a se inuicem titulis, officiis iuribusque distinguerent. Quod & ex bullarum expeditione constat. Quum enim aureas, forsan & argenteas, bullas expediuerint Magni Logothetæ: plumbearum cerearumque signatura fuit penes *τὸν παρακοιμώμενον τῆς σφενδόνης* seu *accubitorem palæ.* (h) Enimuero bullarum plumbearum a Byzantinis profectarum, quarum vel memoria vel ectypa exstant, hic recensum instituemus.

1) GALLÆ PLACIDIÆ BVLLÆ PLVMBEÆ.

I. Antiquissima igitur est illa, quam in gazophylacio Sangenouefano asseruari testis est Carolus du Fresne, (i) *quæ Gallæ Placidiæ & effigiem & inscriptionem, & in auersa parte Victoriolam cum cruce præfert, eius magnitudinis, qua sunt eius numi.* (*) Quum hic Carolus du Fresne numorum Gallæ Placidiæ meminerit, quos eiusdem cum hac bulla magnitudinis esse tradit, non erit a proposito alienum, illud huc referre numisma, quod est apud Octavianum de Strada. (k) In eo sane non modo magnitudo huius bullæ, videtur exprimi, sed & ipsa sculptura. Vtrobique Gallæ Placidiæ effigies, vtrobique eadem inscriptio, & in numo quidem talis: D. N. GALLA PLACIDIA. P. F. AVG. Vtrobique porro Victoriola cum cruce apparet, & in numo quidem stella præterea conspicitur

a) HOKSEM. *in Adolpho Marcan. Ep. Leod. cap. 30.* b) PHRANZ. *lib. 2. c. 10.* c) THVLEMAR. *l. c. c. 3. p. 14.* d) CVRIO *de orig. Sarac. p. 11.* e) HOEPINK. *cap. 5. de iure sigill. n. 25. p. 113.* f) THVLEMAR. *l. c. c. 3. p. 14.* g) CODIN. *de off. aul. Const. c. 5. n. 27.* h) CODIN. *l. c.* i) DV FRESNE *l. c. part. 1. p. 642.* *) *Tab. I. n. I.* k) STRADA *lib. 1. Rom. Princip. p. 210.*

ſpicitur cum epigraphe: VOTA XX. MVLT. XXX. Vereor igitur, ne eiusdem commatis ſit hæc bulla Placidiana cum illa Ludouiciana argentea, in eodem gazophylacio ſeruata cuius paullo ante meminimus, ne nimirum ectypon plumbeum ſit cuiusdam numi, quod deinde pro ſigillo habitum eſt. Sed hanc ambiguitatem facile ſuſtuliſſet laudatus du Freſne, ſi addidiſſet, num rimæ, per quas fila traiici poſſint, in hac bulla exſtent. Quod, quia omiſſum eſt, alii videant.

2) TESTIMONIVM DE BVLLIS PLVMBEIS CP.

II. Proxime hanc bullam ſequatur teſtimonium aliud illuſtre, ex quo iam ſæculo octauo Imperatores Byzantinos bullis plumbeis vſos eſſe certiſſime conſtat. Exſtat illud in actis Synodi Nicenæ II, pro iconolatria ſtabilienda conuocatæ, (a) atque ita ſe habet: Ὁ κέλευσιν βασιλέως δεξάμενος, καὶ ἀσπασάμενος τὴν σφραγίδα, ἐ τὸν πηλὸν ἐτίμησεν, ἢ τὴν χάρτην, ἢ τὸν ΜΟΛΥΒΔΟΝ ἀλλὰ τῷ βασιλεῖ τὴν προσκύνησιν καὶ τὸ σέβας ἀπένειμεν. *Is, qui iuſſionem Imperatoris ſuſcepit, & ſalutauit ſigillum, non lutum adorauit, aut chartam, aut PLVMBVM, ſed Imperatori adorationem & cultum impendit*, quo quidem ex loco clariſſime liquet, bullas plumbeas a Græcis Imperatoribus frequentiſſime adpenſas eſſe.

3) ALIVD EIVSDEM GENERIS.

III. Huc pertinent etiam præcepta Byzantinorum Imperatorum plumbo ſignata, quorum meminit Petrus Diaconus in Chronico Caſſinenſe. (b)

4) BVLLA PLVMBEA BALDVINI II.

IV. Aliam bullam Byzantinorum plumbeam, multoque elegantiorem his verbis deſcribit laudatus Carolus du Freſne: (c) *Eiusmodi autem Narthex præclare effingitur in BVLLA PLVMBEA Balduini II. Imperatoris Conſtantinopolitani diplomati anni 1241 appenſa, in qua Balduinus Imperatorio habitu ſedens, dextra virgam tenet, in cuius parte ſuperiori neſcio quid quadratum oblongius eminet, fimbria circumdatum, & ad extremos angulos globulis vel margaritis exornatum. Ab inferioribus vero angulis pendent vittæ margaritis pariter diſtinctæ. Haſtæ extremum claudit globulus ſeu margarita grandior, cui minor inſiſtit. Narthecem ipſum exteriorem exornat circulus ouali figura unionibus contextus.* Sic nimirum & Latini, Conſtantinopoli rerum potiti, vt ceteros mores Græcorum, ita & bullarum plumbearum vſum imitati ſunt.

5) BVLLA CONSTANTINI.

V. Denique niſi omnia me fallunt, eiusdem generis eſt illud vel Conſtantini Palæologi, quocum tandem ipſum imperium Byzantinum exſpirauit, vel alius eiusdem nominis ſigillum, quod producit Octauius de Strada. (d) * Præfert illud S. Georgium ſtantem, dextraque haſtam, ſiniſtra clypeum tenentem cum inſcriptione: ΟΛΓΙΟCΓΕ hoc eſt ὁ ἅγιος γεώργιος, auerſa vero parte hæc adparet inſcriptio:

KωNqaN
TINOV CφPa
ΓICMA ΠPOKa
ΘHMENϐ.

Hoc eſt, Κωνσαντίνϐ σφράγισμα προκαθημένϐ. *Conſtantini Præſidis ſigillum.* Tantopere nimirum hoc ſanctulo delectati ſunt Græculi, ex quo ſemel eos opinio de illo adiutore peruaſerat, vt non modo numis, ſed ipſis quoque ſigillis eius imaginem inſculpſerint. Qua de re præter laudatum du Freſne (e) videndus Lœſcherus in eleganti de *numariæ rei vſu in hiſtoria eccleſiaſtica* diſſertatione. (f)

BVLLIS PLVMBEIS APVD GRÆCOS DEINDE VILIORES ETIAM SIGNARVNT. BVLLÆ PLVMBEÆ IMPERAT. ET REG. OCCID.

VI. Quemadmodum vero ita ſolet fieri, vt ea, quæ principibus viris initio propria fuere, ſenſim cum aliis deinde atque aliis communicentur: ita & bullis plumbeis idem accidit. Nam poſterioribus reip. temporibus etiam ad illuſtriores palatii proceres earum vſus tranſiit, quod ex Angeli de Nuce notis ad Petrum Diaconum probat Carolus du Fresne. (g)

X. Byzantinos ſequantur Imperatores occidentales, quos non minus ac illos bullis plumbeis interdum delectatos eſſe, conſtat. Sed rarius id factum oportet, quum paucæ ſuperſint vel bullarum eiusmodi ectypa vel diplomata, quæ ab omni ſuſpicione immunia præſtare poſſis. Caroli M. bulla plumbea laudatur in Chronico Novalicenſi, quod apud

 Duſchesni-

a) *Act. 4. ap.* BIN. *tom. 3. Concil. part. 1. p. 356.* b) PETR. DIACON. *Chron. Caſſin. lib. 4. c. 109.* c) DV FRESNE *de infer. æui numiſm. n. 21. p. 18.* d) STRADA *lib. 2. Princip. Rom. p. 361.* * *Tab. I. n. 2.* e) DV FRESNE *l. c. n. 32.* f) LOESCHER. *diſſ. alleg. n. 8.* g) *p. 642.*

Duchesnium in tomis rerum Francicarum habetur, vbi charta fundationis a Carolo M. renouata ita finitur: *Non enim ex consuetudine anteriorum regum hoc facere decreuimus, sed solummodo propter necessitatem & mercedis augmentum transscribere præcepimus hoc modo, & super PLVMBO sigillari iussimus.* Aliam porro Caroli siue Magni, siue Calui bullam plumbeam, quæ in gazophylacio Regio Parisiensi seruatur, describit Stephanus Baluzius, (a)* qui & diplomata nonnulla allegat, in quibus Imperator hic bulla, (plumbea procul dubio,) se signasse fatetur. Ingelwinus Parisiensis Præceptum de abbatia S. Eligii obtinuerat a Carolo Caluo, in cuius extrema parte hæc leguntur: *Vt autem huius nostræ piissimæ donationis auctoritas potiorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, de bulla nostra insigniri iussimus.* Qualis formula etiam in alio diplomate pro Ænea Episcopo Parisiensi (b) occurrit. Porro in Chronico monasterii Farfensis, teste laudato Baluzio, exstat diploma Lotharii Imperatoris, quod hanc in formulam desinit: *Et vt hæc auctoritas confirmationis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora a fidelibus sanctæ ecclesiæ & nostris verius credatur, & diligentius conseruetur, more nostro eam subscribere, & de* BVLLA NOSTRA *iussimus* SIGILLARI. Prætereo Ludouici II Imp. chartam pro Monasterio S. Clementis Insulæ Piscariæ anno DCCC LXXV. descriptam profert Vghellus. (c) Sed quum illud diploma suspectum videatur laudato Car. du Fresne, quid de bulla statuendum sit, alii iudicent. Sed dicenda hic nonnulla de bullis plumbeis Caroli Regis, quæ eleganti inscriptione: RENOVATIO REGNI FRANCORVM se commendant. Plures huius generis passim occurrunt, & videbimur operæ pretium facturi, si auctores, apud quos inueniantur, paullo accuratius hic recensuerimus. Primo igitur huiusmodi bullæ in gazophylacio S. Genouefæ asseruatæ, meminit Carolus du Fresne (d) his verbis: *In eius parte antica efficta principis imberbis & laureati lusca protome cum hac inscriptione:* KAROLVS MP. AGS. *in postica in medio circulo hi leguntur characteres:* RENOVATIO-REGNI-FRANCOR. Si ipsa gazophylacii Sangenouefensis descriptio, qualem nobis dedit Claudius du Molinet, (e) esset ad manus, procul dubio accuratam non descriptionem, sed delineationem dare liceret. Sed quum iam hoc libro destituamur, non est quod præterea speremus. Interim obseruo, Patinum (f) etiam huius generis bullam possediſſe, qui hoc nobis de ea iudicium dedit: *Vnum addam, me ex tot recentioribus numis vnum selegisse, qui mihi est instar thesauri: Carolum Magnum repræsentat, Regem Galliæ primum, deinde Imperatorem: non quidem cum toga imperatoria, aut cum ense & globo, sed tantum cum laurea, ornamentorum vicem supplente. Materia eius,* PLVMBVM *scilicet, indicat sigillum fuisse: Inscriptio superbissima est* (eadem nimirum, quam supra retulimus) *quam siue numo huic propriam affixerit Imperator, vel diplomatibus suis, sane ad Francorum gloriam plurimum confert.* Præter Patinum & aliam eiusdem generis bullam plumbeam inuenias in Domini leBlanc elegantissima dissertatione super quibusdam Caroli M. Ludouici Pii, Lotharii eorumque successorum numismatibus Romæ signatis, quibus horum Imperatorum supremum in vrbem imperium demonstratur, (g) vbi illa ita describitur, quod altera parte præferat Caroli effigiem cum inscriptione: D. N. KAR. IMP. P. F. P. P. AVG. in auersa facie ciuitatem cum perigraphe: RENOVATIO. ROMAN. IMP. infra ROMA. (**) Denique & aliam huius commatis in Archiuo Sangallensi vidit Ioachimus Vadianus, (h) cuius en descriptionem ipsius Vadiani verbis conceptam: *Caroli Crassi diploma exstat Sangalli, nuper a me visum, in cuius* SIGILLO PLVMBEO *ipse Imperator laureatus cernitur cum hac inscriptione:* CAROLVS M. AVGVSTVS, *& in altera sigilli parte hæc verba ibidem laureo sertulo inclusa leguntur:* RENOVATIO REGNI FRANC. Nec tamen putandum est, soli plumbo hanc inscriptionem insculpi solitam. Exstant enim apud Mabillonium (i) tres bullæ aureæ, vna Ludouici Pii, altera Caroli Calui, & tertia Ottonis M. in quibus eandem reperies. Quum igitur tot passim conspiciantur huius bullæ exemplaria, duo præcipue de illis in quæstionem venire animaduerto: *Primum* quidem, cuinam Carolo hæ bullæ tribuendæ sint? *alterum* vero, an pro genuinis haben-

BVLLÆ QVIBVS INSCRIPTVM: RENOVATIO REGNI FRANCORVM.

2) SANGENOVEFENSIS.

a) SANGALLENSIS.

a) BALVZ. *not. ad Capitular. Reg. Francor. p. 1284. Tom. 2.* * *Tab. I. n. 11.* b) BALVZ. *l. c. p. 1485. Tom. 2.* c) VGHELL. *tom. 6. Ital. S. p. 1300.* d) CAR. DV FRESNE *l. c. p. 641.* e) MOLINET. *dans le cabinet de la bibliotheque de Sainte Gennevieve.* f) PATIN. *thesaur. numism. prope fin.* ** *Tab. I. n. 9.* g) LE BLANC *dissert. historique sur quelques monnoyes de Charlemagne. c. 4. p. 24.* h) VADIAN. *lib. 2. de colleg. & monast. Germ. p. 53, tom. 3.* GOLDAST. *rerum Alam.* i) MABILLON. *cap. 11. supplem. de R. D.*

habendæ videantur. Et ad *primum* quidem quod attinet, video tum Carolum du Freſne, tum Patinum, tum Dominum le Blanc illas magno conſenſu adſerere Carolo M. Et certe in illa Domini le Blanc non modo inſcriptio RENOVATIO ROMAN. IMP. cum geſtis huius Imperatoris, ſed & ipſa Caroli effigies cum obſeruationibus eruditorum de barba eius egregie conuenit, quum e contrario Carolus Craſſus plane imberbis conſpiciatur in ſigillo Paderbornenſi, (a) numoque ab Octavio de Strada (b) delineato. Vt adeo non dubitandum videatur, quin iſta Carolo M. tribuenda ſit. At Sangenouefenſis, vt & illa Patini procul dubio Caroli Craſſi eſt, quum plane ſimiles videantur illi Sangallenſi, quam profert Vadianus. De hac enim eo minus ambigendum eſt, quod diplomati Caroli Craſſi adhæret, cuius finem Vadianus ſubnectit: *Data Non. Octob. Anno incarnationis domini M CCC LXXXIII. indictione ſecunda, anno vero imperii Domini Caroli in Italia III. in Francia II. Actum Papiæ in Dei nomine feliciter.* Contraria forſan videri poſſet inſcriptio bullæ Sangallenſis, quæ ita ſe habet: CAROLVS M. AVGVSTVS: ſed reſpondet Vadianus, dudum eſſe obſeruatum, quod hoc cognomen non tantum Carolo M. ſed & Caluo Craſſoque dari conſueuerit. Et certe Eckehardus iunior vix aliter vocat Carolum Craſſum, quam Magnum, quod plura eius loca teſtantur, (c) idque ex Chartario Sithienſi etiam probat doctiſſimus Mabillonius. (d) Sed omnia hæc loca indicant quidem, Carolo Craſſo ab aliis nonnunquam id nomen dari conſueuiſſe, ſed, quod ipſe ſibi hoc tribuerit, plane eſt incredibile. Sane enim id cognomen non rerum geſtarum magnitudine meruerat, vt illud inter titulos iactare potuerit, ſed Magni vox, Caroli huius nomini adiecta, nihil notabat aliud, quam Craſſum, hoc eſt, membrorum artuumque mole conſpicuum. Hanc ſane vocis ſignificationem Carolingorum æuo admodum fuiſſe familiarem, vel inde liquet, quod ipſi Carolo M. id nomen æque non a rerum geſtarum magnitudine, ſed corporis potius erectiori ſtatura adhæſiſſe nonnullis videtur. Quam in rem hos verſiculos ex Egidii cuiusdam Pariſienſis MSC lib. I. Karolin. profert Carolus du Freſne. (e)

CVI CAROLO SINT TRIBVENDÆ?

CAROLVS CRASSVS AN ET CVR M. DICTVS.

Auguſti quarto Nonarum luce coire
Concilium fecit, (f) *ad quod cum coniuge Regem*,
Et cum ſuſcepta de coniuge prole vocauit.
Tunc miſſam incipiens, quando conſedit ad aram
Regificos cultus aptauit vtrique parenti,
Cum quibus impreſſo natorum crinibus auro
Inter vtrumque duos chriſmauit vertice fratres,
Nominis eiusdem niſi quod de fratribus alter
Dignoſcendus erat Karolus cognomine Magni,
Corporis ex habitu, meritis cognominis omen
Qui bene MAGNVS erat, quia ſicut corpore ſupra
Illius ætatis primæuæ debita MAGNVS,
Sic animo maiorque fuit virtute futurus.

Quæ plane conueniunt cum προσωπογραφίᾳ hac Eginharti: (g) *Corpore fuit amplo atque robuſto, ſtatura eminenti, quæ tamen iuſtam non excederet: nam ſeptem ſuorum pedum proceritatem eius conſtat habuiſſe menſuram.* Vt prætermittam hic, quæ de eius ſtatura corporisque habitu commentatur fictitius Turpinus. (h) Vt igitur a Carolo M. ad Carolum Craſſum redeamus, negari, inquam, non poteſt, eum id nominis non aliunde quam a corporis mole eſſe adeptum, atque adeo nihil fuiſſe cauſſæ, quamobrem illud in ſigillis iactaret. Quæ quum ita ſint, rectius ſane coniecit doctiſſimus Conringianæ Cenſuræ vindex, (i) Vadianum properante oculo adſpexiſſe bullam, in qua non CAROLVS M. ſed CAROLVS IMP. legatur, & vox IMP. vnica littera M. exprimatur, ita vt primum eius fulcrum I ſimul præſtet, tertio autem curuatura P. addatur. Ita ſane ſe res habet in bulla Patini; ita in bulla Sangenouefana. Nam Carolus du Freſne inſcriptionem ita refert: KAROLVS MP.

a) MONVM. PADERB. *p. 208. edit. 1.* b) STRADA *lib. 3. p. 382. de Rom. Princip.* c) EKEHARD. *cap. 13. de vita S. Notkeri p. 233. cap. 16. p. 237. cap. 29. p. 243.* d) MABILLON. *lib. 5. de R. D. p. 408.* e) DV FRESNE *part. 2. Gloſſ. I. p. 348.* f) STEPHANVS PP. g) EGINHARD. *de vit. & geſt. Car. M. p. 9. ap.* REVB. h) TVRPIN. *cap. 20. p. 80.* i) VINDIC. HIST. *pro* HERM. CONRING. *Cenſ. dipl. Lind. c. 7. n. 14. p. 152.*

AGS., ideo quod operas contractionem istam trium litterarum non satis commode exprimere posse sciret. Quod deinde sphalma ratus V. C. Thulemarius, inscriptionem non vti est, sed vti esse deberet, recensuit. Patet ergo ex his, quæ de plumbeis istis bullis disseruimus, illarum vel omnes, vel certe plerasque Carolo Crasso esse tribuendas.

AN SINT HÆ BVLLÆ GENVINÆ?

XI. Hæc vbi scripseram, amicus quidam, qui me imprudente in schedas meas impolitas inciderat, percontari me cœpit, num serio hæc tanto molimine de bullis istis Carolinis statuerem, quum compertum sibi sit, Celeberrimum Tenzelium has bullas omnes tanquam spurias rationibus euidentissimis reiecisse. Quamuis igitur illa Tenzelii mihi satis essent nota; nihil tamen tunc festinanti amico erudito reposui, quam quod Mabillonius & Patinus & Carolus du Fresne & alii viri eruditissimi has bullas genuinas agnouerint. Ad studia reuersus Tenzelii dialogos menstruos euolui, eiusque rationes expendi paullo accuratius. *Primo* igitur id vrgere illum video, quod Patinus, talium rerum censor sagacissimus, bullam suam recentiorem agnouerit. Sed quum quisque verborum suorum optimus videatur interpres, aut fallor ego, aut Patinus ipse satis in sequentibus docuit, se bullam hanc pro Carolina habere, atque adeo recentiorem vocare respectu aliorum, quæ supra attulerat, numismatum. Et quis credat, Patino, tanto antiquitatis omnis promocondo, vnicam bullam plumbeam a recentiore manu confictam instar thesauri fuisse? *Deinde* laudatus Tenzelius contendit, Patinum nunquam ostensurum diploma, cui plumbea hæc bulla adhæserit. Enimuero licet Patinus de diplomate ex quo petita sit, taceat, vel id tamen sufficit, quod Vadianus bullam suam, quæ Patinianæ illi, vt ouum ouo, est simillima, in diplomate inuenerit. Non etiam fit verisimile, Vadiani diploma suspectum esse, cuius tot ante sæcula meminit Ratpertus in Casibus S. Galli. (a) *Denique* etiam inscriptio elegantior videtur Domino Tenzelio, quam Carolingorum æuum ferat. Enimuero noui quidem argutas illas & ad Romanorum plane elegantiam accedentes inscriptiones, quæ in numis Carolinis Biæi & Palatii occurrunt, iure ipsos numos reddere suspectos. Sed permultum interesse puto inter istos numos & bullas nostras. Quum illorum falsitas omnium oculos feriat, hæ vero nihil adeo argutum habeant, quod istius æui simplicitati repugnet. Inscriptiones enim hæ id sibi volunt, quod Carolus Crassus Augustæ non modo dignitatis decus, quod aliquandiu a Germanis exsulauerat, genti suæ restituerit, verum etiam tria regna Germaniæ, Italiæ & Galliæ, per tantum temporis interuallum diuisa, denuo felicibus auspiciis coniunxerit, atque adeo Imperium Rom. Francorumque regnum ad eam felicitatem, quali sub Carolo M. & Ludouico Pio fruita fuerant, reuocarit. (b) Id vero non simplicius poterat exprimi quam inscriptionibus istis supra adlatis. Hæc amico isti iam respondenda duxi. Dn. Tenzelium enim, cuius tela ille tum vibrabat, ipsum a nemine monitum sententiam mutasse, mitiusque postea de his bullis sensisse, cum ex ipsius dialogis menstruis, (c) tum præcipue aliunde liquet.

ETIAM POST CAROLINGOS PLVMBO SIGNARVNT IMP.

XII. Atque hæc quidem de Francicis Imperatoribus certa atque indubitata videntur: num vero & Saxonicæ, Salicæ Sueuicæque stirpis Cæsares plumbearum bullarum vsum retinuerint, res est paullo altioris indaginis, quum pauca eius rei exstent documenta. Hæc tamen quum nec ab Hœppinckio, nec a Thulemario obseruata sint, placet hic quædam eorum exempla recensere. Ottonis igitur III Imperatoris bullam plumbeam diplomati pro Metensi cœnobio S. Felicis ex vinculo coriaceo adpensam allegat Mabillonius. (d) Noui etiam exstare diploma eiusdem Imperatoris notatu digniſſimum, quo iura ac priuilegia ecclesiæ Romanæ confirmat, idque bulla plumbea munitum testantur Freherus, (e) Lehmannus, (f) Goldastus, (g) Zimmermannus, (h) aliique. Sed quum illud diploma Baronio aliisque videatur suppositititium, rem in medio relinquimus. Nec prætereundum putamus bullam plumbeam Conradi II elegantissimam, cuius meminit Cl. Knauthius, (i) de qua infra plura forsan erunt dicenda.

XIII. Nec infrequens in aliis regnis ducatibusque bullarum plumbearum vsus fuit. De Hispanis id ex Antonio de Yepez (k) & Illustr. G. G. Leibnitii Codice Iuris gentium diploma-

a) RATPERT. *Cas. S. Galli. cap. 10. p. 10.* b) VINDIC. HIST. *pro* H. CONRING. *p. 152.* c) TENZEL. *Dial. Menstr. an. 1693. p. 996.* d) MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 17. p. 142. de R. D.* e) FREHER. *sing. diss.* f) LEHM. *lib. 5. Chron. Spir. c. 15.* g) GOLDAST. *Const. Imp. p. 226.* h) ZIMMERM. *Amœnit. theol. p. 121.* i) KNAVT. *lib. 2. Antiquit. Comit. Ballensted. c. 18. p. 102.* k) YEPEZ. *Chron. Ord. S. Ben. tom. 7.*

plomatico (a) obſeruant doctiſſ. Thulemarius (b) & Mabillonius: (c) de Regibus Cypri idem Mabillonius. De Siculis Regibus idem teſtatur Rocchus Pirrus. (d) De Dynaſtis pluribus Francicis idem ex actis & regeſtis Parlementorum adnotat Carolus du Freſne. Nec eſt dubium, quin & alibi paſſim eiusmodi bullæ plumbeæ in vſu fuerint, quum vt ſupra obſeruauimus, id metallum ad vſum hunc ſit accommodatiſſimum.

NEC NON DVCES VENETI.

XIV. Interea hic notandum eſt, quod & Duces Veneti hodienum, & alii principes Viri plumbum ſignandis litteris iam olim adhibuerint. De Venetis res certa eſt, licet de inſtituti huius origine nonnulli perperam ſentire videantur. Male reipublicæ libertati conſuluit Antonius Coccius Sabellicus, qui iſtius moris originem ab Alexandri III Pontificis clementia repetendam putat. Nam dudum ante iſthæc tempora Duces Venetos ſigillis plumbeis vſos eſſe, probant Sanſouinus (e) & Hieronymus Megiſerius. (f) Et quamuis Sabellicus paullo poſt, Obbonis auctoritati innixus, ſe ipſe corrigat, atque id ſaltem de litteris chartisque priuatis intellectum malit, quæ quum ante Alexandri III tempora cera ſignatæ ſint, ex eo tempore, non minus ac cetera monimenta publica, plumbeis bullis cœperint communiri: neſcio tamen, an & hæc credibilia ſint, quum respublica ad plenam libertatem ſummis iam tum viribus contenderit, ac ideo ne Imperatoribus quidem, nedum Pontificibus Romanis æquo animo paruerit, atque adeo non opus habuerit Pontificis indultu, ſi ſigilla plumbea adhibere voluiſſet. Alios viros principes, qui plumbo ſignarunt, ex Honorato Bouche (g) & Vghelli Italia S. (h) nominat Mabillonius, (i) Vgonem de Baucio, Boamundum Principem Antiochenum, Cosman Protopatritium, Baſilium aliosque

ALIQVE VIRI PRINCIPES.

BVLLÆ PLVMBEÆ CIVITATVM.

XV. Denique agmen regnorum, rerumque publicarum, in quibus plumbeorum ſigillorum vſum deprehendimus, claudant ciuitates. Nam & harum nonnullas id ſibi iuris vindicaſſe, adparet exemplo Lucenſium, quos eo priuilegio ab Alexandro II PP. donatos refert Ptolemæus Lucenſis. (k) Nec dubito, quin & Romanæ ciuitati ſolemne ſit plumbo ſignare. Niſi enim omnia me fallunt, huius generis eſt ſigillum S. P. Q. R. diplomati adpenſum, quo Iacobus Gutherius in Ciuium Nobilium Patritiorumque Romanorum numerum cooptatur, cuius typum elegantiſſimum (*) ipſe profert laudatus Gutherius. (l) Sed nos de illo infra plura.

BVLLÆ CONCILIORVM.

XVI. Eccleſiaſticum ordinem ordimur a Conciliis, quorum de bullis tractare, res eſt plena ambiguitatis. Nam de iis mirum vbique eſt in actis conciliorum ſilentium. Ingens *de conciliis rebusque conciliaribus* opus conſcripſit Dominicus Cardinalis de Iacobatiis, quod Romæ prodiit anno 1538. Exſtat & Andreæ, Epiſcopi Mogorenſis Hiſpani *Gubernaculum conciliorum*, actis concilii Conſtantienſis inſertum a Cl. Dn. Hermanno van der Hardt: (m) Et quamuis in iis auctores omnia vel minutiſſima ſatis prolixe exſequantur, ſigilla tamen ſiue bullas ne attingunt quidem. Et certe non adeo antiquus ille mos videtur, quo ſingularibus ſigillis vſi ſunt concilia ac ſynodi. Antiquiſſimorum conciliorum decreta ſolis Epiſcoporum ſubſcriptionibus muniebantur. In mediæ ætatis ſynodis aut Imperatores, qui præſidebant, aut præcipuos Epiſcopos ſigilla ſua adpoſuiſſe video. Adparet id ex ſpecimine chartæ ſynodalis a Mabillonio (n) editæ, quam ſolus ſignauit Rorico, Epiſcopus Laudunenſis. Exſtat & decretum ſynodi Moguntinæ, ſub Luitperto Archiepiſcopo anno 888. habitæ, quod poſt Nicolaum Schatenium (o) ex ipſo Corbeienſium archiuo multo accuratius in lucem protraxit, & ſingulari diſſertatione illuſtrauit Chriſtianus Franciſcus Paulini. (p) In hoc vero decreto ſynodali fruſtra quæſiueris ſigillum ſynodale, quum ſolus Luitbertus Archiepiſcopus, qui primas in hoc congreſſu tenebat, *ſubſcriptionem ſuam* ANNVLI SVI *impreſſione ſignaſſe* ſe fateatur. Id quod plane ita factum, ex autographo didicit laudatus Paulini. Nam de ſigillo, huic decreto impreſſo, ita ſcribit: *Sigillum* ICONE LVITHBERTI *inſignitum a longa vetuſtate exeſum eſt.* Si plura decretorum ſynodalium autographa, qualia ſunt illud de erectione eccleſiæ Magdeburgenſis apud Sagittarium, (q) aliudque Synodi Goslarienſis apud Maderum, (r) (de quo nos alibi (s) prolixius diſſe-

a) LEIBNIT. *Cod. iur. Gent. Dipl.* b) THVLEMAR. *l. c. c. 4. p. 16.* c) MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 17. p. 142. 143.* d) ROCCH. PIRR. *tom. 1. p. 129. 316. 414. 475. tom. 2. p. 20. 279. 280. 283.* e) SANSOVIN. *lib. 11. hiſt. Venet.* f) MEGISER. *Deſcript. vrb. Venet. lib. 2. c. 4.* g) BOVCHE *tom. 1. Hiſt. Prouinc. p. 910. & 912.* h) VGHELL. *Ital. S. tom. 4. & 8.* i) MABILLON. *lib. 2. de R. D. c. 16. n. 17. p. 142. 143.* k) PTOL. LVC. *p. 14. Annal.* *) *Tab. II. n. 4.* l) GVTHER. *lib. 2. de Iure Man. c. 35. p. 399.* m) HARD. *Concil. Conſt. tom. 6. part. 4. p. 140.* n) MABILLON. *lib. 5. tab. 53. n. 3. p. 451. de R. D.* o) SCHATEN. *lib. 1. annal. Paderb. p. 207. part. 1.* p) PAVLLINI *Syntagm. Hiſtor. Germ. p. 486. 489. 491.* q) SAGITTAR. *antiquit. Magdeb. n. 93. p. 60.* r) MADER. *antiquitat. Brunſuic. p. 211.* s) *lib. 1. Antiquit. Gosl. p. 30.*

disseruimus) aut ætatem tulissent, aut ex latebris protraherentur, dubium non est, quin eandem in illis initam esse signandi rationem constaret. Interea frustra de conciliorum sigillis quæritur, quæ nulla fuerunt. At sæculo ineunte XV, quod synodale vocat eruditissimus Guilielmus Caue, alia cœpit esse rerum facies. Nam tunc primum, si recte coniicio, in concilio Pisano excogitata fuerunt sigilla ista synodalia, quæ deinde in Constantiensi, Basileensi, & Tridentino retenta fuerunt. Ista vero plumbea esse, plura demonstrant decreta synodalia, quæ ipse vidi. Ex quibus etiam de eorum sculptura infra plura occurrent.

BVLLÆ PLVMBEÆ QVANDO INVENTÆ A PP.?

XVII. Iam ad Pontifices Romanos nobis veniendum est, qui bullarum plumbearum vsum ita sibi veluti proprium fecerunt, vt, præter hos, pauci admodum eas hodie adhibeant. De tempore, quo primum istas adhibuerunt, magna video sententiarum diuortia esse. Polydorus Vergilius, (a) curiosus admodum originum scrutator, non adeo antiquas facit Pontificum bullas, de quarum inuentione ita sentit: *Institutum obsignandi litteras Romani Pontificis plumbo vnde ad posteros manarit, perdiu quæsiui, plumbo tam pretioso esse, credo, in viscera terræ rursus abdente, vt ne cuiquam prædæ esset, quum soli Romani Pontifices eo vtantur. Equidem satis constat, AGATHONEM, quo sedente, magna sedi facta est honoris accessio, IN CERA annulo impressisse sigilla: Verum postea quum Romanus pontifex multa irrogaret priuilegia, vt diplomata diuturniora fierent, placuit Stephano III ac deinde Hadriano I. tabulas apostolicas PLVMBO obsignari. Fuit is annus salutis 772, cum ipse Hadrianus factus est Pontifex: nam antiquius non reperitur SIGILLVM PLVMBEVM.* Dissentit ab hoc Thomas Stubbius, inter Scriptores Historiæ Anglicanæ editus, qui Mabillonio teste (b) bullarum plumbearum Papalium originem Gregorio I tribuere videtur. Quum enim lis mota esset inter Wilhelmum Cantuariensem & Turstinum Eboracensem Antistites, ac ille suæ ecclesiæ priuilegia pro se in medium protulisset, quæstionem subortam refert de diplomatum fide, quod in his bullæ plumbeæ desiderarentur. Dicente vero Cantuariensi, illo tempore bullas plumbeas nondum appendi consueuisse, Eboracensem protulisse diplomata Gregorii I & Honorii Pontificum iam tum bullis plumbeis munita. Sunt, qui etiam Gregorio I. antiquiores bullas plumbeas Pontificum statuunt. Nam Dominicus Rainaldus apud Leonem Allatium (c) longe antiquiorem facit bullarum vsum, ad ipsaque Syluestri tempora reiicit, cuius bullam plumbo obsignatam in archiuo Aretino reperiri ait, aliasque etiam Leonis I, Gregorii M. & Sergii bullas in Archiuo Castri S. Angeli seruari addit, qua in re ei & Bromptonus (d) adsensum præbet. Nostrum non est, tantas componere lites. Nec tamen dubitarim adserere, Polydori sententiam non minus, quam illam Rainaldi esse falsam. Alter enim nimis antiquas, alter nimis recentes facere videtur pontificum bullas. Hinc probabile est, initio papas pauca diplomata eaque sola cera signasse, deinde vero sæculo VII cœpisse plumbo ac cera vti promiscue, donec demum seculo VIII plane ceræ vsus euanuerit & ad Breuia, quæ vocant, sit relegatus. Primo enim quemadmodum Syluestri vt & Leonis I. & Gregorii M. diplomata, vel ipsa antiquitate haut parum suspicionis habent, vt adeo illis non sine metu erroris innitaris, ita multæ apud Francisc. Gualdum, Io. Pallatium & cel. Mabillonium (e) exstant bullæ papales Pauli I. Iohannis IV. Sergii I. aliorumque Pontificum, qui ante Hadrianum I. vixere. Deinde certum est, etiam post Hadriani tempora, non ita plane obsoleuisse in curia Romana cerea sigilla, vt solæ bullæ plumbeæ sint adhibitæ, argumento egregio, harum vsum tum admodum fuisse recentem. Sic Ioannes XV Papa synodi Moguntinæ decretum in Corbeiensium gratiam confirmans, ipsius fere synodi verba retinuit, & ipse quoque *annuli sui impressione signasse* se scribit. Vtinam vero Cel. Paulini, quemadmodum Luithberti Moguntini, ita & Iohannis XV descripsisset sigillum, non esset dubium, quin cereum essemus habituri. Annulo enim in bullis plumbeis locus non est. Denique & id est notatu dignum, quod Pallatius, qui omnes Pontificum bullas & numos maiori industria, quam iudicio conquisiuit, non possit antiquiorem proferre, quam plane indubiam habeat, quam Sergii I, exeunte sæculo septimo viuentis, cuius binas depingit, (f) alteram in bibliotheca Vaticana, alteram in museo Cardinalis Barberini seruatam. Sed nec hæ quidem satis certo Sergio I. tribui videntur. Solet enim Pallatius omnes bullas, in quibus numerorum nulla fit mentio, primo eius nominis pontifici adscribere, in quo necesse

a) POLYD. VERGIL. *lib. 8. de inuent. rer. c. 2. p. 605.* b) MABILLON. *lib. 2. c. 14. n. 7. p. 128. de R. D.*
c) LEO ALLAT. *lib. 1. de perpet. consens. Occid. & Orient. eccl. c. 6. n. 12.* d) BROMPTON. *p. 1718.*
e) MABILL. *lib. 2. c. 14. n. 9. p. 128.* f) PALLAT. *tom. 1. de gest. pontif. p. 340.*

necesse est sæpe illum errare, quum non antiquissimus sit mos, plures eiusdem nominis Pontifices, Regesque numeris distinguendi. Francorum certe Regum æuo nec dum quidem id consueuit fieri. Vnde non temere leges, Hludouicos Carolosque Reges se primos, secundos, tertios vocasse, quod fecissent omnino, si moris id fuisset. Idem ergo de Pontificibus credere par est. Vt adeo nondum certum videatur, bullas illas, quas Sergio I adscribit Pallatius, vere eiusdem esse. At magis certa sunt, quæ sæculo octauo non modo Pallatius, ex Francisco Gualdo ac variis bibliothecis, sed & Cel. Mabillonius (a) producit, quæ omnia firmant nostram sententiam, de bullarum pontificiarum origine in sæculum octauum reiicienda.

AN PLVMBVM HVMILITATIS INDICIVM, VIDENTVR PATRIARCHAS CP. ÆMVLATI.

XVIII. Quid Pontifices permouerit, vt plumbeis eiusmodi sigillis vterentur, non facile dixerim. Dominicus Rainaldus (b) hac in re summam Pontificum Romanorum agnoscit humilitatem, qua factum sit, vt, cum ceteri Reges ac Principes auro argentoque obsignent, hic seruus seruorum Dei plumbo, viliſſimo metallo, contentus esset. Enimuero si paullo adcuratius rem consideremus, eo fere adducimur, vt potius eos Græcorum æmulatione huc impulsos credamus. Sane enim ex quo Patriarchæ Constantinopolitani Episcoporum œcumenicorum titulum pessimo exemplo affectauerant: omnem Romani Episcopi dedere operam, ne vlla in re illis concederent. Constat vero, Patriarchas Constantinopolitanos dudum vti consueuisse bullis plumbeis. Ipso enim sæculo VIII, quo Pontifices primum eas solas adhibuisse diximus, illam usurpauit Germanus Patriarcha, cuius epistola exstat in Codice Iuris Græco-Romani (c) μολιβδίνῃ βέλλῃ insignita, quæ & adcurate ibidem describitur. Hic mos etiam posterioribus non fuit ignotus, quippe quum & Alexii & Constantini Lichudis plumbeæ bullæ in eodem codice occurrant, (d) quarum notitiam debemus diligentissimo Kirchmanno. (e) Plane igitur non est dubium, quin æmulatione horum accensi Pontifices suas quoque fecerint bullas plumbeas, quas Patriarchæ Constantinopolitani, more ex Imperatorum palatiis accepto, ceterorum procerum Byzantinorum exemplo vsurpare cœperant.

EPISCOPORVM BVLLÆ PLVMBEÆ.

XIX. Vltimo loco Episcopos statuimus, qui non minus, ac Pontifex Romanus & Patriarcha Byzantinus plumbo olim signarunt, licet iam res plane obsoleuerit. Adparet illud ex actis Concilii Cabilonensis II, anno 813. habiti, (f) vbi ita legimus: *Presbyter ad alium locum migrans litteras etiam habebit, quibus sint nomina episcopi & ciuitatis PLVMBO impressa.* Cui geminum est testimonium Anastasii bibliothecarii: (g) *Et omnia hæc in quinque codicibus scripta siue compacta & omnium subscriptionibus roborata, sed & ipsos codices PLVMBEA BVLLA munitos, atque sigillatim loci seruatoribus traditos, patriarchalibus sedibus deferendos effecta est.* Denique huc pertinet etiam locus Flodoardi (h) de Actardo episcopo: *Epistolam suo nomine ad Nicolaum PP. dictari fecit, quam & BVLLA sui nominis SIGILLAVIT.* Quem locum tam Carolus du Fresne, quam Dom. Thulemarius de bulla plumbea accipiunt: Idem laudatus Carolus du Fresne ex Bromptono, (i) vt & Mabillonius (k) ex Geruasio col. 1458. obseruant, Rochardum Cantuariensem Archiep. obiecisse monachis S. Augustini, bullas suas proferentibus, non solere Cisalpinos episcopos apponere bullas plumbeas, sed cereas, additque contrarium de transalpinis patere ex Rocho Pirro. (l) At de Cisalpinis non minus ac de Transalpinis Episcopis res certa est. Nam & in Germania nostra & in Anglia non desunt diplomata, quæ bulla plumbea vsos esse demonstrant præsules. Exempli loco esse poterit illud auro contra carum Brunonis Wirzburgensis Episcopi diploma, quo anno M XXXVI ecclesiæ suæ bona complura ad prædium Westphalicum Sünricke pertinentia donat, (m) in cuius calce ista legimus: *Volentes huius itaque irreprehensibilis ordinationis nostræ firmitatem inconuulsam semper permanere, quid qualiter actum sit, tabulis æneis iam sæpe dictis annotauimus, præsentis chirographi paginæ seriatim inscripsimus & SIGILLO NOSTRO per præsenti attestationi PLVMBEAM IMPRESSIONEM confirmauimus, vt sit memoriale a generatione in generationem.* Eiusdem generis fuit sigillum Ratbodi Archiepiscopi Treuerensis, impressum eius litteris, quas producunt Regino (n) & noua post Marculfum col-

lectio

a) MABILLON. *suppl. de R. D. cap. 11.* b) *ap.* ALLAT. *l. c.* c) *Ius Græco-Rom. tom. 1. lib. 1. p. 236.* d) *Ibid. lib. 2. p. 256. & 264.* e) KIRCHMAN. *cap. 8. de annul. p. 39* f) *can. 41. ap.* BIN. *tom. 3. part. 1. p. 195.* g) ANASTAS. *præfat. ad synod. 8. ap. eund. tom. 3. part. 1. p. 606.* h) FLOTOARD. *lib. 3. hist. Rhem. c. 17.* i) BROMPTON. *p. 1458.* k) MABILLON. *lib. 2. c. 14. n. 7. p. 128.* l) ROCHVS PIRRVS *tom. 1. p. 320. tom. 2. p. 281.* m) SCHATEN. *l. 6. ann. Paderb. p. 508. part. 1.* n) REGINO *lib. 1. cap. 438.*

lectio formularum. (a) In iis enim ita loquitur Præsul: *Hanc ergo epistolam Græcis litteris hinc inde munire decreuimus & ANNVLO ECCLESIÆ NOSTRÆ BVLLARE censuimus.* Quæ de plumbea bulla capit Baluzius. Huc pertinet etiam sigillum, quod describit Ioannes Hoksemius: (b) *Ostensum fuit in Capitulo coram Magistris SIGILLVM PLVMBEVM siue STANNEVM, eiusdem typarii cum magno sigillo argenteo Episcopi.* Exstat porro inter Lindenbrogii (c) priuilegia archiecclesiæ Hamburgensis charta Liemari Archiepiscopi Bremensis, quæ ita finitur: *In huius rei testimonium, vt res gesta posteritati fiat cognita, chartam hanc conscribi iussimus, & BVLLA PLVMBEA, vt nobis mos est, signari.* Ex quibus interpretari licet aliam eiusdem Liemari chartam, (d) quæ pariter ita clauditur: *Et vt hæc eius traditio & pactio firma sit & inconuulsa in perpetuum, placuit nobis & sibi, scriptum super hoc fieri, & BVLLA nostra signari in perpetuum testimonium earum rerum.*

BVLLA ÆNEA.

XX. Hæc sunt, quæ in sigillis vsum habuerunt, metalla. Cetera enim constanter neglecta video, quod nec eodem, quo aurum & argentum splendore, nec pari cum plumbo commoditate se commendarent. Græcos tamen despotas, vt erant nouarum rerum studiosi, sequiore æuo nonnunquam æs quoque adhibuisse, colligere mihi videor ex Alexandri Imperatoris bulla ænea, in Museo Danico obuia, quam describunt Auctor Musei Danici (e) & ex eo celeberrimus Tenzelius. (f)

CAPVT SEXTVM.

DE SIGILLIS CEREIS, EORVMQVE VARIO COLORE, VT ET DE CRETACEIS ET DE MALTHA.

I. Cera Principibus & priuatis communis.
II. Sigillorum cereorum colores diuersi.
III. Color luteus.
IV. Color candidus olim omnibus Principibus communis.
Postea quibusdam priuilegio concessus.
V. Sigilla rubra ab Imperatoribus CP. initio adhibita.
VI. Postea Pontifices eadem signarunt breuia.
VII. Reges Occidentales rarius rubra cera vsi sunt.
Ceteri Reges frequentius.
VIII Viridis color recentior.
IX. Color niger recentissimus.
X. Sigilla mixta qualia?
Sæculares plerumque viridi, Clerici rubra cera signabant.
XI. An & cera cærulea locum in sigillis inuenerit?
XII. Sigilla cretacea vel lutea.
XIII. Maltha.

I.

CERA PRINCIPIBVS ET PRIVATIS COMMVNIS.

HActenus de iis sigillis actum, quæ quum ex metallis fiant, non nisi viris Principibus propria fuere. Sequuntur ergo iam cerea, a priuatis non minus, quam illis adhibita. Nam & antiquissimæ Principum epistolæ ac diplomata non nisi cera signata sunt, & priuatis, ex quo sigillis vti cœperunt, cera tum ob vilitatem, tum ob mollitiem visa est ad vsum accommodatissima.

SIGILLORVM CEREORVM COLORES DIVERSI.

II. De cereorum sigillorum antiquitate iam non dicemus, alias enim ad ipsas Græcorum & Romanorum antiquitates esset redeundum, quas tamen iam in fronte libri nos prætermissuros sumus polliciti. In media ergo ætate subsistere libet, vbi quum sigillorum cereorum vsus fuerit frequentissimus, illud tamen sensim obseruari cœpit discrimen, vt coloribus a vulgo Principes se distinguerent. Occurrunt enim sigilla, quæ vel ex vno colore constant, vel e diuersis sunt composita. Illa, quæ *simplicia* vocamus, vel lutea, vel alba, vel rubra, vel viridia siue prasina, vel nigra fuerunt. Hæc, quæ *mixta* dicimus, vel ex altera parte alba sunt, ex altera contrasigillum rubrum aut viride habent, vel plane rubra aut viridia sunt, luteæ

a) *Noua collect. form. n. 42. vid.* BALVZ. *Not. ad Capitular. reg. Franc. p. 1284. Tom. II.* SIRMOND. *not. ad* GOFFRID. VINDOCIN. *p. 42.* b) IO. HOKSEM. *Hist. Leod. in Episc.* ADOLFO MARCAN. *cap. 30.* c) *n. 33. p. 147.* d) *ibid. n. 34. p. 148.* e) *Auctuarii sect. 3.* f) TENZEL. *Biblioth. curios. 1706. p. 369.*

luteæ ceræ veluti capſulæ incluſa, vel denique ex altera parte rubra, altera alba ſive lutea adparent.

III. Ex iis ſigillis cereis, quæ *ſimplicia* vocauimus, merito primum hic ſibi locum depoſcunt lutea ſiue flaua, quum conſtet, hunc colorem olim quam frequentiſſime eſſe adhibitum, & fere omnium primum in diplomatibus medii ævi locum inueniſſe. Antiquiſſima Francorum Regum diplomata ſemper ceram flauam cum aliqua ſorde palleſcentem præferunt, talemque in diplomate etiam quodam Dagoberti Sanmaximiniano Treuerenſi reperiſſe ſe ſcribit Wilthemius, (a) qui ideo & aliud eiusdem Dagoberti diploma in cœnobio Horreenſi ſeruatum ſuſpectum habet, *quia materia* (ceræ) *multum diſcrepat Maximinianæ, & fuſca magis eſt & cinerei ſaturi coloris.* At Mabillonius (b) ſub prima Regum Francorum ſtirpe *ceram albam* obtinuiſſe mauult, *aliquando tantiſper rubricatam*, idque etiam ſub ſecunda ſtirpe teſtatur. Quod facile ego quidem concedam. Licet enim color in ſigillis Carolingorum, quæ ipſe vidi, paullo magis ad luteum, quam album videatur accedere, tribuendum tamen id exiſtimo diuturnitati temporis, qua factum forſan eſt, vt a puluere & humiditate aëris colorem hunc adſumſerint. Ceram enim vel niue candidiorem cum tempore magis ſubinde magisque flaueſcere, experientia docet. At ſequenti tempore cera flaua, quæ paullatim a Principibus cœpit negligi, ad priuatos ferè & monaſteria tranſiit. Vix enim, ſæculo inprimis XIV & XV, adparet ſigillum monaſteriorum, aut priuatorum, quod non ceræ luteæ impreſſum ſit. Nec tamen plane nulla ſuperſunt Imperatorum, Principumque ſigilla poſt illa quoque tempora ceræ flauæ impreſſa. Nam Sigismundi ſigillum in cera flaua vidit laudatus Marquardus Freherus, & ipſe plura Ducum Epiſcoporumque ſigilla notaui ceræ flauæ ſiue luteæ ſæculo inprimis XIV impreſſa. Quale & illud eſt Agnetis, Duciſſæ Schweidnicenſis, quod deſcribit Frid. Lucæ. (c)

COLOR LVTEVS.

IV. Cera alba ſiue candida, ex quo flaua vileſcere cœperat, in maximo honore fuit, eaque vix alii, quam viri principes, hoc eſt, Cæſares, Duces, Epiſcopi, Capitulaque cathedralia vtebantur. Ordimur a Cæſaribus, quorum ſigilla, Saxonum, Salicorum, Hohenſtauffiorum, ſequentiumque ævo, pleraque ceræ albæ impreſſa reperimus. Conradi II ſigillum, ceræ albæ impreſſum, notat ὁ πάνυ Tenzelius. (d) Alia eiusdem generis ac coloris Henrici III, Henrici IV, Henrici V, Lotharii, Conradi III, Friderici I, Henrici VII, Guilielmi, Rudolphi, Caroli IV, Friderici IV ipſe non ſemel vidi. Wenceslai diploma, quo balneatoribus conſultum voluit, cera alba obſignatum obſeruat Dominus Thulemarius, (e) eademque vſum etiam eſſe Ludouicum Bauarum, ex Herwarto, (f) præclaro Ludouici defenſore, docet. Nec pauciora ſuppetunt exempla, ex quibus & Principes & Comites eiusdem coloris cera vſos eſſe liquet. Huius generis vidi ſigillum Henrici Leonis, aliudque Henrici Comitis Palatini Rheni, nec non aliud Friderici Comitis Palatini Sommerſenburgenſis, pluraque Principum Anhaltinorum, ſed & comitum nonnullorum, veluti Slademenſium & Euerſteinenſium. Comites Pictauienſes cera alba ſignaſſe, auctor eſt Io. Beslius. (g) Laudatus Tenzelius ſuppeditat ſigilla ceræ albæ impreſſa Ludouici III Landgrauii Thuringiæ, (h) nec non Premislai Ducis Auſtriæ & Marchionis Morauiæ. (i) Nec deſunt exempla alia, quæ iam conſulto omittimus. Porro eodem colore vtebantur Epiſcopi. Marcolfi, Archiepiſcopi Moguntini, diploma cera alba ſignatum laudat Dominus Tenzelius, (k) Epiſcopi Hauelbergenſis litteras cera alba anno M CCCC LVI ſignatas Illuſtr. Dn. Thulemarius. (l) Ipſe vidi litteras Gerardi, Epiſcopi Hildeſienſis, S. Engelberti, Archiep. Colonienſis, pluriumque aliorum præſulum, quarum ſigilla ceræ candidiſſimæ impreſſa erant. Licet igitur omnibus olim Principibus ſæcularibus æque ac eccleſiaſticis ceræ candidioris vſus veluti communis fuerit: vltimis tamen ſæculis paulo rarior haberi, atque extra Germaniam parcius adhiberi cœpit. Vnde Fridericus IV Cæſar, recens a ſe creato Duci Modenæ & Reggii dedit facultatem cera alba ſigillandi, (m) qua dudum omnes vſi fuerant Principes per Germaniam. In aliis diplomatibus, quibus Ducatus ſunt conſtituti, vix reperies

COLOR CANDIDVS OLIM OMNIBVS PRINCIPIBVS COMMVNIS.

POSTEA QVIBVSDAM PRIVILEGIO CONCESSVS.

a) *Vid.* VINDIC. HIST. *pro cenſura* CONRING *p.87.* b) MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 1. p.135.* c) LVCÆ *atr. Duc. p. 1383.* d) TENZEL. *Hiſtor. Goth. ſuppl. 2. p.387.* e) THVLEMAR. *cap. 5. de bull. p. 24.* f) HERWART. *apol. Ludov. Bav. contra Bzov. p. 233.* g) BESLE *hiſtoire des Comtes Pictois. p. 538 543.* h) TENZEL. *l. c. p. 481.* i) *Idem l. c. p. 597.* k) *Idem l. c. 464.* l) THVLEMAR. *l. c. cap. 5. p. 24.* m) IO. BAPT. PIGN. *hiſt. Princip. Eſtens. p. 544.*

peries mentionem huius priuilegii fieri, nec in eo quidem, quo idem Fridericus Imp. Comites Holſatos ad Ducalem dignitatem euexit. (a) Cuius rei non alia forſan reddi poterit ratio, præter quam quod Comites Holſatiæ iam tum, antequam eam dignitatem fuerant adepti, cera candida vſi ſint.

SIGILLA RVBRA AB IMPERATORIBVS CP. INITIO ADHIBITA,

V. Rubra cera, quo ad purpuram accedit propius, eo magis Imperatoribus Regibusque digna viſa eſt, quam in ſigillis vſurparent. Conſtat id initio de Byzantinis, quos duplici cera, hoc eſt rubra ac praſina, ſignaſſe, tradit Balſamon, (b) ea de cauſſa, vt & Imperatores ſe & patriarchas eſſe demonſtrarent. Equidem ſi exempla requiras, facile Ius Græco-Romanum multas ſuppeditabit Cæſarum conſtitutiones, *τὴν κηρόβελλον σφραγίδα φερέσας*, ſed cuiusnam ſint coloris, non eſt additum. Sed & Carolus duFreſne (c) profert ſigillum quoddam cereum papyro ſuperfuſum Demetrii Palæologi Deſpotæ, epiſtolæ ad Carolum VI Francorum Regem exaratæ attextum: ſed rubrumne fuerit, an alius coloris, non addidit. Attamen id non male videmur coniicere, quum certum ſit, Deſpotas ſequiore æuo omnia fere Cæſarum inſignia vſurpaſſe. Ceterum illud eſt obſeruatu dignum, quod Codinus (d) ſcribit, cereas bullas *ἐδαμῶς γίνεσθαι ἀλλαχῶ παρὰ τῶ βασιλέως, ἢ μὴ πρὸς τὴν δέσποιναν τὴν μητέρα αὐτῶ, καὶ δέσποιναν τὴν γυναῖκα αὐτῶ, καὶ τὸν βασιλέα, τὸν υἱὸν αὐτῶ*, hoc eſt, *cereas eiusmodi bullas a Rege non aliorſum dirigi, niſi ad Dominam matrem, & Dominam vxorem, & Dominum Regem filium.* Quod tamen non eſt vsquequaque verum. Multæ enim conſtitutiones in Ius Græco-Romanum relatæ, licet non ſint ad matrem, coniugem aut filios Imperatoris directæ, cereis tamen ſigillis ſunt communitæ, argumento indicioque certiſſimo, eorum vſum latius patuiſſe, quam quidem exiſtimat Codinus.

POSTEA PONTIFICES EADEM SIGNARVNT BREVIA.

VI. Eiusdem coloris ceram adhibuere Romani Pontifices in breuibus, quæ vocant, ſub anulo Piſcatoris expeditis. Quum enim trium generum ſint Pontificum litteræ, placuit & diuerſa adhibere ſigilla, quo facilius eorum forma diſtingueretur. *Primi* generis litteræ ex cancellaria apoſtolica prodeunt & bullæ vocantur. *Secundi* generis ſunt breuia, quorum non eſt alia nominis ratio, quam a Germanico Brieff, hoc eſt, epiſtola, lingua antiqua Saxonica ein Brev, vocant, quantumuis in alia confingenda etymologia ſe torqueant Rebuffius, (e) F. Bonagratia, (f) Zimmermannus, (g) Dominicus Raynaldus, (h) Iureconſulti complures, & accuratiſſimus Mabillonius. (i) Hæc vero breuia ſignantur anulo Piſcatoris in cera rubra, quemadmodum & pleraque in papyro exarata obſeruant ſcriptores, licet & membranaceum Iulii III. PP. in Heidelbergenſis academiæ chartophylacio viderit Illuſtris Thulemarius. *Tertium* denique litterarum Pontificis genus conſtituunt epiſtolæ priuatæ, quarum de obſignatione diſcrepare auctores videri poſſent. Dominicus enim Macer (k) tertium ſigillum Pontificis vocat ſignum: & in illud quandam ſacræ ſcripturæ ſententiam incidi refert. At Mabillonius (l) litteris priuatis gentilitia Pontificis inſignia addi obſeruat. Sed videtur Macer vocem *Sigillum* abuſiue intelligere de ſignis atramento ductis, quæ in bullis Pontificiis a Leonis IX ætate inueniuntur. Nos quum iam ſolum de cera rubra, cui in breuibus ſigilla imprimuntur, agamus: de illa audire iuuat Cardinalem de Luca, (m) cuius verba diligentiſſimo D. Ioanni Andreæ Schmiedio, (n) Abbati Marienthalenſi venerabili, debemus, ex quibus tota nobis huius ſigilli ratio conſtabit: *Quumque, vti dictum eſt, per dictum ſecretarium breuium maiora & grauiora negotia papalia expediantur, ipſaque breuia aliud non habeant ſignum authenticum, niſi ſubſcriptionem ſecretarii & impreſſionem dicti ſigilli in CERAM RVBEAM, de facili delebilis vel amouibilis: hinc pro certitudine expeditionis bene prouiſum eſt, non ſolum cum regiſtratione in libris ſeu regiſtris, diligenter tentis & cuſtoditis, (vt etiam fit de aliis litteris cancellariæ ſub plumbo,) ſed cum minutis, ſeu matricibus ſubſcriptis manu ipſius papæ, quæ per ſecretarium conſeruantur pro eius indemnitate, ac etiam pro certificatione veritatis gratiæ, atque pariter ſuis ſtatutis temporibus in archiuo apoſtolico diligenter cuſtodiuntur.* De ipſo anulo piſcatoris & charactere eius infra erit plura dicendi locus.

VII. Im-

a) MEIBOM. *tom. 3. Rer. Germ. p. 213.* b) BALSAMON. *de priuil. patriarchal. p. 444.* c) DV FRESNE. *diſſert. de inſer. æui num. n. 11. p. 8.* d) CODIN. *de official. aul. Conſtant.* e) REBVFF. *part. 3. prax. benef. tit. de brev. apoſt. p. 598.* f) BONAGRAT. *Summul. quæſt. Regul. p. 14.* g) ZIMMERM. *amœnitat. thool. nerv. 1. p. 266.* h) *apud* LEON. ALLAT. *l. 1. de conſens. perpet. Orient. & Occident. eccl. c. 6 n. 12.* i) MABILLON. *lib. 2. cap. 14. de R. D. n. 11. p. 130.* k) DOM. MACER. *Hierolex. p. 38.* l) MABILLON. *l. 2. c. 25. n. 8. d. R. D. p. 186.* m) CARD. DE LVCA *Relat. Roman. Cur. forenſ. part. 2. diſc. 7. n. 15.* n) SCHMIED. *diſſert. de annul. paſtor. p. 37.*

REGES OCCIDENTALES RARIVS RVBRA CERA VSI SVNT.

VII. Imperatores & Reges Francorum & Germanorum non minus ac Orientales rubro nonnunquam colore in ſigillis eſſe delectatos, multis exemplis compertum habeo. Sed quando id primum fieri cœperit, non perinde exploratum eſt. Carolingos non ſecus ac Merouingos cera tantiſper rubricata aliquando vſos eſſe, obſeruat Mabillonius. (a) Poſtea pleraque Imperatorum, qui ante ferale iſtud interregnum vixere, ſigilla aut flaua, aut alba eſſe ſupra annotauimus. Antiquiſſimum, quod mihi iam ſuccurrit, ſigillum rubrum, eſt illud Friderici I. Imperatoris, præclaro diplomati Spirenſi attextum, quod tanti viſum eſt ciuibus Spirenſibus, vt eius exemplar tabulæ æneæ litteris inauratis inciſum, vna cum ipſius Cæſaris imagine in fronte ſummi templi cathedralis collocatum conſecrarent. Sigillum enim huius diplomatis ita deſcribit Lehmannus: (b) Das Sigell dieſes Brieffes iſt in ROTHEN WACHS mit dieſen Worten: *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus &c.* Poſt interregnum frequentior fuit rubrorum ſigillorum vſus. Rudolphi Habsburgici ſigillum, inſigni priuilegio eccleſiæ SS. Simonis & Iudæ, adpenſum ipſe vidi, quo nihil poteſt eſſe elegantius. Nam & totum rubrum eſt, quod eſt rarius, quum plerumque alias rubra ſigilla capſa cerea flaua circumdari ſolerent, & ipſe color tam eſt elegans, vt plane videatur purpureo ſimilis. Eiusdem plane generis ſigillum Adolfi, niſi me animus fallit, inter chartas eccleſiæ Montis S. Petri vidi. Memini, me etiam de ſigillo rubro Sigismundi Cæſaris legere, ſed locum ipſum, quem notare prætermiſi, inuenire iam non potui. Hæc ſunt Cæſarum ſigilla ex vtraque parte rubra. De mixtis enim paullo poſt erit dicendum.

CETERI REGES FREQVENTIVS.

De ceteris quoque Regibus conſtat, eos rubris ſigillis ſæpenumero vti conſueuiſſe. Dicemus ſaltem de Regibus Francorum. Auctorem habeo Mabillonium, (c) non modo ſub prima Regum ſtirpe ceram nonnunquam rubricatam, ſed & ſub tertia vt plurimum rubeam adparere, donec Philippus II & viridem colorem adhibuerit. De ceteris dicere ſuperuacuum foret, quum res ſit in propatulo.

VIRIDIS COLOR RECENTIOR.

VIII. Viridis coloris in Germania plane nullus ante ſeculum XIV vſus fuit. Ex quo vero vſurpari cœpit, rarius totum ſigillum ex cera eiusdem coloris conſtat, ſed plerumque cera flaua eſt circumdatum. Merito igitur inter rariora referenda ſunt ſigilla, quæ prorſus ſunt viridia. Ego quidem non niſi bina vidi huius coloris. Alterum Henrici Ducis Brunſuicenſis & Præpoſiti S. Crucis Hildeſienſis, litteris anno M CCC XLVII exaratis adpenſum; alterum Abbatis S. Michaëlis Hildesheimenſis anno M CCC XCV. Cetera omnia, quæ ipſe tractaui, non inter pura, ſed mixta erant referenda. At hæc de Germanis. In Oriente enim iamdudum cera praſina tum ab Imperatoribus Byzantinis, tum a patriarchis præcipue vſurpata eſt. (d) Sed & Reges Galliæ cera viridi a principatu Philippi II vti ſolitos, atque vti etiamnum, obſeruant Stephanus Pasquier, (e) Andr. Fayn, (f) Carolus du Freſne, (g) Mabillonius (h) & laudatiſſimus Thulemarius. (i) Attamen quum de colore ſigilli Gallici magna ſit inter auctores controuerſia, placet adſcribere, quæ Cironius, (k) auctor Gallus, hac de re obſeruauit: *Reges noſtri in his, quæ ſpectant ad ſupremam auctoritatem, CINNABARIM ſeu* MIATON *adhibent: in Patrimonialibus vel aliis PRASINVM colorem.*

COLOR NIGER RECENTISSIMVS.

IX. Color niger, vti aliquid triſtitiæ ſecum videtur ferre, ita non niſi in triſtioribus rebus vſurpari ſolet, nec quisquam temere hodie pullo colore in ſigillis vtitur, niſi luctum ac dolorem ſuum ex obitu inprimis ſuorum conceptum, conſpecta ſtatim epiſtola, amico innoteſcere velit. At olim ab iſto colore plane video abhorruiſſe maiores. Nec enim vllum huius coloris ſigillum vel in hiſtoricorum ſcriptis, vel in tabulariis mihi occurrit, litteris patentibus, quas vocant, adpenſum. Et extra Germaniam eum colorem hodie nonnunquam etiam in negotiis lætioribus adhiberi comperio. Dixi, hodie iſtud fieri. Nam olim ita factum, omnes tacent ſcriptores. Sic nigræ tantum ceræ vſum quibusdam nobilibus relinqui, ait Hœpinckius. (l) Magnum Melitenſium equitum magiſtrum nigra ſignare litteras commeatus, (die Paſſeporten) auctorem habeo illuſtrem Thulemarium. (m) Qui

a) MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 1. p. 135. de R. D.* b) LEHMANN. *lib. 5. Chron. Spir. c. 64. p. 531.* c) MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 1. p. 135. de R. D.* d) KIRCHMANN. *cap. 8 de annul. p. 39.* e) PASQVIER. *Recherche de la France liv. 2. chap 5.* f) ANDR. FAYN. *lib. 3. Theatr. honor. p. 683.* g) DV FRESNE *part. 3. Gloſſ. Latinit. p. 853.* h) MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 1. p. 135. de R. D.* i) THVLEMAR. *cap. 5. de bull. p. 25.* k) CIRON. *ad Compilationem Quintam Decretal. Honorii III. tit. 10. cap. 2. p. 211.* l) HOEPINCK. *cap. 3. de iur. ſigill. p. 70.* m) THVLEMAR. *cap. 3. de bull. p. 14. cap. 5. p. 26.*

& ex Martini Cruſii Turco-Græcia (a) obſeruat, aliquando etiam Patriarcham Conſtantinopolitanum diplomatibus ſuis, (quibus argenteo calamo hæc verba Ιερεμίας ἐλέῳ θεῦ ſubſcripſerat,) nigræ ceræ ſigillum addidiſſe.

SIGILLA MIXTA QVALIA.

X. Sed ſatis hæc de ſigillis cereis *puris*, hoc eſt, ex vno eodemque colore ſiue flauo, ſiue albo, ſiue rubro, ſiue viridi, ſiue nigro denique confectis. Iam proximum eſt, vt & de *mixtis* nonnulla dicamus. Placet vero, vt chartæ lectorumque tædio conſulamus, paucis hiſce aphoriſmis omnia, quæ mihi de iis obſeruare licuit, includere. Notari igitur hic velim:

I. Sigillorum mixtorum nomine me intelligere ea, quæ ex diuerſi coloris cera ſunt compoſita.

II. Nullum huius generis me vidiſſe, ſæculo XIV antiquius.

III. Eorum eſſe diuerſa genera. Ac primo quidem ea obſeruanda, quæ in tergo contraſigillum alio colore impreſſum habent. Dico, diuerſo colore id debere eſſe impreſſum. Nam ſigilla ſecreta licet ſint multo antiquiora, aut ſola tamen litteris adpenſa, aut colore eodem ſigillis ſunt impreſſa. Talia vero, de quibus nobis ſermo eſt, multa vidi Caroli IV, Sigismundi aliorumque huius æui Cæſarum, porro Gerlaci Archiepiſcopi Moguntini, Epiſcoporumque aliorum ſexcenta, quæ referre piget.

IV. Alterum genus ſigillorum mixtorum eſſe eorum, quæ ſculpturam quidem, aut rubræ, aut viridi ceræ impreſſam habent, ſed tamen præterea cerea veluti capſula aut albi, aut flaui coloris ſunt circumdata. Huius generis fere omnia ſunt ſigilla Epiſcoporum, Ducum, Principum, Comitum atque Nobilium, quæ ſæculis XIV & XV ſunt confecta, inprimis ea, quæ ſecreta adpellant. Nec tantopere curaſſe videntur maiores his ſæculis, quo colore potiſſimum vterentur. Animaduerto enim, omnes eccleſiaſticos, veluti Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Abbatiſſas rubra vſos; ſæculares vero Principes ac Comites non dubitaſſe viridem adhibere, quam tamen non modo ciuitates, nobiles, & monaſteria, ſed & priuati eodem ſæculo vſurpabant. Certe ex multis, quæ vidi, Ducum Brunſuicenſium Comitumque Wernigerodenſium, Stolbergenſium, Mansfeldenſium & Blanckenburgenſium ſigillis, his ſæculis confectis, nullum mihi ſuccurrit, cuius alius fuerit color, quam viridis. At paullo poſt color viridis ſordere etiam ſæcularibus perſonis cœpit, ad rubrumque non modo Principes & Comites, ſed & Ciuitates adſpirare cœperunt. Vnde plura exſtant priuilegia Cæſarum, quibus hiſce vel illis ius vtendi cera rubra conceditur. De Mansfeldenſibus id teſtatur his verbis Spangenbergius: (b) Anno 1512 hat Käyſer Maximilian Graffen Hoyern zu Mansfeld die Gnadigung und Befreyung gethan, daß alle Graffen von Mansfeld ſich hinfort wohlgebohrne ſchreiben, und mit ROTHEN WACHS ſiegeln möchten und ſolten, denn ſie biß auf dieſe Zeit nur grünes gebraucht hätten, dieſes geſchach den 25 Februarii zu Franckfort. Quæ verba ideo integra adduxi, quia Hœppinckium (c) illa male video allegaſſe. Si enim ipſe euoluiſſet librum, non ſcripſiſſet, hoc priuilegio Comitibus ceræ candidæ vſum fuiſſe conceſſum. Plures eiusmodi Imperatorum conceſſiones, inprimis Friderici IV, Sigismundi, Maximiliani II, Matthiæ, Ferdinandi II, Ferdinandi III & Magni Leopoldi Thulemarius (d) & Hœppinckius (e) recenſent, quos exſcribere nobis religioni ducimus.

SÆCVLARES PLERVMQVE VIRIDI, CLERICI RVBRA CERA SIGNABANT.

V. Rariſſima eſſe ea, quæ ex binis diuerſis ſigillis ſunt compoſita, e. g. ſi quando Princeps & ſubditi eidem ceræ impreſſere ſigilla, atque adeo ille rubro, hi alio colore vſi ſunt. Tale eſt illud Ciuitatis Francofurtenſis ad Viadrum, diplomati ſuper fundatione Monaſterii Karthuſienſis die 10 Auguſti anno 1396 confecto, adpenſum, quippe quod, ill. Samuele Strykio (f) teſte, *Gallum ac reliqua inſignia Francofurtanæ ciuitatis in alba cera expreſſa exhibet, cuius parti ſuperiori inſerta conſpicitur aquila Electoris Brandenburgica fruſtulo ceræ rubræ impreſſa.*

VI. Ad vltimam claſſem referenda eſſe ſigilla ea, quæ ex altera parte rubra vel viridia, ex altera alba vel flaua adparent, ita vt limbus plane deſit. Sed talia ſicuti prioribus ſæculis

a) CRVS. *Turco-Græc. lib. 7. p. 288.* b) SPANGENB. *Chron. Saxon. cap. 348. p. 583.* c) HOEPINCK. *cap. 3. de iure ſigill. p. 65.* d) THVLEMAR. *cap. 5. p. 23. cap. 10. p. 65. de bullis.* e) HOEPINCK. *l. c. cap. 3. p. 66.* f) STRYK. *Vol. IV. Diſſert. 5. de cera rubra cap. 2. p. 17.*

sæculis pauca occurrunt, (ea enim, quorum limbus vetustate detritus est, huc non referimus,) ita sæculo XVI fere frequentissima.

AN ET CERA CÆRVLEA LOCVM IN SIGILLIS INVENERIT.

XI. Ad calcem huius capitis aliqua notare iuuat, quæ sua se raritate potius, quam vsu commendant. Primum esto id, quod de cera cærulea ex Diethero obseruat Dominus Thulemarius, (a) cuius ipsa verba addo: *Cæruleæ ceræ licet nullus fere vsus sit, refert tamen Cl. Diether. ad Besold. d. voc.* Wachs *Carolum V. Imp. Doctori Stockhamero Noribergensi anno 1524. priuilegium tali cera vtendi dedisse.*

SIGILLA CRETACEA VEL LVTACEA.

XII. Alterum est de sigillis cretaceis, siue terræ sigillaritiæ impressis, cuius vsus in vltima Ægyptiorum Græcorumque antiquitate se offert. Iam supra (b) adduximus locum Herodoti de Μοχοοφραγισταῖς, siue *hostiarum sigillatoribus.* In eo diserte nominat γῆν σημαντρίδα. Expressius huius cretæ in sigillis adhibitæ meminit Seruius Virgilii Scholiastes: (c) *Sibyllam Apollo pio amore dilexit: & ei obtulit poscendi, quod vellet, arbitrium. Illa hausit arenam manibus, & tam longam vitam poposcit. Cui Apollo respondit, id posse fieri, si Erythræam, (in qua habitabat,) insulam relinqueret, & eam nunquam videret. Profecta igitur, Cumas tenuit: & illic defecta corporis viribus, vitam in sola voce retinuit. Quod quum ciues eius cognouissent, siue inuidia, siue commiseratione commoti, ei epistolam miserunt* CRETA *antiquo more signatam, qua visa, quia erat de eius insula, in mortem soluta est.* Hæc signandi ratio diutissime obseruata est, etiam Romanorum æuo. Meminit enim eiusdem Cicero (d) his verbis: *Quum Valentio eius interpreti epistola Agrigento allata esset, casu signum iste animaduertit in CRETVLA. Placuit ei: Exquisiuit, vnde esset epistola, respondit Agrigento. Iste litteras, ad quos solebat, misit, vt is annulus ad se primo quoque tempore afferretur.* Et alibi in oratione pro Flacco: *Hæc quæ a nobis prolata laudatio, obsignata erat CRETA illa ASIATICA, quæ fere est omnibus nota nobis: qua vtuntur omnes, non modo in publicis, sed etiam in priuatis litteris.* Sed & de signo impresso accipio illa Petronii: (e) *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ, diligenter GYPSATÆ.* Lagenas enim vel vacuas, nedum vino Opimiano annorum centum plenas, a diligentioribus matribus familias consueuisse signari, auctores habeo Ciceronem, (f) Horatium, (g) Martialem, (h) & Persium. (i) Vix equidem hæc attulissem, ad vltimam quippe antiquitatem referenda, nisi & medio æuo eiusdem vsum non plane obsoleuisse deprehenderem. Quo minus enim & Constantinopolitanos Imperatores terra eiusmodi nonnunquam vsos dubitem, mouent me inprimis verba Leontii Episcopi Neapolitani, quæ in actis Synodi VII habentur. (k) Ibi enim imaginum venerationem defensurus prouocat ad sigilla Imperatorum, quibus honor exhiberetur sine periculo idololatriæ, cum quiuis sciat, hanc se venerationem non litteris, hoc est, vt ipse loquitur, chartæ, luto aut plumbo, exhibere, sed Cæsari. Diserte igitur inter genera sigillorum refert & πηλὸν, hoc est, lutum. Quod quid aliud hic notare possit, quam sigillum eiusmodi cretaceum, nondum video. Certe de creta vt & terra figlina hanc vocem nonnunquam accipi, patet ex illo Pausaniæ in Atticis: Τῷ δὲ ἀγάλματι τῆς Διὸς πρόσωπον ἐλέφαντος καὶ χρυσῆς, τὰ δὲ λοιπὰ ΠΗΛΟΥ τε ἐστὶ καὶ ΓΥΠΣΟΥ. Vt adeo vix dubitem, eiusmodi sigilla etiam sequiore æuo adhuc adhiberi consueuisse. XIII. De-

a) THVLEMAR. *l. c. c. 5. p. 26.* b) *cap. 3. n. 6.* c) SERV. *ad lib. 6. Æneid. p. 1037.* d) CICERO *Verr. 6. c. 26.*
e) PETRON. *Satyr. p. m. 14.* f) CICERO *lib. 16. ad fam. epist. 26. Plane te rogo, sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ; sic tu etiam, si, quod scribas, non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quæsiuisse videaris.* g) HORAT. *lib. 2. epist. 2. v. 133.*

— — Posset qui ignoscere seruis
Et signo læso non insanire lagenæ.

h) MARTIAL. *libr. 9. epigr.*

Septem post calices Opimiani
Defenso cum iaceam triente læsus,
Adfers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis: Modo liberum esse iussit
Zenam, seruulus est mihi paternus.
Signa, cras melius, Luperce, fiet:
Nunc signat meus annulus lagenam.

i) IVVENAL. *Sat. 6.*

Et signum in vapida naso tetigisse lagena.

k) *Ipsa verba vid. cap. 5. n. 9. §. 2.*

MALTHA. XIII. Denique & illud notatu non videtur indignum, quod veteribus in promtu fuerit ratio, ceram ſigillis adhibendam ad vſum arte accommodandi. Huc enim pertinet *Maltha*, quæ Polluci (a) eſt *cera, qua illinerentur iudicum tabellæ.* Diuerſam eius compoſitionem tradunt auctores, pro diuerſo eius vſu. Palladius (b) factam dicit *e pice liquida & axungia, vel ſeuo, item e calce minutatim ſuperadiecta.* Sed maltham procul dubio intelligit eam, quæ vim habebat vitra aliaque huius generis conglutinandi. Inde enim verbum *malthare*, quo pro *ſolidare* vtuntur Plinius (c) & Scholiaſtes Iuuenalis. Idem Plinius (d) aliam maltham refert *ex calce recenti, vino, adipe & oleo confectam*, ſed eam ad excitanda incendia adhibitam, ipſe teſtatur: Ea enim quum ſemel ignem concepit, retinet illum tenaciſſime, & quum aliquid ſolidi attingit, ita adhæret, vt neque reuelli neque vlla arte reſtingui poſſit, niſi operiatur terra & ſuffocetur. Hæc igitur nihil ad nos. Maltham ad ſignandas tabellas adhibitam, ita deſcribit Feſtus: *Maltha dicitur a Græcis pix cum cera miſta. Vnde Gloſſæ vocant* πισσόκηρον & Heſychius κηρὸν μεμαλαγμένον. Sed de hac maltha, quum ad antiquiores potius pertineat, non eſt quod plura hic dicamus.

CAPVT SEPTIMVM.

DE SIGILLORVM FIGVRA ET DIVERSA QVANTITATE.

I. Figura ſigillorum varia.
II. Merouingi orbicularia adhibuere.
Carolingi oualia & poſtea rotunda.
Oualia etiam poſt illud tempus vſurpata.
III. Sigilla parabolica oblonga quando inuenta.
IV. An ſigillum Alberti Brem. Archiep. apud Lambecium ſit genuinum.
V. Sigilla triangularia.
VI. Sigilla quadrata.
VII. Sigilla trifolio ſimilia.
IIX. Sigilla caua.
IX. Quantitas ſigillorum varia.

I.

FIGVRA SIGILLORVM VARIA. QVemadmodum materia atque coloribus, ita & figura mirum in modum in ſigillis variatum eſt. Exſtant enim ſigilla rotunda, ſiue orbicularia, exſtant oualia, exſtant parabolica oblonga, quæ vtrinque in cuſpidem deſinunt. Triangularia præterea, quadrata, trifolio ſimilia, & denique caua, quæ proxime ad lancis figuram accedunt. De ſingulis non nulla hic dicere operæ fuerit pretium.

MEROVINGI ORBICVLARIA ADHIBVERE. II. Orbicularia igitur & oualia vt ſimpliciora ſunt, ita & antiquiſſima cenſentur. Merouingicæ ſtirpis Reges Francici plerumque orbicularibus ſigillis vſi ſunt, vt ex eorum ectypis a Zilleſio, (e) Papebrochio, (f) ac præcipue Mabillonio, (g) editis patet, ſolis Childericis oualem figuram præferentibus. At Carolingis oualis figura magis placuit, vsque ad Carolum Craſſum, qui orbicularem reuocauit, quam & Arnolfus deinde & Zuenteboldus & ceteri omnes Reges Germanici mira conſtantia retinuerunt. Hinc ſi pauca illa ſigilla Caroli M. Hludovici Pii, Hlotharii ceterorumque Hludouicorum excipias, vix reperies aliud ſigillum Cæſareum, quam rotundum.

CAROLINGI OVALIA ET POSTEA ROTVNDA.





a) IVL. POLLVX *lib. 8. cap. 4. conf.* TVRNEB. *lib. 6. aduerſ. c. 9. & lib. 8. c. 4.* b) PALLAD. *Archid. lib. 1. c. 17.* c) PLIN. *lib. 36. c. 24. Hiſt. nat.* d) *lib. 2. c. 104. l. c.* e) ZILLES. *in S. Maximin. adpend. part. 3.* f) PAPEBR. *propyl. antiqu. ad tom. 2. April. Act. SS. tab. 1. p. 12. & paſſim.* g) MABILL. *de R. D. paſſim.*

OVALIA ETIAM POST ILLI VD TEMPVS VSVRPATA.

Nec tamen plane obſoleuit ſigillorum oualium vſus. Subinde enim ſæculo inprimis XIIII epiſcopos & comites ſigilla huius generis adhibuiſſe reperio. Placet hic tria proferre in medium, quorum duo priora ſunt Gerhardi Hildeſienſis Epiſcopi, litteris anno M CCC XC & M CCC XCVI exaratis adpenſa, poſtremum vero Hoyeri Comitis de Valkenſtein.



SIGILLA PARABOLICA OBLONGA QVANDO INVENTA.

III. Sigilla oblonga atque vtrinque acuta non ſunt adeo antiqua. Sæculis enim XII & XIII demum vſurpari cœperunt, tum ab Epiſcopis, tum a monaſteriorum Abbatibus & Præpoſitis. Reperio & Principes eorumque coniuges nonnunquam talia vſurpaſſe. Sed id rarius & non niſi ſero factum. Plurima enim Principum ſigilla orbicularia ſunt. Ne tamen & oblongorum exempla deſideres, en illud Theoderici Marchionis Miſniæ, licet orbiculari quam oblongo propius, aliudque Iuttæ Miſnenſis & Orientalis Marchioniſſæ, quorum vtrumque exſtat in Schlegelii hiſtoria Vetere Cellenſi. (a)

AN SIGILLVM ADELBERTI BREM. ARCHIEP. APP. LAMBECIVM SIT GENVINVM.

IV. Huic ſententiæ meæ de origine ſigillorum oblongorum obiici forſan poterit ſigillum illud Adelberti Archiepiſcopi Bremenſis ſatis grande, cuius delineationem dedere H. Hamelmannus (b) & P. Lambecius. (c) Iam enim ſæculi vndecimi anno quinquageſimo nono diplomati fundationis cœnobii Raſtadenſis adpenſum dicitur. Enimuero videor mihi habere rationes, cur hoc ſigillum tanquam ſuppoſititium reiiciam. Primo enim non reperitur

a) SCHLEGEL. *Hiſt. Vet. Cell. n. 24. p. 36. n. 33. p. 44.* b) HAMELM. *part. 1. Chron. Oldenb. c. 13.* c) LAMBEC. *Chronol. & auctar. lib. 1. rer. Hamb. p. 260. edit. nou.*

ritur isto sæculo, quo vixit Adelbertus, sigillum cereum aut Cæsaris, aut Ducis, aut Episcopi per Germaniam, quod in calce litterarum adpensum sit, sed ad Friderici I vsque ætatem omnes video ceram ipsi membranæ intexuisse. Testantur id tot tabulæ Bernhardi, Brunonis, Hermanni, Adelhogi Hildesiensium Episcoporum, multo iuniorum Adelberto, quas oculis meis vidi; testantur aliorum episcoporum diplomata, quæ infra, vbi de impressione & adpensione sigillorum agendum fuerit, proferemus. Quid igitur caussæ fuerit, cur hic Adelbertus communes sæculi mores non sit sequutus? Deinde si litteras in peripheria huius sigilli obuias cum aliis coæuis sigillis contendas, magnum reperies discrimen. Sane enim in genuinis huius æui sigillis nunquam notabis hos characteres: 𝔖 pro S, 𝔥 pro H, 𝔐 pro M, 𝔈 pro E, 𝔠 pro C. Sed hæc plane sunt sæculorum subsequentium. Denique suspicio vel maxima nobis suboritur ex binis scutis cathedræ affixis, quorum alterum duabus clauibus decussatim positis notatum archiepiscopatum Bremensem, alterum rhombis Bauaricis distinctum gentilia Adelberti arma notare debet. Quis vero vidit vnquam scuta eiusmodi ad heraldicas regulas composita, Adelberti æuo vsurpata aut sigillis insculpta? Cur deinde Adelbertus vsus esset insignibus Bauaricis? Auctor Chronici Gozecensis, (a) cui genuinam Adelberti genealogiam debemus, diserte ait, eum Filium Friderici Comitis Palatini Saxoniæ, & fratrem Dedonis II & Friderici Palatinorum fuisse. Palatinatus vero Saxonici insignia posteris temporibus non rhombos eiusmodi, sed siue leonem, siue aquilam habuisse, consentiens est omnium Heraldicæ artis scriptorum sententia. Vnde nemo non videt, hoc Adelberti sigillum malæ notæ esse, & sæculo XIII. vel XIV non antiquius, quibus & eundem litterarum ductum & morem, insiguia ex vtraque throni parte collocandi, viguisse, infra patebit. Interea, vt habeas, B. L. quo cum conferas sigillum Adelberti, delineationem tibi dabo non modo sigilli Bernhardi Hildesiensis episcopi licet LXXIV annis illo Adelbertino recentioris, sed & Heinrici itidem Hildesiensis episcopi, quod desumtum ex eius litteris, quæ annum præferunt 1313. Horum inquam delineationem hic dabo, vt ipse iudices, vtri Adelbertinum illud accedat propius.

Vid. Tab. XIII. no. 12.

V. Se-

a) *Chron.* GOZEC. *edit. cum Chron. Montis Seren. p. 207. conf.* LANGII *Chron. Citiz. p. 773.*

V. Sequuntur ea, quæ voco triangularia, eaque vel cordis figuram præ ſe ferentia, vel ſcuti, vel denique folii. Horum quoque vſus ante ſæculum XII non inualuit, quippe quo primum inſignia ac ſcuta gentilitia in ſigillis oſtentare cœperunt illuſtres familiæ. Nec eſt, quod de his ſigillis notem, niſi id, quod principes hac ſigillorum figura rarius, comites vero & nobiles, imo & vrbium patritii frequentiſſime vſi ſint. Ex principum ſigillis illud Conradi Landgrauii Thuringii, & poſtea Fratris Ordinis Teutonici, a Domino Tenzelio (a) depictum; ex comitum ordine Ottonis, Comitis de Euerſtein; ex nobilibus denique ſigillum Olrici de Wedeſtorp exempli loco dabimus, vt tres diuerſas horum ſigillorum figuras eo exactius videas. SIGILLA TRIANGVLARIA.

VI. Omni-

a) TENZEL. *biblioth. Curioſ. ad 1704. p. 1073.*

SIGILLA QVADRATA.

VI. Omnium rariſſima ſunt quadrata, nec tamen plane ignota. Quemadmodum enim & in monetis nonnunquam ea figura placuit principibus, ita & in ſigillis aliquando adhibita eſt. Exempli loco ſint duæ bullæ plumbeæ, altera Sergii cuiusdam, altera Stephani, Pontificum Romanorum, quarum ectypa dedit Pallatius. (a)



SIGILLA TRIFOLIO SIMILIA.

VII. Trifolio aliquantulum ſimilia non minus rara ſunt quadratis, & non tam vulgaria quam quibusdam propria fniſſe videntur. Mihi vnicum ſe obtulit Alberti Halberſtadenſis Epiſcopi, quod hic maioris euidentiæ cauſſa ſubiicio:

SIGILLA CAVA.

VIII. Per caua ſigilla non intelligo ea, quæ limbo ex alia cera circumdata ſunt: nam ita aut omnia, aut pleraque ſigilla XIV & XV ſæculorum poſſent caua adpellari; ſed illa, quæ ſculpturam in medio orbe admodum depreſſam, perigraphen vero exſtantiorem habent, vt totum ſigillum lanci videatur ſimile. Huius generis bina tibi hic oſtendo. Alterum Adelhogi, Hildeſienſis epiſcopi, alterum eccleſiæ S. Mauritii Halberſtadenſis. Atque hæc

a) PALLAT. *tom. 1. de geſt. pontif. p. 340. & tom. 2. p. 81.*

hæc quidem de diuerſis ſigillorum figuris dicta ſufficiant. Mille igitur exceptiones patitur regula Mabillonii, (a) qua ſigilla affixa paſſim orbicularia, penſilia vero oblonga ſeu oualia ſtatuit. Nam nec deſunt affixa oualia, nec adpenſa rotunda, aliarumque figurarum, quas iam deſcripſimus.

QVANTITAS SIGILLORVM VARIA.

IX. Si quantitatem ſpectes, non minus eſt inter ſigilla diſcrimen. De aureis iam ſupra diximus. Cerea Francorum, vt & Conradi I & Henrici I ætate, florenum Germanicum vix excedunt. Poſtea ſenſim magnitudine creuerunt. Trium Ottonum ſigilla tres fere digitos habent in diametro, Conradi II quatuor, Henrici III & IV paululum minus quam quatuor, Lotharii quatuor & ſemiſſem, Conradi III quatuor, Friderici I quatuor, nec non quatuor & ſemiſſem. Nec vidi ex ſæculo X & XII ſigillum, quod quinque digitos excedat. At ſæculis inſequentibus mirum, quantopere creuerit ſigillorum moles. Ottonis IV, Henrici VII, Guilielmi ſigilla diametro quinque digitos, Rudolphi I pæne ſex, at omnium maxima Friderici III ſeptem abſoluens. Idem quoque diſcrimen in principum, epiſcoporum, monaſteriorum ſigillis obſeruatur, quorum ſeorſim hic definire magnitudinem, nimis eſſet tædioſum. Deficiente iam prope ſæculo XIV ſigillorum moles veluti ad extremum deducta, paullatim decreuit, donec ad eam, qua hodie vtimur, rediit. Hinc exſpirante ſæculo XV & ineunte XVI ſigilla ab epiſcopis adpenſa notaui quadrimulo, quem einen Mattier vel Vierling vocamus, haut multo maiora. Adeo etiam ex ſigillis diuerſus ſæculorum genius hominumque animus ad nouas ſubinde mutationes procliuis elucet, nobisque etiam in fluida hac ac molli materia impreſſa obuerſantur ſimulacra haut obſcura humanæ vanitatis.

CAPVT OCTAVVM.

DE IMAGINIBVS ET INSCRIPTIONIBVS SIGILLORVM IN GENERE.

I. Spectanda potiſſimum ſigilla Chriſtianorum.
II. Chriſtianis Gentilium Mythologia ſorduit, etiam in ſigillis.
III. Sigilla Pipini cum Bacchi, & Caroli M. cum Serapidis capite ſuſpecta.
IV. Notantur nonnulli hac in re κακόζηλοι.
V. Sigilla medii æui ſimpliciſſima.
VI. Carolingorum ſigilla elegantiora. Artes enim Carolino æuo renaſcebantur.
VII. Elegantiora etiam ſigilla Salicorum ob eandem rationem.
VIII. Inſcriptiones plerumque Latinæ.
IX. Eæque ordiuntur fere a Cruce, quemadmodum & ipſæ chartæ & ſubſcriptiones.
X. Quid hæ cruces notent?
XI. Cruces e ſubſcriptionibus in ſigilla tranſiere.

a) MABILLON. *lib. 2. c. 19. n. 4. p. 151. d. R. D.*

XII. Nomen ſine prolixo titulo ſcriptum.
XIII. Formulæ Dei gratia *origo.*
XIV. Origo formulæ: Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia.
vt & formulæ: Dei & Imperiali gratia.
XV. Prouinciæ titulis ſero adſcriptæ. Epiſcoporum modeſtia.
XVI. Inſcriptiones ſecundariæ, quibus figuræ explicantur.
XVII. Sigilla inſcriptione carentia.
XIIX. Concluſio Capitis.

I.

SPECTANDA POTISSIMVM SIGILLA CHRISTIANORVM.

IAm etiam imagines atque inſcriptiones ſigillorum ſpectaturis, denuo nobis in mentem redit inſtituti ratio, ſcopusque tractationis, quem nobis in ipſo aditu præfiximus. Meminimus, inquam, nos pollicitos, quod non niſi de medii æui ſigillis ſimus acturi. Quum igitur hac ætate melior orbis hominumque pars Chriſto nomen dederit, video mihi potiſſimum Chriſtianorum ſigillorum habendam eſſe rationem. Ceteræ enim gentes, quemadmodum cum erroribus profanarum religionum barbariem plerumque coniungunt: ita nec in ſigillis habent quidquam, quod admireris, niſi inſignem ſtupiditatem. Neſcio igitur, an facturus ſim operæ pretium, ſi plura ſuperaddam iis, quæ in tertio capite de iſtorum ſigillis diſputata ſunt.

CHRISTIANIS GENTILIVM MYTHOLOGIA SORDVIT ETIAM IN SIGILLIS.

II. Primo igitur de Chriſtianorum ſigillis in vniuerſum id obſeruatione dignum videtur, quod a veterum gentilium elegantia, quæ, vt ex eorum gemmis patet, fere in variis fabularum profanarum deliriis erat poſita, ipſa imaginum inſcriptionumque ſimplicitate ſe diſtinguant. Mirum enim eſt, quam abhorruerint Chriſtiani ab iis rebus, in quibus profanæ mythologiæ exſtabant veſtigia. Qua in re profecto magis ſapiebant iis, quibus hodie nullum poëma videtur ſatis elegans ac politum, nulla pictura ſatis excogitata, nullum denique opus ſatis magnificum, niſi quod veterum Romanorum Græcorumque Deos Deasque vbique iactet & referat. Quo pertinet graue illud & auctore ſuo dignum Io. Franciſci Pici Mirandulani iudicium, in epiſtola ad Richardum Bartholinum, Auſtriados auctorem elegantiſſimum: (a) *Vnum illud duntaxat deſiderarim, Deorum gentium mentionem, quæ plurima eſt in carmine, non eo modo, quo ſæpe vteris, fuiſſe conſtitutam. Siquidem optarem eos accerſere, non vt olim poëtæ, addicti eorum ſuperſtitionibus, verum vt ipſorum & oſor & contemtor & expulſor ac vindex & plane propagator noſtræ religionis, cuius es flamen. Sed hoc aduertunt pauci, quod & ſæpenumero in ſcriptis dolui & noſtris in carminibus, me non probare illorum ſententiam, ſum teſtatus.* Horum igitur licet parum memores videantur ii, qui antiquam elegantiam adfectant, veteres tamen Chriſtiani eo maiore cura cauendum ſibi duxerunt, ne gentilium ſacris vlla in re delectari viderentur. Atque adeo nullum Chriſtianorum exſtat ſigillum, ſiue ad antiquiora tempora, ſiue ad æuum medium referendum, quod gentilium Deorum imagines inſculptas habeat. Clemens Alexandrinus egregiam ſuæ ætatis Chriſtianis reliquit regulam, quam in conficiendis ſigillis ſequerentur. Eliminatis enim ex anulorum gemmis Deorum imaginibus, aliisque ſignis, nonnihil turpitudinis præ ſe ferentibus, eas ſolum imagines a Chriſtianis vult adhiberi, ex quibus vel eorum fides, vel probitas eluceat. Ita enim loquitur patrum doctiſſimus: (b) Αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔϛωσαν πελειὰς, ἢ ἰχθῦς, ἢ ναῦς ἐϛρατοδρομοῦσα, ἢ λύρα μουσικὴ, ἧ πολυκράτης, ἢ ἄγκυρα ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ· καὶν ἁλιεύων τις ᾖ, Ἀποϛόλου μεμνήσεται, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀναϛεφομένων παιδίων. ἐ γὰρ εἰδώλων πρόσωπα ἐναποτυπωτέον, οἷς οὐδὲ τὸ προσέχειν ἀπείρηται· ἐδὲ μὴν ξίφος, ἢ τόξον, τοῖς εἰρήνην διώκουσιν. ἢ κύπελλα τοῖς σοφρονοῦσιν. id eſt: *Sint autem nobis ſignacula columba, vel piſcis, vel nauis, quæ celeri curſu a vento fertur, vel lyra Muſica, qua vſus eſt Polycrates. vel anchora nautica, quam inſculpebat Seleucus: & ſi ſit aliquis, qui piſcetur, meminerit apoſtoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum ſunt imprimendæ facies, quibus vel ſolum attendere probibitum eſt: ſed nec enſis vel arcus iis, qui pacem perſequuntur, nec pocula iis, qui ſunt moderati ac temperantes.* Non hic prolixe diſquiram, cur columbam, piſces, nauem, lyram aut anchoram præcipue inſculpi ſigillis velit. Facile enim licet cuiusuis imaginis dare rationem. Id modo adnoto, Chriſtianos huic Clementis regulæ egregie ſatisfeciſſe. Anulum Chriſtiani cuiusdam columba inſignitum exhibuit Gorlæus. (c) Ceteri Chriſtianorum anuli, qui exſtant, plerique crucem, aut

a) *ap.* REVBER. *Script. Germ. rer. p.* 471. b) CLEM. ALEX. *lib. 3. pædag. p.* 246. c) GORL. *Dactylioth. n.* 118

aut Christi monogramma, in crucis speciem confictum, præferunt, quorum plures sunt apud Licetum, Gorlæum, Aringhum, Baronium, Lipsium, Pallatium, aliosque huius generis scriptores. Sed & medii æui Christiani vix quidquam aliud in sigillis exhibent, quam aut sua ipsorum capita, aut totas imagines, vel sedentes, vel stantes, vel equitantes, vel ad alium eiusmodi situm habitumque compositas, aut sanctos siue cælites, aut denique insignia, siue gentilitia, siue ad spartam, quam quisque ornabat, pertinentia. A profanis gentilium imaginibus plane abhorruerunt. Nec dubitandum est, quin ea sigilla malæ notæ sint, quæ a communi hoc omnium Christianorum more recedunt.

SIGILLA PIPINI CVM BACCHI, ET CAROLI M. CVM SERAPIDIS CAPITE SVSPECTA.

III. Tale est sigillum istud, chartæ Sandionysianæ attextum, qua Pipinus Rex Fulrado Abbati bona sibi ab ipso commissa vrgente graui morbo restituit, cuius specimen æri incisum suppeditat Mabillonius. (a) (*) Quamuis autem in eo diplomate ipse Pipinus affirmet, præceptum isthoc se *de annulo suo sigillasse*, tantum tamen abest, vt figura, quam dedit Mabillonius, anulum Pipini & imaginem referat, vt potius ipso Mabillonio fatente, (b) *exhibeat effigiem Bacchi, aut cuiusuis alterius pampino redimiti.* Tale quoque est aliud (**) capite Anubis ornatum, vna cum Carolina effigie, attextum diplomati, cuius specimen æri incisum idem dedit Mabillonius. (c) Quæ sigilla licet sine censura dimittat Mabillonius, ex iisque potius elicere conetur, secundæ stirpis Reges nonnunquam præter effigies suas etiam aliis anulis signasse; vix tamen excogitari potest ratio, cur Deos Gentilium, quos tum maxime abominabantur, ab orco reuocare voluerint? Audiamus tamen Mabillonium ea de re hunc in modum differentem: (d) *Nam quum Francorum Reges passim sigillis suam cuiusque effigiem exhibentibus vsi sint, nonnulli tamen aliam nonnunquam adhibuere, & quidem, (vt puto) fortuito. Sic Dionysiano Pippini Maioris Domus sub Childerico posteriore adponitur pro sigillo icuncula, quæ Christi Domini caput repræsentat, cui duo adsistunt angeli poplite flexo candelabra cum cereis manu gestantes, in obsequii ac reuerentiæ formam. Item in alio Pippini Regis diplomate pro eodem S. Dionysii cœnobio apponitur pro sigillo BACCHI EFFIGIES, (cuiusmodi exhibetur fere in numis Byzantinis & aliis,) non exstante, (vti assolet) figura, sed ceræ cauæ impressa. Simili modo Carolus M. in subsignandis quibusdam placitis vsus est, (an potius Comes aut Cancellarius?) annulo signatorio, in quo SERAPIS seu ANVBIS cum modio capiti superposito depictus erat, vti probant eclypsa suo loco, cum præmissa BACCHI EFFIGIE, quam ex Pippini diplomate expressimus. Eiusmodi ANVBIS effingitur in numis Byzantinis & Iuliani Parabatæ.* Hæc Mabillonius, Verum aut fallor ego, aut illo oculatior hac in re fuit P. Bartholomæus Germon, (e) cui ex hac imagine tam insolita non minima suspicio suborta est de sigillo. Vrget enim, longe id abhorrere a Francorum vsu & moribus, vt sigillis gentilium Deorum simulacra inciderent. Sane in bibliotheca Regia exstare Childerici anulum aureum, non Bacchi aut alterius falsi numinis, sed ipsius Childerici imagine notatum: non vero esse credibile, post ea tempora Francorum Reges idola eiusmodi incidisse, quibus ne in ipso quidem gentilismo essent vsi. Porro Mabillonium habuisse ad manum & libro quinto æri incidisse non pauca sigilla Regia, quorum ne vnicum quidem sit, si illud Pipini alterumque Caroli M. excipias, imaginem Regis quod non gerat. Nec posse excogitari rationem idoneam, cur anulo suo Bacchum pampino redimitum repræsentari voluerit Pipinus, princeps, consentiente omnium scriptorum testimonio & pius & fortis, nec vnquam ebriositatis aut violentiæ accusatus. Hactenus P. Bartholomæus Germon, cuius mihi argumenta non adeo leuia videntur. Non enim est dubium, quin impostor quidam, fucum antiquitatis iactatione facturus, diplomati sigillo destituto gemmam quandam antiquam impresserit. Bacchum enim eodem fere modo in numis Byzantinorum & Iuliani Apostatæ repræsentari ipse fassus est Mabillonius. Serapidem vero, seu Anubin numi Sinopensium, (f) Cæsareensium, (g) Coloniæ, Æliæ Capitolinæ (h) Bostrensium (i) eodem schemate exprimunt. Immo quemadmodum in sigillo Mabillonii coronæ laureæ exstant quædam vestigia, ita eadem obseruatur in numo Sinopensium, inter Gordiani III numos edito a Vaillantio. (k) In quo numo etiam id obseruatione dignum est, quod facies Serapidis in illo exhibita, sigillo Mabilloniano tam sit similis, vt nisi peri-

a) MABILLON. *d. R. D. p. 387. conf. p. 495.* *) *Tab. III. n. 6.* b) MABILLON. *lib. 5. tab. 23. n. 1. p. 388.* **) *Tab. III. n. 10.* c) MABILLON. *lib. 5. tab. 24. n. 1. p. 389.* d) Id. *lib. 2. cap. 16. n. 8. p. 158.* e) GERMON. *Disc. de veter. Reg. Franc. diplom. ad Mabillon. part. 2. c. 9. p. 216. sq* f) *ap.* VAILLANT. *tom. 1. Numor. Imperat. p. 161.* g) Id. *ibid. p. 178. 197. & 209. tom. 2. p. 77.* h) *Ibid. tom. 2. p. 73.* i) *Ibid. p. 129.* k) *Ibid. tom. 2. l. c. p. 149.*

perigraphe & figura circularis prohiberent, hoc ex illo expreſſum crederem. Poteſt tamen gemma ad hunc numum veluti prototypum ſculpta illi ad manus fuiſſe, cui volupe fuit, ſigillo hoc illudere poſteritati. Vt adeo nondum me dimoueri patiar a mea ſententia, quod medii ævi Chriſtiani ſigillis ſuis nunquam Deorum falſorumque numinum imagines impreſſerint.

NOTANTVR NONNVLLI HAC IN RE KAKOZHAOI.

IV. Quo magis vero laudanda eſt veterum religio, qui ſibi ab eiusmodi ineptiis plane abſtinendum putarunt, eo minus excuſandi videntur illi, qui renatis litteris, antiquitatis affectatione etiam ſigilla ad veterum gentilium morem denuo compoſuere. Poſſem hic complurium notare κακοζηλίαν, quam eiusmodi ſigillorum vſu prodiderunt, niſi eruditorum famæ conſulere mallem. Inprimis laborauit iſthoc vitio Vigilius Zvichemus ICtus, Pallade ſignare ſolitus, teſte Mureto, (a) qui etiam refert, ſe aliquot Eraſmi epiſtolas vidiſſe, quæ omnes ſignatæ fuerint Termino, additis duabus vocibus: NVLLI CEDO, aut, vt alii malunt: CEDO NVLLI TERMINVS. An arrogantiæ ſuſpicio in hæc verba, quæ illi & ſymboli loco fuere, cadat, videant alii. Ipſe de conſtantia hoc interpretatur Eraſmus, (b) de qua re videndus etiam Paulus Colomeſius. (c)

SIGILLA MEDII ÆVI SIMPLICISSIMA.

V. Deinde & hoc de omnibus medii ævi ſigillis in vniuerſum tenendum eſt, quod imagines æque ac inſcriptiones nihil plerumque habeant, quod antiquorum Romanorum acumen ac genium referat. Cum enim tota media ætate nullus ferme eſſet bonarum artium litterarumque ſplendor, orbisque omnem fere elegantiam inter tot barbararum nationum confuſas migrationes perdidiſſet: magis plerumque vſus, quam ſplendoris habita ratio eſt. Hinc in ſigillorum cælatura, in imaginibus, in inſcriptionum denique inuentione parum artis ingeniique elucet. Nihil ferme ad hodiernorum pictorum ſculptorumque regulas compoſitum. Sæpius inter caput, manus, pedes ceteraque membra nulla adparet harmonia, nulla proportio, quæ artis pictoriæ anima eſt. Situs quoque corporum aliquando enormis videtur. Paucis, vbique ſæculi barbariem ac infelicitatem agnoſcas.

CAROLINGORVM SIGILLA ELEGANTIORA.

VI Attamen ab hac barbarie merito eximunt ſe haut pauca, ex quibus maior ſculptorum ars elucet. Sigilla certe Comitum Flandrenſium ab Oliuario Vredio delineata ſua elegantia mirum in modum ſe commendant, ac omnino quidquam habent, quod oculos animumque alliciat. Huc pertinent etiam Carolingorum ſigilla, quæ paulo propius ad veterum elegantiam accedunt, ipſisque Orientalium Cæſarum numiſmatibus præſtant. Fatetur id Mabillonius (d) ita ſcribens: *Neque vero tam imperiti erant Carolino æuo artifices, ſane multo peritiores erant cælatoribus, qui erant ſub prima ſtirpe, nec longe diſtant Caroli M. ſigilla ab illa felici ætate Romanorum.* Ex quo enim Auguſtæ maieſtatis decus in familiam ſuam intulerat Carolus, non eſt dubium, quin Græcorum æmulatione incenſus, id præcipue ſtuduerit, vt & numiſmata ſua & ſigilla antiquiſſimorum Cæſarum habitum referrent. Hinc & laurus Francicorum Imperatorum capita cingit, & thoraces plane ſunt ad Romanorum veſtiendi rationem compoſiti, vt parum interſit inter Cæſarum antiquiorum numiſmata & ſigilla Carolingorum. Animaduertit hoc accuratiſſimus Vindiciarum Conringianarum Auctor, (e) qui de laurea Carolingorum corona hunc in modum diſſerit: *Neque aliam facile cauſſam dixeris, quæ Carolum M. impulerit, quam æmulationem erga Imperatores Græcos, gemmeo diademate caput ornantes; Laurum igitur Carolus maluit, primorum Imperatorum Romanorum exemplo, vt ſimul vrbis Romæ imperium tanto magis ſibi competere indicaret.* Quo facit etiam obſeruatio Mabillonii (f) de coronis in ſigillis obuiis. Merouingorum Pippini & Caroli M. ſigilla pleraque corona carere, Carolomannum, Caroli M. fratrem, vitta caput cinxiſſe, videri tamen Carolum M. coronæ laureæ vſum reuocaſſe, quod tali incinctus adpareat in diplomate Corbeienſi, eumque imitatos deinde eſſe poſteros ad Lotharium vsque, eius ſtirpis poſtremum Regem, qui coronam radiatam gerat. Adde quod & inſcriptiones Carolingorum nonnunquam melioris ævi genium redolent. Quales ſunt profecto illæ, quas in Carolingorum bullis aureis plumbeisque inueniri diximus. Veluti hæ: RENOVATIO REGNI FRANCORVM. RENOVATIO ROM. IMP. His enim fere ſimiles inuenies in melioris ævi numismatibus. Eodem enim recidunt hæ inſcriptiones: FELIX TEMPORVM REPARATIO in numis Iuliani, Fl. Valerii Conſtantis, aliorumque. RESTITVTORI ORIENT. in numis Conſtantini, REPARATIO REIPVB. in numis Fl. Valentis aliorumque Auguſtorum. Vt adeo non ſit dubium,

a) MVRET. *ad Orat. Catilin.* b) ERASM. *Adag. Chil. 3. cent. 5. ad 42.* c) COLOMES. *Opuſc. Critic.* d) MABILLON. *lib. 2. cap. 17. n. 2. p. 143. de R. D.* e) VINDIC. CONR. *cap. 6. n. 14. p. 152.* f) MABILLON. *lib. 2. c. 17. n. 2 p. 144. de R. D.*

um, quin Francici Imperatores in sculpendis sigillis suis, veterum Romanorum numismata sibi imitanda proposuerint. Hoc vt credam, eo facilins adducor, quod constat, Caroli M. prouidentia studia omnium bonarum artium, quæ dudum Francis sorduerant, paullatim reuocari in vsum cœpisse. Laudat hanc tanti Principis curam Eginhardus,(a) *Artes*, inquiens, *liberales studiosissime coluit*, *earumque doctores plurimum veneratus*, *magnis sublimabat honoribus*. Quo pertinent etiam verba hæc monachi Egolismensis: (b) *Tunc in inuicem sibi domnus apostolicus & domnus Rex glorioſus Carolus valedicentes*, *benedictione assumpta & oratione peracta*, *in Franciam cum gloria reuersus est*, *adducens secum Cantores Romanorum & Grammaticos peritissimos & calculatores*. Et paulo ante: *Et domnus Rex Carolus iterum a Roma artis Grammaticæ & computatoriæ magistros secum adduxit in Franciam*, *& vbique studium litterarum expandere iussit. Ante ipsum enim Domnum Regem Carolum in Gallia nullum studium fuerat liberalium artium.* Omitto hic laudes, quas Carolo M. ob reparatas eius auspicio bonas litteras cumulatissime admetitur Alcuinus. (c) Solum audiemus Lupum, (d) Abbatem Ferrariensem, qui elegantia sermonis atque adeo re ipsa felicitatem istius temporis testatur: *Siquidem vestra memoria per famosissimum Imperatorem Karolum*, *cui litteræ vsque eo deferre debent*, *vt æternam ei parent memoriam*, *cœpta reuocari*, *aliquantum quidem extulere caput*, *satisque constitit*, *veritate subnixum præclarum dictum: Honos alit artes & accenduntur omnes ad studia gloriæ.* Nec posteros quidem Caroli M. ab hac Satoris sui laude defeciſſe putandum est. Nam & Carolus Caluus magno scriptorum consensu pretium tulit restitutarum litterarum. Qua de re solum hic audire iuuat Henricum monachum in vita S. Germani Altissiodorensis: (e) *Multa sunt*, (ita ad Carolum Caluum scribit monachus,) *vestræ monumenta clementiæ*, *multa symbola pietatis. Illud vel maxime vobis æternam parat memoriam*, *quod famatissimi æui vestri Caroli studium erga immortales disciplinas*, *non modo ex æquo repræsentatis*, *verum etiam incomparabili fauore transcenditis*, *dum quod ille sopitis eduxit cineribus*, *vos fomento multiplici tum beneficiorum*, *tum auctoritatis vsquequaque prouehitis*, *immo vt sublimibus sublimia conferam*, *ad sidera perurgetis. Ita vestra tempestate ingenia hominum duplici nituntur adminiculo*, *dum ad sapientiæ abdita persequenda omnes quidem exemplo allicitis*, *quosdam vero etiam præmiis inuitatis. - - - - Quidquid igitur litteræ possunt*, *quidquid assequuntur ingenia*, *vobis debent.* Quæ quum ita sint, eo minus mirandum est, quod tanto feliciorum ingeniorum prouentu, bonarumque litterarum παλιγγενεσία sigilla quoque Francicorum Imperatorum vltra æuum nonnunquam sint elegantia, Romanisque numis propiora.

ARTES ENIM CAROLINO ÆVO RENASCVNTVR.

VII. Idem de Salicis Imperatoribus videtur statuendum. Quamuis enim magna paullo ante sub Saxonum imperio esset temporum infelicitas, nec quidquam fere pristinæ elegantiæ mansisset reliquum: illuxere tamen subinde ingenia, quæ ad meliorem eruditionem adspirarent. Fuerunt enim, qui linguas, scientiasque mathematicas sibi redderent familiares, ex quorum numero fuere Hermannus ille Contractus, quem magnopere ideo laudat Trithemius,(f) & Guntherus, Præsul Bambergensis, cuius historiam nos ipsi in Antiquitatibus Goslarienſibus sumus persequuti. (g) Nec defuere, qui melioris æui Latinitatem tum in prosa, tum in versa oratione sectarentur. Qua in laude admirandus plane est Lambertus Schaffnaburgensis, qui tersa, emendata & polita Latinitate summorum Criticorum Lipsii, (h) Barthii, (i) Iosephi Scaligeri, (k) Vossii, (l) & Cauei (m) præconia meruit. Tanta sane fuit litteratorum hominum sub Salicis copia, tantus bonarum artium splendor, vt & historici rem tanquam insolentem & suis sæculis inauditam, dignam putarent, quæ iret in annales. Memorabilis ea de re locus exstat in Chronica Augustensi, (n) quam edidit Freherus: *MXLI Hainricus Rex vastata Boëmia*, *Ducem illius ad deditionem coëgit. Vngari*, *fugato Petro*, *Obonem regem faciunt. Petrus profugus Hainricum adiit. Huius astipulatione & industria plurimi eo tempore in artibus*, *in ædificatione*, *in auctoribus*, *in omni genere doctrinæ pollebant. Studium vbique famosum.* Ex his ergo, quæ modo dixi, facile coniectura fieri potest, etiam de sigillis Salicæ stirpis Cæsarum. In iis enim non minus, quam in Carolini æui sigillis occurrunt nonnulla, quæ veterem elegantiam

ELEGANTIORA ETIAM SIGILLA SALICORVM OB EANDEM RATIONEM.

a) EGINH. *Vit. Caroli M. p. 10. edit. Reuber.* b) MON. EGOLISM. *p. 53. edit. Kulpis.* c) ALCVIN. *epist. 10.* d) LVP. *epist. 1. conf.* BARON. *ad ann. 802. n. 4.* e) HENRIC. MON. *præfat. ad Vit S. Germani Altissiod. episc. edit. Lutet. 1543.* f) *Vid.* VOSS. *l. 2. de hist. Lat. cap. 44. p. 371.* g) GVNTHER. *lib. 1. ad ann. 1060. p. 68.* h) LIPS. *not. ad Polit. lib. 1. c. 9.* i) BARTH. *lib. 49. aduersar. c. 4. & lib. 45. c. 23.* k) SCALIGER. *de Emendat. temp.* l) VOSS. *lib. 2. de hist. Lat. c. 67. p. 383.* m) CAVE *Hist. lit. sect. 11. p. 433.* n) CHRON. AVGVST. *ad ann. 1041. p. 346. tom. 1. rer. Germ.*

tiam præ ſe ferunt. Elegantiſſima ſane inſcriptio eſt in bulla plumbea Conradi Salici: HEINRICVS SPES IMPERII, de qua paullo poſt agemus. Plane etiam ex Romana antiquitate petita ſunt ſceptra triumphalia, quæ in Heinrici IV præcipue ſigillis conſpiciuntur. Ipſa quoque ſculptura in Salicorum, quam in poſteriorum Cæſarum ſigillis, eſt elegantior. Vt adeo mirum ſit, bonarum artium ſtudia quum toties extulerint caput, non maiore auiditate ab hominibus eſſe excepta, ſed penitus demum amiſſa, cuius publicæ infelicitatis veſtigia, vt in numis, ita & in ſigillis exſtant ſatis luculenta.

INSCRIPTIONES PLERVMQVE LATINÆ.

VIII. Tertio nec id omittendum videtur, inſcriptiones ſigillorum, ſi Græcas nonnullas Byzantinorum & Pontificum Romanorum excipias, nunquam alia lingua conceptas per occidentem deprehendi, quam Latina, quod hodienum in ſigillis principum ac rerumpublicarum fieri videmus, licet linguam Germanicam certiſſimam, omnibusque abſolutam numeris habeamus. Cuius rei hanc reddit rationem diligentiſſimus antiquitatum ſcrutator, Ioach. Vadianus: (a) *Neceſſitate factum videtur, vt in gente illa Francorum & Alamannorum armis & bello aſſueta, quæ nec ſcribere ſua, nec legere aſſoleret, LATINÆ, hoc eſt, prouincialis linguæ vſus retineretur. Sero enim ſcriptus eſt Germanicus ſermo, & videtur Caroli M. primum ſtudio factum, vt idem in litteras paulo fuſius referretur, quippe & menſibus ab illo, (vt Eginhardus ſcribit,) nomina impoſita ſunt, & alia quædam ad vulgaris linguæ vſum excogitata, qui priorum ſe principum curam præterierant. Franci igitur limitem transgreſſi primo non tam ſuam, quæ nec arte, nec lege continebatur, quam aliena in prouincia repertam linguam addidicere, ingenua quadam verecundia talem linguæ ſuæ barbariem confeſſi, quæ ciuilitati & humanitati prouinciali merito ſubmitteretur.* Arbitratur deinde, & religionem addidiſſe ſtimulos, quo eam linguam addiſcerent ac in publicis monumentis adhiberent, qua omnes ſacri libri & interpretes, concilia, myſteria ſacramentorum & Cærimonialia deſcripta erant. Denique & datum aliquid linguæ celebritati putat, quæ nusquam non habeat ſui peritos, quum Germanicam pauciſſimi exteri intelligant, aut excolendam diligentius exiſtiment. Sane jam Merouingos Reges Latinam calluiſſe linguam, & non alia, quam hac, in publicis ſcripturis vſos eſſe, tum formulæ Marculfi & aliorum, tum auctorum docent teſtimonia. De Chariberto Venantius Fortunatus: (b)

Quum ſis progenitus clara de gente Sicamber,
Claret in eloquio LINGVA LATINA tuo.

Et quanquam in diplomatibus, (quidquid obiiciat P. Bartholomæus Germon,) (c) *lingua ruſtica*, hoc eſt inemendata & fere barbara, plerumque adhiberetur, ipſaque ſcriptura, quam Merouingicam vocat Mabillonius, plurimum a Romana calligraphia abeſſet: in ſigillis tamen conſtanter retinuerunt tum linguam Romanorum, tum eorundem ſcripturam, non ſecus ac in numis. (d) Auctores equidem ſunt Gregorius Turonenſis, (e) & Aimonius, (f) Chilpericum, litteris Romanis Græcas adieciſſe Ω, Θ, X, Ψ, Z, easque publico decreto in ſcholas introduxiſſe, ſed oblitteratas eo mortuo fuiſſe, facile credimus Chiffletio, niſi huc referenda vox XPE Carolino ævo in ſigillis vſitata. His addenda, quæ hac de re eleganter, hoc eſt ſuo more, diſſerunt Carolus du Freſne (g) & ill. Nicol. Chriſtophorus a Lyncker in nitidiſſima de idiomate imperiali diſſertatione. (h) De inſcriptionibus Græcis Pontificum nos infra, vbi de eorum ſigillis, agemus.

EÆQVE ORDIVNTVR FERE A CRVCE, QVEMADMODVM ET IPSÆ CHARTÆ ET SVBSCRIPTIONES.

IX. Quarto obſeruandum eſt, quod nullum ferme exſtet medii ævi ſigillum, cuius inſcriptio non a cruce ordiatur. Quemadmodum enim antiqui Chriſtiani crucem tanquam proprium quoddam Chriſtianæ religionis trophæum mirum in modum amabant, adeo, vt Tertulliano (i) teſte, *ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcunque eos conuerſatio exercebat, frontem crucis ſignaculo tererent*: ita nec anulos ſuos ſignatorios nec ſubſcriptiones hoc dulciſſimo ſigno carere volebant. De anulis iam ante diximus: addenda etiam nonnulla de ſubſcriptionibus, inprimis quum cruces, mea quidem ſententia, ex ſubſcriptionibus & in ſigilla tranſierint. Obſeruo igitur, religioſiores vix vnquam nomina ſua, ſiue ab initio, ſiue in calce litterarum ſcripſiſſe, quin præfixa cruce Chriſtianos ſe faterentur. (k) Perſpi-

a) VADIAN. *de colleg. & monaſt. l. 2. p. 33.* b) VEN. FORT. *lib. 6. c. 4.* c) GERMON. *c. 6. de diplom. Reg. Franc. p. 78. ſq.* d) *vid.* CHIFFLET. *c. 9. Anaſtaſ. Child. p. 100.* e) GREG. TVR. *lib. 5. c. 44.* f) AIMON. *lib. 3. c. 41.* g) DV FRESNE *Diſſert. de linguæ Lat. corruptione.* h) LYNKER. *de Idiom. Imper. p. 8.* i) TERTVLLIAN. *de Corona Milit. c. 3. p. 653.* k) FERRAR. *lib. 3. de antiqu. epiſt. eccleſiaſt. genere, cap. 3. p. 128.*

Perſpicuum id eſt, cum ex Leonis IX epiſtola ad Gunderadam, Mangoldi Comitis filiam, tum præcipue ex diplomate Adelhogi Hildeſienſis Epiſcopi, Richenbergenſi Eccleſiæ conceſſo, quæ a cruce inchoant & finiuntur in cruce. Quum enim crucis ſignum communis veluti nota eſſet Chriſtianorum, ipſorum æque Cæſarum ac Conciliorum legibus (a) ſtatutum eſt, vt ſi quis ducere litteras nomenque ſuum ſubſcribere neſciret, id quidem per alium fieret, ita tamen, vt ipſe, cuius intereſſet, crucis ſignum ſuapte manu præponeret. Lex Imperatoris ita habet: *Subſcriptionem ſupponere hæredem neceſſe eſt, ſignificantem & quantitatem rerum, & quod nulla malignitate circa eas ab eo facta vel facienda, res apud eum remaneat, vel ſi ignarus ſit litterarum, vel ſcribere præpediatur, ſpeciali tabulario ad hoc ſolum adhibendo, vt pro eo litteras ſupponat, venerabili SIGNO CRVCIS antea hæredis manu præpoſito.* Vnde in quinta ſynodo Conſtantinopolitana (b) illi, qui aliena manu ſubſcribunt, crucem tamen nomini præmittebant, vnde hæ formulæ: *Stephanus Presbyter & Prior Monaſterii de Conſta rogatus ſubſcripſi manu Iacobi diaconi, qui ſcripſit ſecundam commiſſionem meam, & ego protendi propria manu mea honorabilem CRVCEM.--- Zoticus presbyter & Prior monaſterii S. Andreæ prope Saturninam portam rogatus ſubſcripſi manu Marci presbyteri & ſecundarii, me protendente honorabilem CRVCEM.* Nec ignorarunt eam conſuetudinem illi Photii aſſeclæ, qui Ignatium Patriarcham Conſtantinop. ſynodali decreto de ſua ipſius depoſitione confecto, crucis ſignum ſubnotare, arrepta manu, coëgerunt, vt ipſe ſubſcripſiſſe atque aſſenſum præbuiſſe videretur. Qua de re Nicetas: (c) *Theodorus quidam vi arrepta manu Ignatii & charta, CRVCEM in illa quaſi vice & nomine eius loco ſubſcriptionis ſignauit, quam adferens tradidit Photio: hic vero accepto illo CRVCIS SIGNO ex ſe ipſo deinde ita ſubſcripſit: Ignatius indignus Conſtantinopolitanus, confiteor me ingreſſum eſſe ſine calculis non canonice videlicet electum, & his annis non ſancte me geſſiſſe, ſed tyrannice.* Nec tamen putandum eſt, eos tantum, qui ſcribendi artem non callebant, crucis ſignum nomini præmiſiſſe. Vix enim quisquam ſubſcribebat, quin crucem prænotaret. De Pontificum bullis iam non dicam, cum tot earum exſtent, in quibus Cardinales cruce præmiſſa ſubſcripſerunt, vt iis recenſendis ne integrum quidem caput ſufficeret. Attamen quum eum plerumque in hac tractatione morem tenuerimus, vt per varias gentes ſubinde euntes, earum conſuetudines ſeorſim notaremus, placet & hic noſtro ingenio obſequi, & videre, num crucis vſus & aliis gentibus fuerit familiaris. De Græcis igitur non dubitandum eſt, quum iam exempla aliquod adduxerimus, quibus alia a Carolo du Freſne (d) notata addimus. In Synodo VIII, actione X, ſubſcribunt Imperatores Baſilius, Conſtantinus, & Leo πήξαντες ἰδιοχείρως ἐν τοῖς πένλε βιβλίοις τὸ τιμίε ΣΤΑΥΡΟΥ τὸν τόπον. S. Ioannes Damaſcenus in Synodica ad Theophilum Imp. Ἀλλὰ καὶ πρὸς πλείονα πληροφορίαν τὸς ἰδιοχείρος με ΣΤΑΥΡΟΥΣ ὑπογράφω τῷ τῆς ὀρθοδοξίας λιβέλλῳ ἑπόμενος. Scylitzes in Michaële Calaphate, qui iusiurandum ruperat: (e) Ημεῖς ΣΤΑΥΡΟΤΑΤΗΝ καλαφάτην βασιλέα ϑέλομεν. Sed & recentioribus Græcis diligentior in eo patrii moris manſit cuſtodia. Vix enim hodie Græculi litteras ad nos ſyſtaticas ferunt, quæ non plurimis crucis characteribus ſcateant, quod teſtari poſſunt aliquot huius generis epiſtolæ, editæ a Martino Cruſio. (f) Græcos & Franci, ac deinde etiam Germani ea in re ſunt imitati, quod plurima eorum diplomata & concilia teſtantur. In concilio Triburienſi anno DCCCXXI (g) *& Imperator & pene omnes Galliæ & Germaniæ principes ſubſcripſerunt, ſinguli ſingulas facientes CRVCES.* Charta Willis-windæ, fundatricis monaſterii Laureshamenſis, his ſubſcriptionibus eſt munita: (h)

Signum ✝ Willisvvindæ Deo ſacratæ.
Et Signum ✝ Cancronis Comitis, filii eius. &c.

Plurima quoque huius rei exempla exſtant in traditionibus Fuldenſibus a Piſtorio editis, nec non in chartis vetuſtis Alamannicis, quas edidit Goldaſtus, ex quibus pauca excerpere iuuat. Charta quinta (i) ita finitur: *Sig. Engilhelm ✝, Cundhard ✝, Ruadker ✝, Vuano ✝, Oadelvvart ✝, Vuolſleip ✝, Reginker ✝, Tagapert ✝, Folcholt ✝, Sinderat ✝, Vto ✝, Vuato ✝ &c.* Charta ſeptima: *Sig. Hiltibaldi miſſi Honorati Comitis ✝, Otkit ✝, Liutpreht ✝, Hadpert. &c.* Idem mos obſeruatur in chartis XVII, XVIII, XXI, XXII, XXXIX, XL, XLII, XLIII, XLIV, XLVI, XLIX, L, & ceteris plerisque. Accedimus ad Gallos, quos eundem retinuiſſe morem pro-

 bat

a) *L. fin. §. 2. C. de jure deliber.* b) *act. 1. ap.* BIN. *tom. II. part. 1. p. 682. ſq.* c) NICET. *Vit. Ignatii Patriarch.* d) DV FRESNE *Gloſſ. L. tom. 1. p. 1278.* e) DAMASCEN. *Epiſt. Synod. p. 730.* f) CRVS. *lib. 4. Turco-Græc. epiſt. 16. 17.* g) *can. ult.* h) CHRON. LAVRESHAM. *p. 57.* i) GOLDAST. *p. 27. tom. 2. part. 1. rer. Alam.*

bat Carolus du Freſne, cum in notis ad Ioinuillam, (a) tum in Gloſſario mediæ ac infimæ Latinitatis. (b) Anglos præterea cruce ſubſcripſiſſe eo minus dubitandum eſt, quod ſupra ex Ingulfo & Matthæo Paris probauimus, ante Normannorum irruptionem ſolas cruces aureas loco ſigillorum fuiſſe. Quibus nunc plura exempla addere liceret ex Monaſtico Anglicano, (c) Orderico Vitali, (d) Arnulfo Lexouienſi, ipſoque Ingulfo, niſi mihi otium facerent laudati iam Carolus du Freſne & Fr. Bernardinus Ferrarius, ad quos Lectorem remittimus.

QVID HÆ CRVCES NOTENT?

X. Hic vero iure videtur quæri, quænam fuerit cauſſa, ob quam tot cruces chartis illeuerint religioſi mortales? Citra rationem enim id factum, non eſt credibile. Equidem Martinus Cruſius (e) in Græcorum epiſtolis cruces non niſi puncti finalis loco eſſe autumat, ſed procul dubio falſus, atque ideo cenſuram meritus Franc. Bernardini Ferrarii. (f) Rectius has cruces ad tacitum veluti iusiurandum referre videntur Kirchmannus, Du Freſne, Becmannus & Marca. Sane enim quemadmodum concepta Sacramenta tracta S. Cruce dicebantur, ita impreſſione S. Crucis tacite iurabant, ſe omnia bona fide ſeruaturos, quæ promitterent. Idque vocabant *inſtrumento iurare*, itemque *manu propria iurare*. Inde factum eſt, vt Græci, licet ſcribere neſcientes, ipſi plerumque cruces ducerent, id quod patet ex Phranza, (g) vt Angli aureas, teſte Ingulfo & Matthæo Paris, alii denique, quo ſanctius ſponderent, calamo in calicem euchariſticum intincto iſtas effingerent, cuius rei exempla produnt Theophanes, (h) Leo Grammaticus (i) & Chronici veteris fragmentum apud Stephanum Baluzium. (k)

CRVCES E SVBSCRIPTIONIBVS IN SIGILLA TRANSIERE.

XI. Ab hoc ergo ſubſcribendi ritu ad ſigilla tranſiit crucis vſus. Quum enim initio ſubſcriptiones hæ loco ſigillorum eſſent, non dubitarunt etiam in ipſis ſigillis cruces retinere. Et quamuis nihil amplius ad confirmationem ſcripti facerent, ſed ex conſvetudine potius, quam ex certa ratione fierent: omittendum tamen hoc ſignum in ſigillorum inſcriptione non putarunt, quoniam Chriſtianis turpe videbatur, tam pio æuo, nomen proprium ſine crucis ſigno exarare. Neſcio ergo, quid in mentem venerit Pallatio, (l) quod omnes bullas plumbeas, in quibus crux, aut monogramma Chriſti ☧ adparet, Pontificibus Romanis tribuendas exiſtimat. Recte equidem ſcribit: *Cruce ex vtraque parte ſigna munita habes: qui mos antiquorum pontificum, vt præcipue videre eſt in loculo, quem ad Sanctorum cuſtodiendas reliquias erexit Leo IV in æde SS. quatuor coronatorum.* Sed male inde colligit, omnia ſigilla crucibus ſignata deberi pontificibus. Profert ſignum, cuius in antica habetur aquila alas expandens, in poſtica hi characteres: (m)

✝
ΘEOΔ
ωPꝩ
✝

De eoque ita iudicat: *Plumbeum antiquorum diplomatum expoſuit Franciſcus Gualdus, quod ſolo nomine ad Theodorum ſpectare dignoſcitur, & crucibus ad pontificem.* Profecto id male colligitur. Siquidem ad ſæculum vsque XIV conſtanter obſervabis, ſigillorum inſcriptionibus crucem præfigi, ſiue huius formæ ✝ ſiue aliarum ✠ ✣ ✢. At ſæculo ineunte XV, imo iam exſpirante XIV, cruces ſæpius neglectas comperio. Modo enim roſas aut ſtellulas earum loco adhibitas, modo illas plane omiſſas eſſe conſtat, inprimis cum ſuperior pars ſigilli variis ſubinde ornamentis, aut tectis ædicularum, in quibus ſanctorum imagines aut inſignia ſtatuebantur, obtegeretur.

NOMEN SINE PROLIXO TITVLO SCRIPTVM.

XII. Crucem porro plerumque in ſigillis ſequitur nomen ac dignitas illius, cuius eſt ſigillum. Nam in antiquiſſimis non occurrit nota S. ſiue explicita vox SIGILLVM, quæ in ſigillis ſæculorum XII & XIII adparet, niſi in ſigillis Monaſteriorum & Collegiorum, quorum tamen ætas plerumque dubia eſt. In Carolingicis enim ſe offerunt aut formulæ: XPE PROTEGE, XPE ADIVVA, aut nudum nomen, e.g. KAROLVS DEI MISERICORDIA REX, KAROLVS IMPERATOR. In Saxonicorum quoque, Salicorum & Sueuicorum Imperatorum ſigillis nudum

a) DV FRESNE *ad Ioinuill.* b) *Id. Gloſſar. part. 1. p. 1277. & part. 3. p. 861.* c) MONAST. ANGL. *tom. 3. p. 7.* d) ORDER. VITAL. *lib. 4. lib. 11. lib. 12.* e) CRVS. *lib. 4. Turco-Græc. ep. 16. 17.* f) FERRAR. *lib. 3. de epiſt. eccleſiaſt. cap. 3. p. 130.* g) PHRANZA *lib. 3. cap. 4.* h) THEOPH. *ſub anno 20. Heraclii p. 275.* i) LEO *Gramm. in Michaële Theophili filio p. 465.* k) BALVZ. *ad Agobard. p. 129.* l) PALLAT. *de Geſt. Pontif. tom. 1. p. 289.* m) *Idem l. c. tom. 1. p. 304.*

dum nomen occurrit hoc modo: ✠ OTTO DI GRA REX. ✠. HEINRICVS DI GRA REX. ✠LOTHARIVS DEI GRATIA III. ROMANOR. IMPER. AVG. ✠. CVNRADVS DI GRA ROMANORVM REX II. ✠ FREDERICVS DEI GRA ROMANOR. IMPERATOR. AVG. Idem in ceteris Romanorum Imperatorum sigillis obseruatur. Ita & Duces solum nomen cum dignitate, omissa voce SIGILLVM, insculpi iusserunt, e. g. ✠ FRITHERICVS DI GRA PALATINVS COMES. ✠ HENRICVS DEI GRA DVX BAWARIE > SAXONIE. Eundem denique morem sequuti sunt Episcopi, donec, vt dixi, exspirante seculo XII vox SIGILLVM, vel sola litera S. initialis adderetur. Pro qua in Flandrensium Comitum sigillis apud Oliuarium Vredium (a) legitur vox SIGNVM, in sigillo Goslariensis Ecclesiæ IMPRESSIO, in sigillo Rudolphi Comitis Tubingensis Palatini apud Crusium (b) SVBSCRIPTIO SIGILLI.

FROMVLÆ DEI GRATIA ORIGO.

XIII. Inde liquet etiam quarto, antiquissimam esse formulam, DEI GRATIA, quippe quæ in antiquissimis Merouingorum sigillis conspicitur. Si originem huius formulæ requiras, non aliunde videtur petenda, quam a Constantinopolitanorum Cæsarum moribus. Hos enim primos Dei se munere imperare, in titulis suis professos esse video. Id sibi volunt formulæ: Ἐν Χριστῷ πιστὸς, *in Christo fidelis*, itemque θεοσεφὴς sive θεόσεπτος, *a Deo coronatus*, quibus iam inde ab antiquissimis temporibus vsos esse Imperatores Byzantinos, ex eorum sacris, quæ in actis synodalibus seruantur, satis superque constat. Id quod & numis testati sunt, qui subinde exhibent Seruatorem nostrum, imperatoribus ad latus positum & diadema manu iis imponentem, qua de re Freherus, (c) Du Fresne, (d) & Thulemarius (e) videri possunt. Hanc igitur Byzantinorum pietatem imitati deinde sunt & alii Reges, Principes, & Episcopi. Vnde vtramque paginam in Conciliorum actis faciunt illa: *In nomine Domini Flauius Cinthila Rex.* (f) *In nomine Domini Flauius Receſſvvinthus Rex.* (g) Quemadmodum enim Gothici Hispanorum Reges Flauii cognomen, æmulatione Byzantinorum, affectarunt: (h) ita & formulam *In Dei nomine* ex eorundem Cæsarum titulo eos sibi adsciuisse, credere par est. Porro & Episcopi antiquissimi vix se aliter subscribunt quam his formulis: *Ansericus gratia Christi Ecclesiæ Segobiensis Episc: his omnibus Decretis annuens subscr.* *Idisclus in Christi nomine Ecclesiæ Segobiensis Episcopus his omnibus decretis annuens subscripsi.* *Antonius, Dei miseratione Ecclesiæ Dianensis Episcopus his omnibus decretis annuens subscr.* Id quod & Episcopi a Constantinopolitanis didicerant. Similes enim formulæ frequentissimæ sunt in antiquis conciliorum actis. (i) Præterea ipsum titulum *a Deo coronatus* nonnunquam vsurparunt Occidentales, quemadmodum exempla ostendunt, quæ cum cura collegit ill. Dn. Thulemarius. (k) Vt adeo non sit dubitandum, quin formula *Dei gratia*, quæ in antiquis Cæsarum, Principum, Episcoporum, & quorundam Abbatum Diplomatibus & sigillis occurrit, a Byzantinorum formulis supra descriptis originem habeat. Risu enim potius, quam animaduersione digni sunt, qui eius formulæ originem non ad vlteriora, quam Henrici V Imp. & Henrici VIII Boiorum Reguli tempora ex male intellecto Auentini loco referre non dubitant. (l)

ORIGO FORMVLÆ DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA.

XIV. Labente seculo XIII Episcopi officium suum sacrum non tantum Dei, sed & Apostolicæ sedis gratiæ adscribere cœperunt, idque tam in litterarum exordiis, quam in sigillorum inscriptionibus sunt professi. Exempli loco sit sigillum Arnoldi Episcopi Bambergensis, anno MCC LXXXVII bullæ indulgentiarum Ecclesiæ SS. Simonis & Iudæ Goslariensi in synodo Herbipolensi concessæ appensum, cuius hæc est inscriptio: ✠ ARNOLDVS DEI. > APLICE. SED. GRA BABENBERGEN. EPS. Sed ea quidem formula non adeo frequens est in sigillis. Cum enim litteras istas præter hunc Arnoldum Babenbergensem, decem alii

a) OLIVAR. VRED. *Sigill. Flandr. p. 2.* b) CRVS. *annal. Sueu. l. 4. part. 3. c. 7. p. 223.* c) FREHER. *lib. 2. de re monet. cap. 1. & expos. numism. argent. Constantini Imp. Byzant.* d) DV FRESNE *de infer. æui numism. n. 29. p. 23.* e) THVLEMAR. *ad bull. Andronic. p. 14.* f) CONCIL. TOLET. *V. ap. Bin. tom. 2. part. 2. p. 367.* g) CONCIL. TOLET. *VIII. p. 482. p. 497.* h) *qua de re* CHIFFLET. *Vindic. Hisp. p. 350.* BIVAR. *ad Chron. Pseudo Maxim. p. 73.* C. DV FRESNE *part. 2. Gloss. L. p. 462. & Dissert. de num. Const. n. 36. p. 27.* i) *Mireris itaque* NICOL. MYLERVM AB EHRENB. *part. 1. de Princip. & stat. Imp. c. 30. §. 5. p. 297. ita scribere: Sane ecclesiastici præsules longo tempore hoc titulo* (Dei gratia) *abstinuerunt, memores professionis suæ humilitatis. Nec sub Carolinorum regimine vllum reperies Episcopum tali inscriptione vsum fuisse.* Sola acta synodalia aliud euincunt. k) THVLEMAR. *p. 14. ad bull. Andron.* l) *vid.* FRID. GEISLER. *Dissert. de titulo: Nos dei gratia part. 1. n. 58.*

Episcopi suis sigillis confirmarint, nullius tamen, nisi Arnoldi huius, sigillum hanc formulam habet, quemadmodum & in litterarum exordio sola gratia Dei Episcopos se profitentur. Non disputabimus hic prolixius, quando primum formula hæc recepta fuerit. (a) Id modo affirmare non veremur, Pontifices Romanos hoc honoris genus, vt alia multa, Imperatorum æmulatione affectasse. Constat enim, etiam inter Principes sæculares olim id nonnunquam receptum fuisse, vt non modo Dei, sed & Imperatorum gratiæ dignitatem suam acceptam ferrent. Auctores meos habeo, (b) Bertholdum Ducem Zaringensem hisce verbis conceptis vsum: *Ego Bertholdus de Zaringen, Dux & Rector Burgundiæ, Dei & Imperiali gratia.* Conradum quoque eiusdem prosapiæ Ducem anno MCXXVIII. *Dei & Imperatoris gratia* id dignitatis se tenere professum, testes sunt Guillimannus (c) & Pont. Heuterus. (d) Adde quod & Ottacarus III Rex Bohemiæ in epistola ad Rudolfum I Imp. *Dei & illius gratia Regem Boëmiæ se vocauit*, si fides est Hieron. Megisfero. (e) Forte & alii Principes isthac formula delectati sunt, quorum diplomata nondum lucem viderunt. Quemadmodum igitur sæculares Principes, beneficiorum memores, diuinæ gratiæ imperialem addidisse liquet, ita & ecclesiasticos horum exemplo gratiam Pontifici Romano referre voluisse existimo.

FORMULÆ: DEI ET IMPERIALI GRATIA.

PROVINCIÆ TITVLIS SERO ADSCRIPTÆ.

XV. Quinto obseruandum est, antiquos in dignitatibus prouinciisque recensendis admodum parcos fuisse. Reges solo hoc nomine plerumque contenti, nec regna quidem, quibus præerant, adiecere, idemque Principes & Comites factitarunt. Vnde his formulis totus eorum titulus absoluebatur: *In nomine Domini Flauius Cinthila Rex. In nomine Domini Flauius Receſſuintus Rex.* CHILDIRICI REGIS D+ GRACIA DAGOBERTVS REX. XPE PROTEGE LVDOVICVM REGEM. OTTO DI GRA REX, HEINRICVS DI GRA REX. FRITHERICVS DI GRA PALATINVS COMES. WAIMARIVS PRINCEPS. ADELBERTVS COMES. In his sane sigillis ac titulis nulla fit prouinciarum mentio, vt frustra in illis quæreres, quarumnam prouinciarum Reges aut Principes sint, nisi id aliunde constaret. Sic & Imperatores solo hoc titulo contenti Romani Imperii vix in sigillis meminerunt, his quippe formulis plerumque vsi: XPE PROTEGE KAROLVM IMPERATOREM. XPE PROTEGE HLVDOWICVM IMPERATOREM. KAROLVS IMPERATOR. OTTO IMPERATOR AVGVSTVS. Profert etiam Doctissimus Dn. Tenzelius (f) sigillum Conradi II. Imp. (*) sed mutilum, & longi temporis iniuriis detritum. In eo sequentes litteræ sunt residuæ: + CVONR — — — — PERATOR. Hanc igitur perigraphen ita quidem restituit laudatus Tenzelius: CVONRADVS ROMANORVM IMPERATOR. Sed vereor, vt spatium illud breuius, quod lacuna complectitur, tot litteris sufficiat. Præterea omissa est formula DI GRA quæ in ceteris Cunradi sigillis occurrit. Mallem igitur ita supplere lacunam: +CVONRADVS DI GRA IMPERATOR. An episcopatus suos initio omiserint etiam Episcopi, nondum habeo compertum, cum sigilla episcopalia, quæ possideo, seculo XI non sint antiquiora. In iis vero semper occurrit simul episcopatus nomen. In antiquioribus tamen aliam initam esse rationem non dubito, cum incredibilis Episcoporum modestia istis seculis ex omnibus eorum titulis & monumentis eluceat. Conciliis vix aliter subscribunt quam hoc modo:

EPISCOPORVM MODESTIA.

+. *Eusebius in Christi nomine Episcopus.*
+. *Isidorus in Dei nomine Episcopus.*

In

a) *Statim ab Henrici V ætate, qua Pontifex iura sacrorum extorsit, isto titulo vti cœpisse Episcopos, affirmare non dubitant* TRITHEMIVS *Chron. Hirs. p. 244.* IO. AVENTIN. *lib. 7. Annal. Boj. p. 640.* BROWER. *lib. 3. Antiqv. Fuldens. c. 9. p. 197.* BRVSCH. *Monasteriol. aliique plures: sed hos errare constat. In omnibus enim, quæ vidi, Episcoporum diplomatibus tempore Lotharii, Cunradi III. Friderici I. & aliquot sequentium Imperatorum scriptis semper reperio formulam DEI GRATIA, aut æquipollentem, nunquam DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA. Potius ergo tunc inualuisse hunc titulum puto, quum Pontifices suo arbitrio prouisiones Episcopatuum per Germaniam exercerent, ac vbique sedibus vacuis pastores imponerent. Hos enim, vt Papa habuit quam maxime obnoxios, ita & primos benefactori hac formula referre gratias voluisse, credibile est. Apud Hildesienses sane primum ista formula medio seculo XIV vsum esse Henricum Episcopum,* MEIBOMIVS *docet Tom. 3. Rer. German. p. 371.* b) CARPZ. *disp. feud. 9. ad tit. 24. & 26. A. B. qv. 4. n. 20. p. 352.* PITHOEVS *lib. 1. de Comit. Campaniæ.* GEISLER. *dissert. cit. part. 1. n. 15.* c) GVILLIM. *lib. 2. de reb. Helv. cap. 15. p. 284.* d) HEVTER. *l. 1. rerum Burg. p. 8.* e) MEGISER. *l. 8. annal. Carinth. c. 73. p. 898.* f) TENZEL. *supplem. 2. hist. Goth. p. 388.* (*) *Tab. VI. n. 2.*

In diplomatibus quoque ſæpius eos peperciſſe prouinciarum nominibus, in propatulo eſt. E contrario talia adiiciunt epitheta, quæ humilitatem ſummam ſpirant. Hinc modo INDIGNOS, modo SERVOS SERVORVM, (a) modo SOLO NOMINE EPISCOPOS ſe vocare non erubeſcunt. Otto Bambergenſis Epiſcopus ſe appellat: DEI GRA BABENBERGENSIS ECCLESIE HVMILEM MINISTRVM. (b) Meinwercus, Paderbornenſis Epiſcopus, diploma ita orditur: *Ego Megynwercus vtinam Epiſcopus!* idemque aliud: *Ego Meinvvercus peccator.* (c) Ex quibus ſingularis ævi antiquioris modeſtia ſatis elucet. (d) Poſt hæc tempora in Imperatorum ſigillis frequentius addita eſt vox *Romanorum*, quemadmodum & Duces prouinciarum iniere recenſum. Sic Henrici Leonis Sigilla. ✠ HENRICVS DEI GRA DVX BAWARIE ET SAXONIE, filii eius Henrici Palatini Rheni: ✠ HENRICVS DĪ GRA DVX SAXONIE ET COMES PALATINVS RENI. Bernhardi, primi ex Aſcanienſi familia Saxoniæ Ducis: ✠ BERNHARDVS. DVX. SAXONIE. ANGRIE WESTFALIE COMES ASCHERSLEVE, vt alia huius generis plura omittam. Denique Imperatores non modo hanc ſummam dignitatem, ſed & ceteras, quas poſſidebant, prouincias & regna enumerare in ſigillis cœperunt. Primus id fecit Fridericus II Imperator, cuius in ſigillis hic titulus adparet: FRIDERICVS DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS REX IERLEM ET SICILIE. Filius eius Henricus VII, qui, abſente patre, Germaniæ rebus ſub tutela Engelberti Archiepiſcopi Colonienſis præerat, patrem ſequutus hunc titulum in ſigillis vſurpauit: ✠ HENRICVS DI GRA ROMANORVM REX > SEMPER AVGVSTVS > DVX SVEVIE. Eius frater Conradus IV etiam ipſe prouinciarum catalogum ſigillis inſcripſit: ✠ CONRADVS DIVI AVG9TI IMPRIS FRIDICI FILIVS DI GRA ROMANOR I. REGE ELECT9 HERES IERLM. Et quamuis deinde Wilhelmus Hollandus, Rudolfus Habsburgicus, & Adolfus Naſſouius ſolum REGIS ROMANORVM titulum ſigillis inſcriberent, nullamque hereditariarum ditionum facerent mentionem: eumdem tamen morem reuocauit Ludouicus quartus, quem deinde ſequuti ſunt Carolus IV & Sigismundus, quorum hic tam longo titulorum ſyrmate ſigillum impleuit, vt tædeat hic repetere. Atque adeo ex eo tempore frequentior cœpit eſſe prolixorum titulorum vſus, quum contra antiquorum ſigilla ſua ſe ſimplicitate & inſcriptionum breuitate quam maxime commendent.

INSCRIPTIONES SECVNDARIÆ QVIBVS FIGVRÆ EXPLICANTVR.

XVI. Sexto obſeruandum eſt, præter has inſcriptiones, quas perigraphas non male dixeris, etiam alias nonnunquam in ſigillis occurere epigraphas, in ipſo orbe ad figurarum explicationem additas. Rudiore illo ævo, quum nondum pictura ad tantam excellentiam peruenisſet, ferunt pictores impolitis imaginibus ſubſcripſiſſe: *hic homo! hic aſinus!* Teſtis huius rei eſt Plinius: (e) *Primi*, inquiens, *exercuere picturam Ardices Corinthius & Telephanes Sicyonius, ſine vllo colore, iam tamen ſpargentes lineas intus. Ideo & quos pingerent*, ADSCRIBERE *inſtitutum.* Quibus gemina ſunt hæc Æliani: (f) Ὅτε ὑπήρχετο ἡ γραφικὴ τέχνη, καὶ ἦν τρόπον τινὰ ἐν γάλαξι, καὶ ἐν σπαργάνοις, ἔτως ἄρα ἀτέχνως ἐπαιζον τὰ ζῶα, ὥςε ΕΠΙΓΡΑΦΕΙΝ αὐτοῖς τὸς γραφέας, ΤΟΥΤΟ ΒΟΥΣ, ΕΚΕΙΝΟ ΙΠΠΟΣ, ΤΟΥΤΟ ΔΕΝΔΡΟΝ. *Cum ars pingendi iam ortum duceret, & quodammodo in lacte faſciisque verſaretur, adeo rudi & impolito ſtilo depinxerunt animantia, vt* ADSCRIBERE *ad ea pictores neceſſe eſſet:* HOC EST BOS, ILLVD EQVVS, HOC ARBOR. Huc pertinet etiam luſus in Priapum:

Inſul-

a) *De titulo* Seruus ſeruorum Dei, *qui hodie pontificum Romanorum diplomatibus dicis cauſa addi ſolet, olim vero omnibus epiſcopis, ac presbyteris etiam familiaris fuit, prolixius egere* CAROLVS DV FRESNE *part. 3. Gloſſar. L. p. 841.* THVLEMAR. *de bull. cap. 4. p. 18. 19.* b) BRVSCH. *Monaſteriol. p. 318.* c) SCHATEN. *lib. 5. annal. Paderb. part. 1. p. 483. 498. Eod. titulo vtuntur Germanus apud* SIRMOND. *Tom. 1. Concil. Gall. p. 355. Deſiderius Epiſcopus Cadurcenſis apud* DV CHESNE *Tom. 1. fol. 86. aliique plures. Eiusdem generis titulus eſt hic:* Audimarus nomine, absque opere Epiſcopus, *apud* MIRÆUM *lib. 1. Notit. Eccl. Belg. cap. 5.* Ego Amandus Miſerrimus & peccator, *apud* OLIV. VRED. *in Flandr. Chriſtiana p. 217.* Ego in Chriſti nomine Vinditianus Epiſcopus, ac ſi peccator, *ap. eund. p. 218.* d) *Alias eiusmodi formulas collegit Dn.* CHRIST. FRANCISC. PAVLINI *diſſert. hiſtor. 15. n. 5. p. 155.* e) PLIN. *lib. 35. hiſt. nat. c. 3.* f) ÆLIAN. *lib. 10. Var. hiſt. c. 10. p. 504.*

Insulsissima quid puella rides?
Non me Praxiteles Scopasque fecit,
Nec sum Pheidiaca manu politus:
Sed lignum rude villicus dolauit,
Et dixit mihi: TV PRIAPVS ESTO.

Quum igitur pingendi sculpendique ars sæculis his barbaris non minus, ac olim nascentibus illis, rudis esset & impolita, eandem rationem miseri artifices sibi putarunt ineundam, vt, quid velint, possit intelligi. Inde inscriptiones enatæ sunt, quas explicandorum corporum caussa adiecere. Sic ecclesiarum sigillis, vbi plerumque Sanctorum imagines conspiciuntur, nomina fere sanctorum addita obseruabis. In sigillo Ecclesiæ S. Crucis Hildesheimensis ordinaria perigraphe ita concepta est: S. ECCLIE SCE CRVCIS IN HILDENSHEM. In ipso vero orbe adparet Crux Domini cum titulo, cuius ex altera parte S. Petrus cum claue, ex altera S. Paulus cum gladio conspiciuntur. Vt vero Sanctos agnoseas, additæ inscriptiones: S. PETRVS. S. PAVLVS. Sigillum Ecclesiæ S. Bonifacii Halberstadensis hanc habet perigraphen: ✠. SIGILL. CAPITLI ECC----SCI BONIFATII I HALBERSTAT. In ipso vero orbe S. Bonifacius episcopali habitu indutus conspicitur, dextra pedum episcopale, sinistra palmam, martyrii symbolum, tenens, medium vero corpus transit fascia cum titulo: SCVS BONIFATIVS. Eiusdem generis est sigillum ecclesiæ S. Mauritii Halberstadensis, supra a nobis laudatum: (a) Nam & in hoc per medium Sancti corpus transit fascia in semicirculi modum flexa, literisque notata, sed quæ in meo sigillo ob antiquitatem vix amplius possunt legi. Nomen tamen S. Mauritii eas habuisse, vix dubitandum puto. Sed omnium elegantissimum, satisque bene conseruatum est sigillum Ecclesiæ S. Ægidii Brunsuicensis, (*) quatuor diuersis inscriptionibus præter perigraphen exornatum. In eo ordinaria perigraphe ita se habet: ✠ SIGILLVM ECCLIE S. EG---BRVNESWICH. Præter hanc in orbe quatuor aliæ apparent inscriptiones, satis quidem minutis, nec obscuris tamen litteris, conceptæ. In medio enim se sistit coram altari S. Ægidius missificantis habitu & supra caput adscriptum: S. EGIDIVS. Huius ad genua prouolutus adparet Carolus Martellus, quem sequuntur bini monachi. Turri a tergo positæ adscriptum: KAROLVS REX, sub Caroli manibus ad orationem compositis: AVE MARIA. Supra altare denique angelus aduolans manu protendit schedam satis longam cui inscriptum: DIMISSVM PECCATVM. Sed huius sigilli, quod mihi quantiuis pretii videtur, explicationem in altera huius opusculi parte dabimus. Omitto hic etiam sigillum ecclesiæ Montis S. Petri Goslarienſis, quod ob inscriptionem in orbe conspicuam, etiam huc pertinet, quum eius explicationem iam in Antiquitatibus meis Goslarienſibus (b) dederim. Id tantum est obseruatione dignum, quod in Episcoporum sigillis etiam libri, quos Episcopi sinistra tenent, inscriptione nonnunquam notati inueniantur. Vt enim præteream sigillum ciuitatis Fuldensis a Browero & Sagittario delineatum, sunt mihi sigilla Engelberti Colonienſis & Ottonis Hildesienſis Episcoporum, quorum illud litteris Henrici VII Regis anno M CCXXV, hoc anno MCC LXXV adpensum est, cum sequentibus perigraphis ✠ ENGELBERTVS DEI GRATIA SANCTE COLONIENSIS ECCLIE ARCHIEPISCOPVS, & ✠ OTTONIS DEI GRA. EPI. HILDENSEMENSIS. (**) In medio sedent Engelbertus & Otto Episcopi, pontificalibus induti, dextra pedum episcopale, sinistra librum tenentes euolutum, cuius foliis in utroque sigillo inscriptum: PAX VOBISCVM, hoc modo:





Vt

a) *cap. 7. n. 8.* *) *Tab. XIV. n. 4.* b) HEINECC. *Antiqu. Gosl. lib. 1. ad ann. 1046. p. 46.* **) *Tab. XIII. N. 3. & 4.*

Vt adeo ex titulis his quiuis intelligat, librum ſacras precationes continentem exprimere voluiſſe male curioſos artifices, qua de re infra parte poſteriore plura.

SIGILLA INSCRIPTIONE CARENTIA.

XVII. Denique nec id omittendum videtur, quod non deſint ſigilla, in quibus nulla plane inſcriptio habeatur, cuius generis, (vt vnicum exemplum hic addam,) memorabile eſt ſigillum Meinhardi Epiſcopi Liuoniæ, in quo ne littera quidem adparet, cuius copiam nobis fecit Dn Richardus von der Hardt, Bibliothecarius Suecicus, cuius amicitia ac ſermonibus coram frui nuper licuit.

CONCLVSIO CAPITIS.

XVIII. Plura forte liceret hic diſſerere de iis, quæ non minus, ac illa, quæ iam obſeruauimus, ſigillorum imagines atque inſcriptiones in vniuerſum ſpectarent, veluti de variis ædicularum, quibus Sancti inſiſtunt, formis, de ſigillorum in varias areas deſcriptionibus, de floribus ac reticulis, quibus orbes ſigillorum nonnunquam exornantur, de verſibus leoninis, dictis biblicis & ſymbolis, quæ nonnunquam ſigillis inſcripta ſunt, aliisque huius generis, niſi verendum mihi eſſet, ne ad minutiora hæc deſcendens *μικρολογίας* vitium incurram. Omittere igitur hæc malo, aut potius ad ſequentia capita referre, vbi nonnulla de his rebus occaſione data ſparſim adnotare licebit.

CAPVT NONVM.

DE IMAGINIBVS ET INSCRIPTIONIBVS, QVÆ IN CÆSARVM REGVMQVE ROMANORVM VT ET IMPERATRICVM SIGILLIS OCCVRRVNT.

I. Iam de ſigillis Impp. agendum.

II. Sigilla Impp. Veterum.
Iulii Caſaris. Auguſti. Succeſſorum. Neronis. Galbæ. Commodi.

III. Sigilla Imperatorum recentiorum quid exhibeant?

IV. Sigilla Maieſtatis qualia?

V. Sigilla ſecreta.

VI. Quid in ſigillis ſecretis exhibeatur?

VII. Hoc diſcrimen quando cœperit obſeruari?

VIII. Bullarum aurearum plumbearumque characteres.

IX. Sigilla Caroli M.

X. 1) Osnabrugenſe.

XI. 2) Tria Mabilloniana.

XII. 3) Sanmaximinianum Treuerenſe.

XIII. 4) Bulla Domini le Blanc.

XIV. Characteres ſigillorum Carolinorum.

XV. Formula XPE *protege.*

XVI. Quænam Caroli ſigilla ſint genuina?
An Carolus barbam aluerit? Sigilla, quæ Carolum barbatum exhibent, ſunt genuina, ceteris paribus.

XVII. Quid de ſigillo Sanmaximiniano ſentiendum?

XVIII. Sigilla Hludouici Pii.
1) Paderbornenſe. 2) Baluzianum. 3) Duo Mabilloniana. 4) Corbeienſe. 5) Lindauienſe.

XIX. 6) Lindenbrogianum. 7) Bulla aurea Mabilloniana. 8) Sigillum Zylleſianum.

XX. Characteres ſigillorum Ludouici Pii.

XXI. Sceptrum triumphale & conſulare in ſigillis.

XXII. Globus cruciger.

XXIII. Sigilla Lotharii I. Imp.
Aliudque Lotharii Regis.

XXIV. Sigilla Ludouici Germanici.
1) Conringianum. 2) Conringianum.

XXV. Characteres ſigillorum Ludouici Germ.

XXVI. Sigilla Caroli Calui.
1) Baluziana. 2) Mabilloniana.

XXVII. Sigilla Caroli Craſſi.

XXIIX. Sigillum Arnolfi *Corbeienſe.*

XXIX. Sigillum Conradi I. *Corbeienſe.*

XXX. Sigillum Henrici Aucupis *Corbeienſe.*

XXXI. Quid ſibi velit clypeus & vmbella?

XXXII. Sigilla Ottonis M. *1) Sagittarii. 2) Zylleſii. 3) Corbeienſe. 4) aliud ineditum. Cum binis diplomatibus. 5) Zylleſianum Ottonis iam Imperatoris.*

XXXIII. Ottonis II. *ſigilla.*

XXXIV. Ottonis III. *ſigilla. 1) Knautianum.*

XXXV. Corona in illo obuia.

XXXVI. 2) Aureum Mabillonianum.
3) Plumbeum Io. de Amelio.
4) Plumbeum Mabillonianum.

XXXVII. Quid ſibi velit in Impp. Sigillis Aurea Roma?

obſeruat. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

XXXIIX. Henrici II. *sigilla.*
1) Corbeiense. 2) Zyllesianum. Cum diplomate Henrici II.
XXXIX. Sigilla Conradi Saliqui.
1) Maderianum. 2) Tenzelianum.
Quid sibi velit flos in sinistra Regis?
Non florem, sed sceptrum notat. Gestamen dextræ non sceptrum sed baculus est.
Baculus regalis qualis?
XL. 3) Knautianum plumbeum.
XLI. Sigilla Henrici III.
1) Vltraiectense aureum. 2) Treuerense. 3) Maderianum. 4) Tenzelianum. 5) Secretum Henrici III.
XLII. Sigilla Henrici IV.
1) Knautianum. 2) Zyllesianum. 3) Aliud ineditum.
XLIII. 4) Bulla Bruschiana.
XLIV. Sigilla Henrici V. *1) Grauhoffiana. 2) Zyllesianum.*
XLV. Sigilla Lotharii II.
1) Meibomianum. 2) Richenbergense.
XLVI. Quæstiones nonnullæ historicæ.
1) Cur Lotharius se vocet Regem III? Cur Imperatorem III?
XLVII. 2) Quid sibi velint globi e corona pendentes?
Excursus de tintinnabulis vestibus olim potentum appensis.
XLIIX. Sigilla Conradi III.
1) Knautianum. 2) Goslariense ineditum.
XLIX. Cur Conradus III se vocet secundum?
L. Sigilla Friderici I.
1) Bulla aurea Mabilloniana.
2) Cereum Lehmannianum.
3) Zyllesianum.
4) Alia duo inedita.
LI. Monogrammata in sigillis & numis apparent.
LII. Sigilla Philippi & Ottonis IV.
LIII. Quæstiones nonnullæ mouentur.
1) Cur Otto IV loco sceptri vtatur Cruce?
LIV. 2) Quid sibi velint sol & luna in hoc sigillo?
LV. 3) Quis Imperatorum se primus vocarit semper Augustum?
LVI. Sigilla Friderici II.
1) Kirchmannianum aureum.
2) Mabillonianum aureum.
3) Gelenianum cereum.
4) Weckianum. 5) Aliud ineditum.
LVII. Sigilla sequentium Imperatorum.
LIIX. Bina Henrici VII.
LIX. Conradi IV *sigillum.*
LX. Wilhelmi *Cæs. sigillum.*
LXI. Rudolphi *Habspurgici sigillum.*
LXII. Heinrici VII. *sigillum.*
LXIII. Ludouici IV. *1) Bulla aurea Kirchmanniana.*
2) Cereum Leibnitianum sigillum.
3) Aliud a pontifice descriptum.
LXIV. Caroli IV. *sigilla.*
1) Bulla aurea.
2) Cereum ineditum.
LXV. Sigismundi *sigilla.*
LXVI. Friderici IV. *sigilla.*
LXVII. Quæstiones nonnullæ.
LXIIX. 1) Quid sibi velint versiculi: Aquila Ezechielis sponsæ missa &c.
LXIX. 2) Quid litteræ A. E. I. O. V. in Fridericianis sigillis notent?
LXX. 3) Quando demum apud Germanos inualuerit aquila biceps?
LXXI. De sigillis Orientalium Impp.
LXXII. Balduini *Comitis Flandriæ Imp. Orient. aurea bulla.*
LXXIII. Bulla ænea Alexandri.
LXXIV. Sigilla Augustarum Reginarumque.

I.

IAM DE SIGILLIS IMPP. AGENDVM.

ELuctati demum ea, quæ sigillorum naturam in vniuersum spectant, soluentes a littore, liberiore iam cursu ipsum veluti mare ingrediamur, quid singulorum ordinum homines sigillis insculpere soliti sint, consideraturi. Merito igitur primas hic sibi partes deposcunt Romanorum Imperatores, & Reges Germaniæ, sed non nisi illi, qui medio æuo floruerunt: Ceteri enim, (ne promissi toties facti videamur immemores,) nobis tantum per transennam erunt spectandi.

SIGILLA IMPERATORVM VETERVM.

II. Poterant quidem plane sicco præteriri pede, nisi Lectoris referre putassem, vt quantum inter veteris mediique æui Cæsarum sigilla intersit, ex vtrorumque collatione cognoscat paullo accuratius. De *Iulii Cæsaris* annulo hæc obseruat Dio Cassius: (a) τό, τε ὅλον τῆς Ἀφροδίτης πᾶς ἀνέκειτο· καὶ πείθειν πάντας ἤθελεν, ὅτι καὶ ἄνθος τι ὥρας ἀπ' αὐτῆς ἔχει, καὶ διὰ τοῦτο καὶ ΤΟ ΓΛΥΜΜΑ ΑΥΤΗΣ ΕΝΟΠΛΟΝ ΕΦΟΡΕΙ, καὶ σύνθημα αὐτὴν ἐν τοῖς πλείοσις καὶ μεγίσοις ἐποιεῖτο. *Omnino vero Venerem totus colebat, a qua se etiam formæ quandam venustatem habere*

IVLII CÆSARIS.

a) DIO CASS. *lib. 43. p. 235. Hist. Rom.*

bere, perſuadere omnibus nitebatur. Igitur VENEREM ARMATAM ANVLO INSCVLPTAM GESTABAT, eaque teſſera in rebus ſummis plerumque vtebatur. Imagine igitur Veneris armatæ ſignauit Cæſar, ad quam fabuloſam referebat originem. AVGVSTI. Aliam rationem iniit *Cæſar Auguſtus*, qui quemadmodum pacis bellique artibus tota republica primus ſub principis nomine eſt potitus, ita & ſigillo vſus eſt tanta maieſtate digno. Quum enim initio imperii Sphingis imagine vteretur, poſtea mutato conſilio Alexandrum M. anulo inſculpſit, ac denique eodem pæne modo, quo deinceps Franci Germanique Reges, ſua ipſius imagine ſignauit. Teſtatur id his verbis Plinius: (a) *Duas SPHINGES Auguſtus in matris ANVLIS iam indiſcretæ ſimilitudinis inuenerat. Altera per bella ciuilia abſente eo, amici ſignauere epiſtolas & edicta, quæ ratio temporum nomine eius reddi poſtulabat, non inſiceto lepore accipientium: ænigmata afferre eam SPHINGEM. Sed Auguſtus poſtea ad evitanda convicia* SPHINGIS, ALEXANDRI M. IMAGINE SIGNAVIT. Suetonius (b) quoque: *In diplomatibus*, inquit, *libellisque & epiſtolis ſignandis initio SPHINGE vſus eſt: mox IMAGINE ALEXANDRI; nouiſſime ſua, Dioſcoridis manu ſculpta, qua ſignare inſequuti quoque Principes perſeuerauerunt.* Denique Dio Caſſius: (c) Διπλῆν γὰρ δὴ ΣΦΡΑΓΙΔΑ, ᾗ μάλιστα τότε ἐχρῆτο, ἐπεποίητο ΣΦΙΓΓΑ ἐν ἑκατέρᾳ ὅμοιαν ἐκτυπώσας· ὕστερον γὰρ τὴν εἰκόνα τὴν ἑαυτοῦ ἐγγλύψας, ἐκείνη τὰ πάντα ἐσημαίνετο, καὶ αὐτῇ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορες, πλὴν Γάλβᾳ ἐχρήσαντο, ἔτος γὰρ προγονικῷ τινὶ σφραγίσματι, κύνα ἐκ πρῴρας νεὼς προκύπτουσαν ἔχοντι, ἐνόμισεν. *SIGILLVM enim, quo tum maxime vtebatur, duplex parauerat, SPHINGE in vtroque ſimili inſculpta, (nam ſerius incepit ſuam imaginem in eo incidere, ac ea litteras obſignare, quod omnes deinceps Imperatores imitati ſunt, excepto Galba, qui canem ex prora nauis proſpectantem, ſignum a maioribus ſuis acceptum vſurpauit.)* Hæc Dio, ex quo & hoc diſcimus, quod ſequentes etiam Imperatores, vt nomen, ita & imaginem Auguſti in ſigillis retinuerint, ac tanquam certum imperii pignus perpetuo vſu voluerint conſecratum. SVCCESSORVM. Nec tamen conſtans ea fuit Cæſarum conſuetudo. Iam enim *Neronem*, vt moribus ita NERONIS. & ſigilli cælatura ab anteceſſoribus diſceſſiſſe, ex cacheto parabolicæ figuræ colligo, quod producit Gvillaume du Choul (d) ſub titulo: *Cachet de Nero retire de la graueure antique*, (*) dummodo illud genuinum habendum ſit. Siſtunt ſe in illo Apollo & Marſyas, ille lyra inſtructus, hic cauda ſuilla horridus, arboriqve ferali alligatus, e qua tibiæ dependent. Media inter hos genu dextro innititur figura pueri, quem ego Olympum, diſcipulum Marſyæ, eſſe conjicio, manus verſus Apollinem extendens, ac veluti magiſtri ſupplicium deprecatus. Titulus adſcriptus ita ſe habet: NERO. CLAVDIVS. CÆSAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. *Pontifex* MAX*imus* TR*ibunus Plebis* IMP*erator* P*ater* P*atriæ*. Totam fabulam his verbis deſcribit Apollodorus: (e) Μαρσύας γὰρ εὑρὼν αὐλούς, οὓς ἔῤῥιψεν Ἀθηνᾶ, διὰ τὸ τὴν ὄψιν αὐτῆς ποιεῖν ἄμορφον, ἦλθεν εἰς ἔριν περὶ μουσικῆς Ἀπόλλωνι· συνθεμένων δὲ αὐτῶν, ἵνα ὁ νικήσας, ὃ βούλεται διαθῇ τὸν ἡττημένον, τῆς κρίσεως γινομένης, τὴν κιθάραν στρέψας, ἡγονίζετο ὁ Ἀπόλλων, καὶ ποιεῖν ἐκέλευσε τὸν Μαρσύαν. τοῦ δὲ ἀδυνατοῦντος, εὑρεθεὶς κρείσσων ὁ Ἀπόλλων, κρεμάσας τὸν Μαρσύαν, ἔκτινος ὑπερτενοῦς πίτυος, ἐκτεμὼν τὸ δέρμα, ὅτως διέφθειρεν. *Marſyas enim quum tibias inueniſſet, quas Minerua, quod informem vultum efficerent, abiecit, Apollinem de muſica prouocare non dubitauit: Hoc de compacto in certamen deſcendunt, vt victor arbitratu ſuo deuictum afficiat. Inito igitur certamine, conuerſa cithara certabat Apollo, idemque ut Marſyas faceret, imperauit: quod quum ille tibiis nequiret, Apollo præſtantior eſt inuentus. Quare ſuſpenſum Marſyam e proximæ ac patulæ pini ramo, detracta pelle, ita confecit.* Quocum facit Iulius Hyginus: (f) *Minerua tibias dicitur prima ex oſſe ceruino feciſſe, & ad epulum Deorum cantatum veniſſe. Iuno & Venus quum eam irriderent, quod & cæſia erat, & buccas inflaret, fœda viſa, & in cantu irriſa, in Idam ſyluam ad fontem venit: Ibique cantans, in aqua ſe aſpexit, & vidit ſe merito irriſam: vnde tibias ibi abiecit, & imprecata eſt, vt quisquis eas ſuſtuliſſet, graui afficeretur ſupplicio, quas Marſyas, Oeagri filius, paſtor inuenit, quibus aſſidue commeletando ſonum ſuauiorem indies faciebat, adeo ut Apollinem ad citharæ cantum in certamen prouocaret: quo ut Apollo venit, Muſas iudices ſumſerunt, & cum iam Marſyas inde victor diſcederet, Apollo citharam verſabat, idemque ſonus erat: quod Marſya tibiis facere non potuit. Itaque Apollo victum Marſyan ad arborem religatum, Scythæ tradidit, qui eum membratim ſeparauit, reliquum*

a) PLIN. *lib. 37. cap. 1. Hiſt. Nat.* b) SVETON. *cap. 50. Aug.* c) DIO CASS. *lib 51. p. 444. Hiſt. Rom.* d) DV CHOVL *dans le diſcours de la religion des anciens Romains p. 213.* *) *Tab. 1. N. 12.* e) APOLLODOR. *lib. 1. biblioth. p. 10. n. 10. ſeqq.* f) JVL. HYGIN. *cap. 165. fab. p. 98.*

corpus discipulo Olympo sepulturæ tradidit, e cuius sanguine flumen Marsya est appellatum. Breuius Ouidius:

Prouocat & Phœbum, Phœbo superante, pependit
Cæsa recesserunt a cute membra suâ.

Non vacat ob prolixitatem verba etiam Fulgentii (a) afferre; placet ergo ex eo rationem tantum audire, cur Marsyas in cacheto nostro cum cauda porcina fingatur? *Marsyas enim Græce, quasi μωρὸς ὗος, id est,* stultus solus, *qui in arte Musica tibiam proponere voluit citharæ: vnde & cum porcina pingitur cauda.* Quamobrem vero Nero hanc fabulam cacheto isti insculpi iusserit, facile liquet. Citharæ enim amantiorem fuisse, eaque alios superare magni habuisse, docet Tacitus: (b) *Postremo ipse scenam inscendit, multa cura tentans citharam & præmeditans, assistentibus familiaribus.* Clarius Suetonius: (c) *Inter ceteras disciplinas pueritiæ tempore imbutus & musica, statim vt imperium adeptus est, Terpnum citharœdum vigentem tunc præter alios, accersiit: diebusque continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens paullatim & ipse meditari exercerique cœpit.* Dionis epitomator Xiphilinus: (d) *In theatrum prodiit, stetitque Cæsar in scena habitu citharœdi.* Nec ipse tantum canendo se exercuit, verum etiam alios, qui tum perfectissimi in hac arte ac veluti Roscii habebantur, certando superare instituit, tam felici industria, vt in omni genere coronas, victoriæ testes, arbitrorum iudicio reportaret. (e) Quibus victoriis quantum sibi placuerit, vel id argumento est, quod & Apollinis nomen ceteris titulis adscripserit (f) & Citharœdi habitu *prodierit in publicum*, statuasque sibi fieri passus sit. Hinc iterum Suetonius: (g) *Item statuas citharœdico habitu, qua nota etiam numum percussit.* Binos eiusmodi numos Neronis profert Carolus Patinus, (h) quorum alterum saltem describo. Antica facies sistit Neronem stantem, Apollinis habitu & citharœdi cum inscriptione: NEPONI ΑΠΟΛΛΩΝΙ. Postica Victoriam cum palma & corona hocque titulo: NEPΩNOC. (*) Quid mirum igitur, si Nero tantus citharæ amator, tantumque victoriæ cupidus, fabulam Marsyæ & Apollinis cacheto circumtulit? An vero eo etiam signarit,

GALBÆ. alii videant. Post Neronem etiam *Galbam* gentilitio sigillo contentum fuisse, Dio refert. Sed & alii deinde Imperatores annulos suo arbitrio mutarunt. Exstat enim apud Iulium Capitoli-

COMMODI. num (i) *Commodi* Imperatoris epistola ad Clodium Albinum exarata, in qua Imperator Amazoniæ imagine se signasse scribit: *Quin & super hæc ad Procuratores meos literas misi, quas ipse signatas excipies SIGNO AMAZONIÆ.* Tantopere in sigillis antiquissimorum Cæsarum variatum est, ut non videatur operæ pretium, ista hic cum medii ævi sigillis contendere prolixius, quum nihil fere habeant his simile, solum si excipias anulum Augusti sua ipsius imagine signatum.

SIGILLA IMPERATORVM RECENTIORVM QVID EXHIBEANT? III. Etenim quum antiqui Romani Imperatores, quamdiu a sacro Christi cultu abhorrebant, plerumque sculpturis ex mythologia gentili petitis vterentur, recentiores Imperatores Christianos se esse meminerunt, nihilque insculpsere sigillis, quod puriori religioni repugnaret. Horum igitur sigilla spectaturi, in antecessum obseruamus, imagines æque ac inscriptiones illorum non magis eiusdem esse generis, quam ipsa sigilla. Quemadmodum enim alia sunt maiora, siue sigilla maiestatis, alia minora, siue secreta, alia porro aurea, alia plumbea, alia cerea: ita & imagines ac inscriptiones aliæ in maioribus, aliæ in minoribus, aliæ in bullis aureis, aliæ in plumbeis adparent. Ne igitur illotis manibus ad hanc videamus tractationem accedere, de singulis quædam monenda videntur.

SIGILLA MAIESTATIS QVALIA? IV. Agmen ducant sigilla Imperatorum maxima, quorum communis in diplomatibus publicis vsus est. Ea vocaui *sigilla Maiestatis*, ipsorum Imperatorum auctoritate innixus, siquidem Friderici IV sigillum maximi moduli hanc præfert perigraphen: SIGILLVM MAIESTAT. FRIDERICI DEI GRA ROMANORV IMPERATORIS SEMPER AVGVSTI DVCIS AVSTRIE STIRIE KARINTHIE ET CARNIOLE COMITISQVE TIROLIS. ETC. Sed & in calce diplomatum subinde *sigillorum Maiestatis* adparet fieri mentionem. Fridericus II in diplomate, quod recenset Petrus Lambecius, (k) ita loquitur: *Ad huius itaque confirmationis memoriam & stabilem firmitatem præsens scriptum fieri iussimus, MAIESTATIS NOSTRÆ*

a) FULGENT. *lib. 3. Mythol. p. 215.* b) TACIT. *lib. 14. Annal.* c) SVETON. *cap. 20. Neron.* d) XIPHILIN *cap. 12.* e) SVET. *cap. 23. Neron.* f) XIPHILIN. *l. c.* g) SVETON. *c. 25. l. c.* h) PATIN. *p. 118. numism. Impp.* *) *Tab. I. n. 3.* i) IVL. CAPITOL. *cap. 2. Vit.* CLODII ALBINI *p. 308.* k) LAMBEC. *Orig. Hamb. p. 29. edit. nov.*

NOSTRÆ SIGILLO communitum. Wilhelmus in diplomate ecclesiæ Montis S. Petri Gosl. conceſſo anno M. CC. L. *Vt autem hæc conceſſio & confirmatio noſtra firma & inconuulſa permaneat, - - - præſens priuilegium exinde conſcribi, & SIGILLO MAIESTATIS NOSTRÆ iuſſimus communiri.* Rudolphus I: (a) *In cuius rei teſtimonium præſens ſcriptum MAIESTATIS NOSTRÆ SIGILLO fecimus communiri.* Eandem formulam ſæpius repetunt Adolfus, (b) Albertus I, (c) Carolus IV, Sigismundus & Fridericus IV. Nec modo ſigillum Maieſtatis, ſed & *Maieſtas* abſolute nominatum eſt maius hoc Imperatorum ſigillum, id quod præcipue docet Marquardus Freherus. (d) Cui nos addimus locum ex Rudolphi I diplomate anno M CC LXXVI eccleſiæ SS. Simonis & Iudæ Goslarienſi conceſſo depromptum, in quo etiam *Maieſtas* pro *ſigillo maieſtatis* vſurpatur: *Quam traditionem ne ab vllo futurorum Imperatorum vel Regum irritetur, vel aliquo hominum infringatur, præſens ſcriptum impreſſione NOSTRÆ MAIESTATIS & regalis banni auctoritate iuſſimus inſigniri.* Nomen hoc *Maieſtatis* ideo inditum videtur ſigillis Imperatorum maioribus, quoniam plerumque præferunt Imperatores coronatos, in throno ſedentes, ſceptrumque & globum imperialem tenentes, hoc eſt ad ſummam maieſtatem compoſitos. Vnde Conradus III Imperator in diplomate Bremenſi eccleſiæ conceſſo, (e) licet Maieſtatis vocem non vſurpet, imaginis tamen ſuæ in ſigillo expreſſæ facit mentionem his verbis: *Et ut hæc ab omnibus ſic diſpoſita & conſtituta eſſe noſcantur, præſentis ſcripti paginam fieri & NOSTRÆ IMAGINIS ſigno roborari mandauimus.* Iam vero conſtat, medio æuo omnes imagines, quæ ſacræ quidquam maieſtatis præ ſe ferebant, *Maieſtates* eſſe appellatas. (f) Qua de re ſolum hic recitare iuuat locum, quem ex anonymo Auctore de miraculis S. Fidis (g) profert Carolus du Freſne: (h) *Erat diſtributa Sanctorum acies in tentoriis & papilionibus in prato S. Felicis, quod diſparatur ab vrbe quaſi vno milliario.* (loquitur de capſis & imaginibus Sanctorum) *Hunc locum præcipue S. Marii aurea MAIESTAS, & S. Amantii æque aurea MAIESTAS & S. Saturnini Martyris aurea capſa & S. Mariæ aurea imago & S. Crucis aurea crux & S. Fidis aurea MAIESTAS decorabant.* Quemadmodum igitur Sanctorum imagines ad ἀποθεώσεως habitum compoſitæ, nimbisque & radiis exornatæ, Maieſtatum nomen adeptæ ſunt, ita idem nomen ad Imperatorum quoque imagines in ſigillis expreſſas translatum eſt, partim quod earum habitus ſummam maieſtatem ac veluti ſacri quidquam adferret, partim quod hic titulus iam tum iis eſſet proprius; donec tandem ipſa hæc ſigilla maieſtates, & diplomata, quibus iſta ſigilla appendebantur, *litteræ maieſtaticæ* (Majeſtäts-Briefe) vocarentur. Nec putandum tamen eſt, ſigilla Maieſtatis ita propria Imperatoribus Regibusque fuiſſe, vt non & principes eorum vſum ſibi vindicauerint. Hos enim non minus, quam Imperatores ſua ſigilla maieſtatis habuiſſe, quæ præcipue in rebus feudalibus adhibuere, auctor eſt Antonius Weckius. (i)

SIGILLA SECRETA.

V. Sigilla minora ſecreta vocantur, eo quod ſolis litteris ſecretis ac priuatis imprimerentur, quum contra ſigilla maieſtatis in diplomatibus publicis haberent locum. Quando hoc ſigillorum diſcrimen primum obſeruari cœperit, nondum habeo compertum. Carolingorum ſane Saxonicorumque Cæſarum æuo tam publicæ, quam priuatæ litteræ anulo regio ſignabantur, paucis exceptis, quæ ob ſingulares quasdam rationes aurea plumbeaue bulla firmabantur. De ſigillo ſecreto altum vbique iſto æuo ſilentium eſt. Aſt certius id de Salicæ ſtirpis Imperatoribus conſtat. Henricum enim III præter ſigillum maieſtatis etiam alio ſecreto vſum eſſe, docet Charta Heinrici IV anni MLIX pro eccleſia Niuellenſi, quam recenſet Miræus: (k) In ea enim ita differit Imperator: *Niuialenſis eccleſia Francorum regno finitima per maximas calamitates ſæpe ſuſtinuit: quod pater meus Henricus III Imperator animo indoluit, adeo vt in conſecratione, quam ad adventum ſuum reſeruari iuſſerat, præſentem ſe exhibens,*

 pignora

a) *Priuilegium tribubus Gosl. conceſſ. anno 1290.* b) *Diploma Eccl. SS. Sim. & Iud. anno 1295.* c) *eiusd. Eccleſiæ anno 1298.* d) FREHER. *ad Petr. de Andlo. l. 2. c. 6.* e) LINDENBROG. *Priuil. archieccl. Hamb. n. 45. p. 155.* f) *Notandum eſt*, Maieſtatis nomen *non modo a medii æui ſcriptoribus imaginibus ſacri quidquam præſe ferentibus dari; ſed & antiquis Scriptoribus hanc vocis iſtius ſignificationem non eſſe plane ignotam. Iam enim ſæculo III Tertullianus cap. 13. Apologet. p. 104. Deorum gentilium ſimulacra* maieſtates *vocat his verbis:* Dii vero, qui magis tributarii, magis ſancti; imo qui magis ſancti, magis tributarii: MAIESTAS quæſtuaria efficitur. Circuit cauponas religio mendicans, exigitis mercedem pro ſolo templi, pro aditu ſacri: non licet Deos eſſe gratis: venales ſunt. *Vid. &* CAROL. DV FRESNE *l. c.* g) *Acta* S. FIDIS *cap. 8. tom. 2. bibl. Labbei.* h) DV FRESNE *part. 2. Gloſſ. Lat. p. 351.* i) WECKIUS *Part. 2. Chron. Dresd. tit. 2. part. 173.* k) MIRÆVS *cap. 89. dipl. Belg.*

pignora ſacratiſſima virginis Gertrudis propriis humeris ſanctuario importaret, locumque donis imperialibus exornans, de rebus eiusdem eccleſiæ præceptum faceret, quodque ſpecialis dilectionis indicium eſt, non communi illud ſigillo, ſed SECRETO ſuo ſignaret. Eſt ſane hoc obſeruatione digniſſimum, quod Imperator ſecreti vſum in diplomate publico ſpecialis dilectionis indicium vocat. Interiecto vero tempore tam frequens fuit horum ſigillorum vſus, vt omnibus ſine diſcrimine diplomatibus adderetur, ſiue tergo alterius ſigilli impreſſum, ſive ſolum.

QVID IN SIGILLIS SECRETIS EXHIBEATVR.

VI. Quemadmodum igitur ſigilla maieſtatis Cæſares in throno ſedentes præferebant cum nomine & titulo, ita in ſigillis ſecretis certe ſeculo XIV (de antiquioribus enim non conſtat,) aquila initio vno, poſtea binis capitibus prædita adparet, cum hac perigraphe: IVSTE IVDICATE FILII HOMINVM. (a) Iam ab Henrico VI vſurpatam eſſe hanc inſcriptionem, teſtis αὐτόπλης eſt Caſtoldus. (b) Quam deinde frequenter in contraſigillis poſitam inuenimus, tum Caroli IV Imperatoris, quæ ipſe poſſideo, tum aliorum huius ævi Imperatorum. Nec tamen eadem omnibus Imperatoribus ſigillorum ſecretorum ratio placuit. Fuerunt enim, qui aquilam alia inſcriptione exornarent; fuerunt, qui ſymbolum ſuum adderent. Fridericus IV & Maximilianus I plerumque anulum octangulum, (un cachet Gallica voce vocant,) maiori ſigillo impreſſum præter ſecretum habuerunt, cui modo inſculpta apparent tria ſcutula vel ſine inſcriptione, vel cum ſymbolo: A.E.I.O.V., modo caput coronatum cum lemmate: REX FRIDERIC. modo quatuor facies humanæ in vnum caput contractæ. Quæ omnia Lector curioſus ex ipſis ſigillorum iconibus, a Bœclero exhibitis, accuratius cognoſcet.

HOC DISCRIMEN QVANDO COEPERIT OBSERVARI.

VII. Obſeruandum vero eſt, hoc ſigillorum diſcrimen non eſſe antiquiſſimum. Sane enim Carolus M. Ludouicus Pius, Lotharius, Ludouicus Senior, Carolus Craſſus, Arnolfus, Conradus I, Henricus I & Ottones non niſi anulis ſignarunt, in quibus longe alia, quam in ſigillis maieſtatis figurarum ratio eſt. Priores enim Imperatores & Reges minori cuidam areæ ouali vix quidquam aliud præter caput laureatum aut protomen ſuam inſculpſere, Carolus Craſſus rotundam figuram elegit clypeumque & vexillum addidit, quem & Arnolfus eſt imitatus. Conradus ſuperiorem quidem corporis partem ſigillo incidi curauit, *ſed nec ſceptri, nec globi imperialis, nec coronæ in eius ſigillis veſtigium adparet. Dextra enim vexillum, ſiniſtra vmbellam ſiue clypeum tenet, cuius generis etiam ſunt ſigilla Henrici I & Ottonis I. Otto II & Otto III nec ipſi toti adparent in ſigillis, ſchema tamen ad maieſtatem magis,* quam antea, eſt compoſitum, nam & coronatos ſe ſiſtunt Imperatores, & dextra baculum regalem, ſiniſtra globum geſtant. Tamen quum nec hi quidem throno inſideant, quod maxime videtur maieſtatis nomen his ſigillis feciſſe, eorum quoque ſigilla non eſt, quod in claſſem hanc referamus. Primus ergo hoc nouum ſigillorum genus excogitauit Henricus Sanctus ſiue II, qui primus coronatus inſidet throno, dextraque baculum, ſiniſtra globum geſtat. Cui quid perſuaſerit, vt antiquam ſigillorum figuram mutaret, nouamque hanc excogitaret, poſteris omnibus mira conſtantia diutiſſime retentam, nondum potui diuinare.

BVLLARVM AVREARVM PLVMBEARVMQVE CHARACTERES.

VIII. Bullæ etiam aureæ Imperatorum plerumque ſunt a ceteris eorum ſigillis diuerſæ. Communis quidem earum typus eſt is, qui in antica exhibet Imperatorem, throno inſidentem, cum nomine & titulo; in poſtica arcem, cuius portæ inſcriptum: AVREA ROMA, cum perigraphe: ROMA CAPVT MUNDI REGIT ORBIS FRENA ROTVNDI. Sed antiquiores ſæpe aliter ſe habent, multumque diſcrepant a recentiorum formæ. At omnium maxime variant bullæ plumbeæ, quarum hic formas prolixe non deſcribemus, reſeruaturi id ſequentibus paragraphis, vbi pleniorem ſigillorum Cæſareorum inſtituemus recenſum. Hic vero in vniuerſum obſeruari neceſſe putamus, *omnes bullas aureas æque ac plumbeas plerumque ad veterum numiſmatum formam eſſe compoſitas: magnamque ab his trahere ſimilitudinem, præcipue in inſcriptionibus, quæ numorum quam ſigillorum cereorum perigraphis adparent ſimiliores.*

SIGILLA CAROLI M.

IX. Ordimur iam a Carolo M. qui primus Romani imperii maieſtatem dignitatemque auguſtam genti ſuæ intulit. Huius igitur varia exſtant ſigilla, quæ tamen quum a ſe inuicem multum diſcrepantia inueniantur, vt quædam ex illis genuina ſint, fieri fortaſſe poteſt; vt omnia, fieri nunquam poteſt. Vnum cum diplomate Osnabrugenſi profert illuſtris Monumento-

a) KIRCHNER. *de offic. Cancell. l. 4. c. 2. n. 64.* b) CASTOLD. *de Imper. quæſt. 89. n. 6.*

mentorum Paderbornenſium auctor. (a) Tria alia adddidit Mabillonius. (b) Aliud ex diplomate S. Maximini Treuerenſis delineatum exhibent Zylleſius. (c) Papebrochius (d) & Petrus Lambecius. (e) Denique plumbeum ſigillum eiusdem Caroli dedit Dn. le Blanc, (f) quod iam ſupra deſcripſimus. Hæc ſunt ſigilla Caroli, quæ quidem exſtant. Sed quum ob inſignem diſcrepantiam non omnia poſſint eſſe genuina, paullo accuratius de iis erit agendum. Eum vero ſeruabimus ordinem, vt primo ſingula deſcribamus, deinde Carolinorum ſigillorum ideam ex illis eliciamus, ac demum, quænam maxime videantur genuina, diſpiciamus.

I. OSNABRVGENSE.

X. Osnabrugenſe igitur ſigillum (*) ouale eſt, ceræ candidæ impreſſum, ita vt limbus non minimus annuli peripheriam ambiat. In eo exhibetur Caroli protome cum ad maieſtatem, tum ad humanitatem compoſita, capilli breues & aures & ceruicem nudas deſtituunt, barba non modica os æque ac mentum decenter veſtit, ac per mandibulum quoque explicatur. Collum nudum, veſtimentorum pars togam potius quam ſagum refert. In capite nec laureæ, nec gemmeæ coronæ, nec diadematis adparent veſtigia. Ipſa imago ad ſiniſtram conuerſa. Inſcriptio denique hac formula abſoluitur: XPE. PROTEGE. KAROLVM. IMPERATOREM. Cetera ex delineatione huius ſigilli, quam damus, rectius cognoſci poterunt.

II. TRIA MABILLONIANA.

XI. Non multum ab hoc differunt tria Mabilloniana. Nam & in his Caroli facies barba modica circa labia ac genas decenter exornatur. *Primum* (**) adpictum quidem eſt diplomati Sangermanenſi, e diplomate tamen Sandionyſiano petitum. (g) Siſtit hoc Caroli vultum decora barba exornatum, cum inſcriptione: ✝.XPE PROTEGE CAROLVM REGE FRANCOR. *Secundum*, (***) primo illi in omnibus ſimile, innexum eſt diplomati, dato *in menſe Octob. anno XIIII & VIII regni. Actum Hariſtallio, Pallatio publico, in Dei nomine feliciter Amen.* (h) *Tertium* (***) petitum eſt e diplomate Corbeienſi in Saxonia, quod Mabillonio ſubmiſit Adolfus Ouerhamus. *Datum hoc eſt VII Idus Maii anno Chriſti propitio Imperii Carolini XIII. Regni in Francia XLV. atque in Italia XXXIX. Indict. VI. Actum Aquisgrani Palatio regio in Dei nomine feliciter amen.* (i) De ſigillo hoc ita Mabillonius: *Hoc vero ſpecimen, cuius integrum exemplum damus, in lib. 6. ex autographo Corbeiæ Saxonicæ noſter Adolfus Ouerhamus mihi transmiſit cum ſigillo picto, quale hic repræſentamus.* (†) Quoniam vero & mihi ſumma celſiſſimi ac reuerendiſſimi Principis ac Domini, Dn. FLORENTII, ſemper liberæ ac Imperialis Corbeiæ Præſulis gratia ſigillum hoc cum aliis intueri licuit, conſultum credidi, illud denuo delineandum curare, inprimis quum & litterarum ductus, qui plane deſunt in Mabilloniano ſpecimine, haut obſcuris indiciis deprehenderim. Qui ita ſe habent: XPE PROTEGE KAROLVM IMPERATOREM.

III. SANMAXIMINIANVM TREVERENSE.

XII. At magis ab his omnibus differt Sanmaximinianum Treuerenſe, ſiquidem & rotundum eſt & Caroli vultus in eo exhibetur amabilis, maieſtatis plenus & propter raſam ad cutem barbam propemodum iuuenilis (††) Limbus non eiusdem cum Paderbornenſi & Corbeienſi, non multum tamen minoris craſſitiei adparet. Sed inſcriptio quantum a ceteris differt? Solæ quidem ſuperſunt literæ K---S---ſed quia K ſtatim ſupra caput Imperatoris inuenitur, & inſuper S perſpicue adparet, nemo inde eliciet perigraphen: XPE PROTEGE KAROLVM IMPERATOREM, quæ tamen in omnibus aliis Carolinis ſigillis occurrit. Sed ex ſpatio colligo, hæc tantum fuiſſe inſcripta: KAROLVS REX.

IV. BVLLA DOMINI LE BLANC.

XIII. Denique ſingulare plane eſt plumbeum Domini le Blanc. (k) Nam illud altera parte præfert protomen Caroli, barba modica per labia veſtiti, cum perigraphe: D. N. KAR. IMP. P. F. P. P. AVG. altera ciuitatem vel caſtellum cruce in mœnibus exornatum, cui per orbem adſcriptum: RENOVATIO ROMAN. IMP. infra: ROMA. (†††) En ipſa verba: *Ainſi ce titre, qui avoit eté eteint chez les Romains l' an 476 apres la mort d' Auguſtule dernier Empereur d' Occident, fut renouvellé par les Romains en la perſonne de Charlemagne, comme le marque l'inſcription qui eſt du côté de la ville de Rome. Les curieux de nôtre hiſtoire ſeron bien aiſes d' en voir la figure. Du côté de la tete il y a en abregé*, Dominus noſter Carolus Imperator, pius,

a) *Monum. Paderb. p. 263. edit. 1.* b) MABILLON. *lib. 5. de R. D. tab. 23. 24. 25.* c) ZYLLES. *part. 3. p. 13. Defenſ. Sanmaxim.* d) PAPEBROCH. *diſſert. de antiqu. diplom. in Actis Sanctor. Tom. 2. April.* e) LAMBEC. *lib. 8. Commentar. de biblioth. Vind. p. 648.* f) LE BLANC. *diſſert. de numiſm. Caroli M. & ſucceſſor. Romæ ſignatis. cap. 4.* *) *Tab. IV. n. 2.* **) *TAB. III. n. 8.* g) MABILLON. *lib. 5. tab. 23. n. 3. p. 387. de R. D.* ***) *TAB. III. n. 9.* h) *tab. 24. n. 1. p. 389. l. c.* ***) *Tab. III. n. 11.* i) *tab. 25. p. 391. l. c.* †) *TAB. IV. n. 3.* ††) *TAB. IV. n. 1.* k) LE BLANC *diſſert. hiſtorique ſur quelques monnoyes de Charlemagne &c. cap. 4. p. 24.* †††) *TAB. I. n. 9.*

pius, felix, perpetuo auguſtus: *Nôtre Seigneur Charles, Empereur, pieux, heureux, toujours auguſte.*

CHARACTERES SIGILLORVM CAROLINORVM.

XIV. Quamuis igitur hæc ſigilla non poſſint omnia probari, fatendum tamen eſt, omnia habere aliquid, in quo conueniunt, ex quo quædam Carolinorum ſigillorum formari idea poſſit. In omnibus cereis adparet Caroli protome, in omnibus idem habitus, idem corporis ſitus, corona denique aut nulla, aut certe non alia, quam laurea. Porro eadem in omnibus, ſi illud Sanmaximinianum excipias, eſt ſigilli figura, oualis nimirum, eadem inſcriptio, nec magnitudo diuerſa. Ex quibus id colligimus:

I. Carolina ſigilla cerea, altitudine duos digitos, latitudine vnum & ſemiſſem non excedere.

II. Eadem, ſi Treuerenſe Sanmaximinianum excipias, eſſe oualia, &

III. ſemper Caroli protomen ad pectus vsque exhibere, in ſiniſtram conuerſam. Qua de re elegans eſt obſeruatio Mabillonii (a) his verbis concepta: *In affixis Regum ſecundæ ſtirpis FACIES OBLIQVE CONVERSÆ SVNT AD SINISTRVM LATVS, QVÆDAM AD DEXTRVM, vt imago Carolomanni, Pippini Regis filii: auerſi pinguntur Lotharius & qui ſequuntur Capetiani Reges.* Quoniam vero hæc Mabillonii obſeruatio ad ſolos Francorum Reges ſpectat, de Imperatoribus noſtris addimus, etiam Cunradum I, Henricum I & Ottonem I imagines ſuas effinxiſſe, oblique in ſiniſtrum latus conuerſas, ceteras vero omnes auerſas.

IV. Coronam at nullam, aut non aliam capiti impoſitam eſſe, quam lauream, cuius rei rationem iam ſuperiore capite dedimus.

V. Inſcriptionem denique vix aliam in cereis reperiri, quam hanc: XPE PROTEGE KAROLVM IMPERATOREM.

VI. Litteras exacte eſſe vnciales & plane Romanas; orthographiam quoque ſatis bonam, quæ nihil ex recentioris ævi corruptione trahat; quam abbreviaturam XPE, Græcis quam Latinis digniorem, omnibus tamen Chriſtianis familiarem, adeo vt & Germani ſæculis ſuperioribus Chriſti nomen vix aliter ſcriberent, quam hoc modo: 

FORMVLA XPE PROTEGE.

XV. Quum de ceteris omnibus iam ſupra dixerimus plura: ſolum hic reſtat, vt formulæ XPE PROTEGE, quæ toties in ſigillis Caroli M. Ludouici Pii & Ludouici Senioris æque ac plumbeis occurrit, reddamus rationem. Hic vero denuo Byzantinorum mores Francis placuiſſe video. Retinuerant enim hi conſuetudinem veterum Romanorum, qui Principibus prolixa acclamatione fauſta quæuis apprecari ſolebant. Hinc olim concilia longo plerumque laudum acclamationumque ſyrmate finiebantur, hac ſubinde formula repetita: *Κύριε φύλαξον τὸν βασιλέα.* (b) Sed & adnotat Scylitzes, (c) Græcorum clamorem militarem hisce conflatum verbis: *Χριστὲ βοήθει*, qui in Leonis Tacticis (d) hoc vnico *βοήθει* concipitur. Vt taceam, etiam in antiquas laudes ſeu litanias, a Goldaſto, (e) Chemnitio, (f) Caniſio, (g) Du Freſne (h) aliisque (i) deſcriptas, hanc formulam tranſiiſſe, in quibus frequens eſt votum pro Imperatore conceptum: SALVATOR MVNDI TV ILLVM ADIVVA. Quemadmodum igitur Græci iſtam formulam dignam iudicarunt, quam ſuis numis inſcriberent, his ſubinde perigraphis vſi: ΚΥΡΙΕ ΒΟΗΘΕΙ ΑΛΕΞΙΩ ΔΕΣΠΟΤΗ, DEVS ADIVTA ROMANIS &c. (k) Ita & Francici Imperatores non dubitarunt, eiusdem generis formulam XPE PROTEGE nomini ſuo præmittere, vt ſcilicet regnum ſuum, niſi a Chriſto protegeretur, minime ſtabile futurum, faterentur. Conſtanter hæc formula, Mabillonio (l) teſte, vſurpata fuit a Carolo M. & Ludouico Pio, quibus nos addimus Ludouicum Seniorem. Primus eam mutauit Lotharius Imperator, cui magis placuit formula XPE ADIVVA, qua eo magis confirmantur in ſententia noſtra, vſum harum formularum e Litaniis ſiue Laudibus in Imperatorum & Regum ſigilla tranſiiſſe. Siquidem in illis nihil frequentius formula hac votiua: SALVATOR MVNDI TV ILLVM ADIVVA. Hoc votum nominibus Imperatorum præmitti ſolitum, Mabillonio

a) MABILLON. *lib. 2. c. 19. n. 4. p. 151. d. R. D.* b) *vid.* BIN. *tom. 3. part. 1. p. 191. & 693.* c) SIM. SCYLITZ. *p. 781.* d) LEON. *Tact. cap. 7. § 74.* e) GOLDAST. *Tom. 2. Rer. Germ. p. 136.* f) *ex eoque* MEIBOM. *Tom. 1. Rer. Germ.* g) CANIS. *tom. 5. Lect. antiqu. p. 735. 736.* h) DV FRESNE. *tom. 2. Gloſſ. Lat. p. 233.* i) MABILLON. *tom. 2. Vet. analect. p. 682.* BALVZ. *append. ad Capitul. n. 95* k) CAR. DV FRESNE *diſſert. de num. Byzant. n. 28. p. 23.* l) MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 8. p. 138. de R. D.*

lonio primus dimisisse videtur Carolus Caluus, nomini tantum addens formulam: MISERICORDIA DEI. At vero nec hunc quidem ab hac formula penitus abstinuisse, constare puto e bulla eius plumbea, a Baluzio (a) edita, in qua huic versui includitur: IHV NATE DEI KAROLVM DEFENDE POTENTER, quod idem est ac *Christe protege*. Quid? quod etiam exstincta Carolina stirpe, hæc formula nonnunquam adhibita sit. Bruschius (b) enim allegat sigillum Henrici IV hac perigraphe notatum: XPE PROTEGE HENRICVM REGEM. Ceterum, nisi me fallit animus, Græcam hanc formulam primi imitandam sibi proposuerunt Pontifices, siquidem Sergii Papæ extat bulla plumbea, in qua hæc formula occurrit: BOHΘEI CEPГIOY ΘEO, de qua infra.

QVÆNAM CAROLI SIGILLA SINT GENVINA.

XVI. Sed restat quæstio intricatissima, quænam Carolinorum sigillorum genuina sint, quænam suppositicia? Hic vero obseruandum est, Peirescium æque ac Mabillonium ea sigilla Carolina pro maxime genuinis habere, quæ Caroli faciem optime referrent. Sane enim verisimile est, cum propria effigie in sigillis vti voluerint Imperatores, id quoque eos dedisse operam, vt artifices, quantum sæculi genius ferret, lineamenta oris quam optime exprimerent. Quum igitur inter Carolina sigilla hoc potissimum intersit discriminis, quod Treuerense Caroli vultum obesum & imberbem, Sandionysiana magis tenuem & modica barba, Osnabrugense denique barba satis prolixa ornatum sistant: in ea quæstione cardo rei verti videtur, num barbam aluerit Carolus? Si enim aluit, Treuerense; sin minus, cetera sigilla malæ notæ sint necesse est. Sed non maior de hac etiam quæstione inter auctores consensus adparet. Freherus equidem, qui singulari *φιλοπονήματι* de Caroli M. statura barbaque agit, Marcum Velserum sequutus, Carolum barbam pauisse negat, idque numorum fide, in quibus puro mento conspiciatur, si vero quando pili genas & labia inumbrarint, id tonsorum negligentia factum ait. Eum præeuntem sequuntur Gryphiander, (c) Iacob Andreas Crusius, & qui instar omnium est, Papebrochius. (d) Hic enim cum argumenta Freheri & Velseri consensum, tum præcipue Eginhardi silentium & sigillum Treuerense vrget, ex quibus pateat, Carolum plane nullam barbam aluisse, facieque fuisse propemodum iuuenili. Quin sine hæsitatione reiicienda existimat omnia sigilla, tum San Dionysiana, tum Osnabrugense, in quibus Carolus barbatus conspiciatur. Longius ab his discedunt Thulemarius, qui notas & florum sparsiones ad Freheri *φιλοπόνημα* de statura Caroli M. collegit, multisque argumentis Carolo barbam vindicat, vt & Mabillonius, (e) Merouingos æque ac Carolingos barba decora & modica vsos esse demonstrans. Quum igitur hæc dissensio ex auctoribus vitæ historiæque Carolinæ definiri non possit: (vix enim præter Albericum, (f) qui Turpinum exscripsit, inuenies alium, Carolo *barbam vnius palmi* tribuentem,) imagines Carolinas, quæ ætatem tulerunt, spectari ex iisque de barba Carolina iudicari oportet. Antiquissima igitur Caroli effigies est opus Musiuum Romanum, in quo Carolus M. & Leo Pontifex bis repræsentantur, stantes primum, deinde in genua prouoluti ad thronum Petri apostoli, Pontifici pallium, Cæsari vexillum offerentis. Hoc Musiuum eo maioris videtur habendum, quod Carolo coæuum est, eodem quippe anno, quo Carolus Augustus a Romanis proclamatus est, procul dubio confectum. Sed mirum est, quam diuerse hoc Musiuum a diuersis describatur. Velserus (g) enim in illo pilos negligentia tonsoris relictos mentum paululum inumbrare putat, Chiffletius (h) vero Caroli genas in illo deprehendit ferme ad ipsam cutem attonsas & mentum rasum, non minus quam in sigillo isto San Maximiniano. Denique Sponius (i) & Dn. Le Blanc, (k) qui totum monimentum Musiuum elegantissimo schemate expressérunt, Caroli faciem ita depingunt, vt non modo barba per labra explicata, sed & pili in extremo genarum adpareant. Ceteræ Carolinæ effigies pæne omnes barbam præferunt. Talis est illa, quam ex codice membranaceo, in quo Capitularia Regum Francorum ex collectione Ansegisi & Benedicti Leuitæ, vt & leges Salicæ, Longobardicæ, Ripuariorum, Boioariorum & Codex Theodosianus aliaque nonnulla habentur, depingit doctissimus Tenzelius, (l) eaque vix centum annis Ansegiso recentior. Talis est, quam e Petauii tabella mutuatus est Chiffletius, (m) in qua Carolus mentum non habet nudum, sed breui bifurcaque vestitum barba. Tales

AN CAROLVS BARBAM ALVERIT?

a) BALVZ. *tom. 2. Capitular. p. 1284.* b) BRVSCH. *Chronol. Monasterior. p. 182.* c) GRYPHIAND. *cap. 70. de Weichbild. p. 177.* d) PAPEBROCH. *Dissert. de antiqu. diplom. Tom. II. April.* e) MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 4. 5. 6. 7. p. 136. 137. de R. D.* f) ALBERIC. *Chron. ap.* LEIBN. *p. 121.* g) VELSERVS *l. c.* h) CHIFFLET. *in Anastasi Childerici c. 1. p. 34.* i) SPON. *miscell. erudit. antiqv. p. 284.* k) LE BLANC *cap. 4. Dissert. sur quelques monnoyes &c. p. 19.* l) TENZEL. *Dial. menstr. anno 1690. p. 812.* m) CHIFFL. *Anastas. Childer. c. 9. p. 130.*

ſunt aliæ in numismatibus præcipue expreſſæ, quas allegat Thulemarius. Quæ omnes pro eorum ſententia militant, qui nobis Carolum modica barba ornatum ſiſtunt. At alios, qui barbam abominantur, iuuat effigies, quam Chiffletius (a) in Bibliotheca Villarienſi in codice MSC membranaceo hiſtoriæ Wilhelmi Nangii vidit depictam, prolixiore capitis coma & abraſo fere mento ornatam. Cum igitur vttique ſententiæ non deſint præſidia, putauit ſibi laudatus Chiffletius rationem eſſe reperiundam, qua hæ ſententiæ poſſint conciliari. Statuit igitur, Carolum M. initio barbam aluiſſe, poſtea vero eandem depoſuiſſe, forte valetudinis cauſa, quod & Philippum Bonum, Burgundiæ Ducem, feciſſe conſtaret, atque adeo non mirandum eſſe, ſi primis imperii temporibus effigies non minus, quam ſigilla Carolum ſiſterent barbatum, extremis imberbem. En eius verba: *Memini, me in MS quodam alias legiſſe, Philippum Bonum, Ducem Burgundiæ aliquamdiu comam & barbam aluiſſe, poſteaque valetudinis cauſa depoſuiſſe, vt vetuſtiores eius imagines palam oſtendunt: QVOD IDEM CAROLO M. potuit contigiſſe.* Sed nec hoc quidem poteſt admitti. Deceptus enim eſt ſubſcriptione diplomatis Treuerenſis, quod anno Regni Carolini XL conſcriptum cum Zylleſio putauit, (b) quum tamen Lambecius æque ac Papebrochius in autographo non inuenerint *annum Regni XL*, ſed XI. Quod ſi igitur ceterorum diplomatum ſubſcriptiones atque effigies inſpiciamus, inuenimus Carolum

Anno Regni VIII barbatum exhiberi in ſigillo Mabilloniano.
Anno Regni XI eundem barba deſtitutum in diplomate Treuerenſi.
Anno Regni XXXIII denuo barbatum ſiſti in Muſiuo Romano.
Anno Regni XXXVII iterum barbatum apparere in ſigillo Oſnabrugenſi.
Anno Regni XLV barba decora veſtitum in diplomate Corbeienſi.

SIGILLA, QVÆ CAROLVM BARBATVM EXHIBENT, SVNT GENVINA CETERIS PARIBVS.

Vnde protecto liquet, Chiffletii ſententiam conſiſtere non poſſe. Non enim fit veriſimile, Carolum barbam initio aluiſſe, mox poſuiſſe, ac deinde iterum pauiſſe. Quæ quum ita ſint, vix dubitandum eſt, quin eorum ſententia, qui Carolum modica barba vſum ſtatuunt, altera illa longe ſit probabilior. Fauet enim Eginhardi teſtimonium, qui Carolum patrii moris ſeruantiſſimum fuiſſe, memoriæ prodidit. Iam vero antiquos Francorum Reges magnam in alendis barbis curam poſuiſſe, multis probat laudato libello Thulemarius, a quibus abiiſſe Carolum non fit veriſimile. Fauet porro Muſiuum Romanum, quod Sponius & Dn. le Blanc procul *dubio* accuratius, quam Velſerus & Chiffletius inſpexere; fauet ſigillum diplomatis Oſnabrugenſis, cuius γνησιότητα licet in dubium vocarint Carolus de Cointe, Papebrochius (c) Stephan. Baluzius, (d) & nouiſſime P. Bartholomæus Germon, (e) eo quod formulas nonnullas habeat parum æuo Carolino familiares, ſed & in computatione annorum cum ceteris Caroli M. chartis non æque conueniat: probatur tamen hoc diploma doctiſſimo Principum Ferdinando Epiſcopo Paderbornenſi, (f) Mabillonio, (g) ipſique etiam poſtea Papebrochio, qui conſpecto in aula Paderb. autographo, ſententiam mutauit, ac diploma hoc a νοθείας ſuſpicione abſoluit. (h) Fauet effigies Caroli M. tum Patritii Romani elegantiſſima, quam exhibent Petauius, (i) Chiffletius in Anaſtaſi Childerici, (k) Tenzelius in Vindiciis Conringianis (l) & Bibliotheca curioſa, (m) & Mabillonius in ſupplemento Librorum de re diplomatica. (n) Fauet ſigillum plumbeum Caroli M. quod exhibet Dominus le Blanc, fauent cetera ſigilla Mabilloniana, & Corbeienſe, & quod primum eſt, ipſe etiam fauet Papebrochius, qui quum initio Pariſienſia, Osnabrugenſe aliaque, in quibus Carolus barbatus ſiſtitur, ſigilla reiiceret, poſtea mutata ſententia, vt iam dixi, Carolum barba modica vſum faſſus eſt. Quæ quum ita ſint, nihil ſupereſſe videtur dubii, quin Carolina illa ſigilla, in quibus barba ornatus adparet, ipſam Caroli faciem referant rectius, atque adeo ceteris paribus genuina ſint habenda.

QVID DE SIGILLO SANMAXIMINIANO SENTIENDVM?

XVII. Sed quid fiet ſigillo Sanmaximiniano? Audaciæ ſane eſſet non minimæ, diplomati tam illuſtri, totque doctiſſimis viris, velut i Zylleſio, Lambecio, Papebrochio, probato dicam ſcribere. Conſultius forſan eſſet inuenire rationem, qua ceteris hoc ſigillum poſſimus conciliare. Fecit hoc iam Papebrochius, Carolum non proprio, ſed Carolomanni anulo diploma hoc ſignaſſe exiſtimans, ſæpiusq; non modo aliorum, ſed etiam Deorum gentilium imaginibus Reges vti conſueuiſſe ſtatuens. Verum de hoc iam ſupra ſententiam noſtram aperuimus. Illud autem ideo

a) CHIFFLET. *lib. c. cap. 1. p. 35.* b) ZYLLES. *l. c. p. 13.* c) PAPEBROCH. *l. c.* §. *28.* d) BALVZ. *tom. 2. not. ad Capitular. p. 1066.* e) GERMON. *Diſcept. hiſt. de ant. Reg. Franc. diplom. p. 262.* f) MONVM. PADERB. *p. 201. edit. 1.* g) MABILLON. *lib. 5. p. 390. ſqq. de R. D.* h) *vid.* THVLEM. *epiſt. ap.* TENZEL. *in dial. menſtr. anno 1691. p. 9. ſeqq.* i) PETAV. *in Gnoriſmate.* k) CHIFFL. *cap. 9.* l) TENZEL. *Vindic. Conr. cap. 9. n. 11. p. 209.* m) TENZEL. *Bibl. cur. anno 1705. p. 487. conf. dial. menſtr. anno 1693. p. 405.* n) MABILL. *Supplem. cap. 11.*

ideo admittendum non videtur, quod Carolus diſerte in diplomatis calce fatetur, *ſe chartam ſuæ manus ſignaculis affirmare decreuiſſe & ANNVLO SVO firmari iuſſiſſe.* Hinc potius veniret in mentem, credere, Carolum ineunte regno ſuo, priusquam Auguſtam dignitatem cum patriciatu coniungeret, barbam poſuiſſe, poſtea vero augendæ maieſtatis cauſſa illam aluiſſe. Hoc enim pacto facile reddi poſſet ratio, cur ſigillum Sanmaximinianum a ceteris Carolinis tam ſit diuerſum. Sed obſtabit mihi effigies Pauli Petauii iam ſupra deſcripta, ex qua adparet, Carolum adhuc patricium iam barbam aluiſſe. Obſtabit & ſigillum primum Mabillonianum, quippe quod duobus annis ante Treuerenſe impreſſum, Carolum tamen non minus quam cetera exhibet barbatum. Vix igitur puto excogitari poſſe rationem, qua hoc ſigillum, contra quod tam multa alia pugnant, in tuto collocetur.

SIGILLA HLVDOVICI PII.

XIIX. Caroli M. filius, ad quem, corrigente parentis errorem fortuna, totius imperii, teſtamento diuiſi, ſumma rediit, e ſacro fonte Hludouici, a pietate vero & inſigni in clerum indulgentia Pii nomen tulit. Eius quoque ſigilla, quæ exſtant, potiora hic recenſebimus.

I. PADERBORNENSE.

Primum (*) igitur eſto, quod diplomati Paderbornenſi anno DCCC XXII dato innexum delineauit Celſiſſimus Monumentorum Paderbornenſium Auctor, (a) tanto eruditorum adplauſu, vt Conringius (b) *omnium Pii Imperatoris diplomatum, quæ quidem typis edita in manus ſuas venerint, vnicum illud eſſe integerrimum*, fateatur. Exhibet hoc HLudouici Imperatoris protomen, mentum raſum, collum ad pectus vsque nudum, capillitium vero ob vetuſtatem vix conſpicuum, niſi quod ſerti laurei in fronte & cervice adparent veſtigia ſatis notabilia. Inſcriptio ita ſe habet: XPE PROTEGE HLVDOVICVM IMPERATOREM. Quamuis igitur hoc ſigillum quantiuis pretii videatur Conringio: attamen quum non adeo bene ſit conſeruatum, ac potiora faciei lineamenta confuderit vetuſtas, iungimus illi alia quatuor, quæ collegit accuratiſſimus Tenzelius. (c) Occupet igitur ſecundum locum (**) ſigillum HLudouici Pii a Stephano Baluzio (d) depictum. In eo enim vt veſtes, quæ in Paderbornenſi aut deſunt, aut vetuſtate perierunt, adparent accuratius, ita & ſuperior barba, quæ labia exornat, & capilli, & corona laurea integra plane ſunt ac illæſa. Inſcriptio nihil habet ab illa Paderbornenſi diuerſum, niſi quod præfixa illi eſt crux, quæ in Paderbornenſi deſideratur, & contra non habet vltimam literam M, quæ in Paderbornenſi exprimitur. Ita enim ſe habet in Baluziano ſigillo perigraphe, nulli plane circulo aut limbo incluſa: ✠ XPE PROTEGE HLVDOVICVM IMPERATORE. Sed omnium integerrima pariter & elegantiſſima ſunt duo alia (***) Mabilloniana, (e) non multum a ſe inuicem diſcrepantia, in quibus & veſtimenta, & tota barba, quæ genas æque ac labra inumbrat, & capilli & corona laurea, & ipſe denique oris habitus multo accuratius ſunt expreſſa, nihil vt his ſigillis ad integritatem videatur deeſſe. Perigraphæ marginales plane coincidunt cum Baluziana, hoc dummodo obſerues, quod loco M finalis, quod plane abeſt in ſigillo Baluziano, in ſigillis Mabillonianis ſe offerat lineola, abſentis M. index, nec tamen recentiore more capiti litteræ impoſita, ſed ad latus ſupra punctum ducta, hunc in modum: ✠ XPE PROTEGE HLVDOVVICVM IMPERATORE. Accedat his quatuor Ludouici Pii ſigillis quintum (†) Corbeienſe, adhuc ineditum, in quo licet capillitium atque corona ſatis accurate ſint expreſſa, barbæ tamen veſtigia vix animaduertere licet. Nec tamen dubia adſunt lineamenta, ex quibus barbatum Ludouicum agnoſcas. Hæc igitur HLudouici Pii ſigilla, vt admodum inter ſe ſunt ſimilia, ita ab illis non parum diſcrepat ſextum illud (††) diplomati Lindauienſi ſuppoſititio annexum, quod hic tanquam morio fabulam claudet. Siſtit hoc Ludouicum habitu prorſus diuerſo, facie ob raſam barbam iuuenili vel potius virginea, capillitio admodum breui, corona tenui, veſtibus prorſus diuerſis. Inſcriptio denique limbo ſatis prolixo inſculpta, non modo alio litterarum genere conſtat, verum etiam lineolam non ad latus litteræ finalis, ſed more ſequiorum temporum literæ E iectam habet, prætereaque litteras HL in nomine HLVDovici puncto diſtinguit hunc in modum: ✠ XPE PROTEGE. H. LVDOVICVM IMPERATORE.

II. BALVZIANVM.

III. DVO MABILLONIANA.

IV. CORBEIENSE.

V. LINDAVIENSE

XIX. Hæc ſunt certa Ludouici Pii ſigilla, quæ adhuc in lucem prodierunt. Diuerſæ plane ab his ſunt eius bullæ, quarum tres hic addimus, vnam, neſcio cuius metalli, a Lindenbrogio

VI. LINDENBROGIANVM.

*) *TAB. IV. n. 4.* a) *Monum. Paderb. p. 204. edit. 1.* b) CONRING. *Cenſ. dipl. Lindav. p. 12.* c) TENZEL. *Vindic. Cenſ. Conring. p. 101.* **) *TAB. IV. n. 6.* d) BALVZ. *tom. 2. Capitul. p. 1305.* ***) *TAB. n. 7. & 10.* e) MABILLON. *p. 395. & 399. tab. 26. & 28. de R. D.* †) *TAB. IV. n. 9.* ††) *TAB. IV. n. 8.*

brogio (a) exhibitam, vnam auream, quam Mabillonio (b) debemus, ac tertiam denique argenteam a Car. du Freſne (c) deſcriptam. Lindenbrogiana (*) in antica ſiſtit ad genua vsque effigiem Ludouici Imperatoris, imberbis, palliati, corona aurea clauſa redimiti, dextraque aquilam, ſiniſtra globum imperialem crucigerum ferentis. In poſtica ædificium, tribus turribus inſtructum, quod neſcio an templum, an areem, an ciuitatem repræſentare debeat. Inſcriptio plane nulla adiicitur. Mabilloniana ſimilis eſt bullis illis plumbeis Karolinis, de quibus iam ſupra egimus. Ex altera enim parte adparet protome Ludouici cum perigraphe: D. N. H. LVDOVICVS. IMP. ex altera hæc duntaxat inſcriptio: RENOVATIO REGNI FRANCORVM. Tertia S. Genouefenſis argentea, quum ex altera tantum facie figuram inſculptam habeat, faciem nimirum Ludouici Pii, cum inſcriptione: XPE PROTEGE HLVDOVICVM IMPERATOREM; quum deinde rima, per quam fila tranſire potuerint, penitus deſtituatur: vix pro archetypo haberi poteſt, quod iam ſupra ex Mabillonio obſeruauimus. Operæ pretium erit & nonum adiicere Ludouici ſigillum, ſane elegantiſſimum, quod miror nec a Conringio, nec a doctiſſimo eius vindice cum Lindauienſi illo fuiſſe collatum. Debemus illud Nicolao Zylleſio, (d) (**) ſiſtitque Ludouici *προτομὴν*, vultu coronato & imberbi quidem, nec tamen iuuenili, ſed ad grauitatem compoſito; orbem nullus ambit limbus, quem tamen ſollicite alias adiicere ſolet Zylleſius. Inſcriptionem non integram ita legit Zylleſius: --HLVDOVVICVS IMP---Sed quum hæc perigraphe, ſi ita relinquatur, vix poſſit ſupplери, ſuſpicor, Zylleſium loco M. videre ſibi viſum S., atque adeo ita legendum: *χρε protege* HLVDOVVICV*m* IMP*eratore*

VII. BVLLA AVREA MABILLONIANA.

VIII. SIGILLVM ZYLLESIANVM.

XX. Iam igitur vt more noſtro ex genuinis ſigillis Ludouici characteres quosdam excerpamus, quibus a ſuppoſititiis poſſent diſtingui, obſeruamus,

CHARACTERES SIGILLORVM LVDOVICI PII.

I) *Ludouicum extremo Imperii tempore exprimi barbatum.* Sane hoc liquet ex Baluziano æque ac Mabillonianis ſigillis. Lindenbrogianum procul dubio ex copiali quodam petitum atque adeo ob vetuſtorum monachorum pingendi inertiam non ſatis accurate expreſſum eſt. Nam & litteræ non adiectæ ſunt, quas deeſſe vix puto, & corona & globus ad recentiorum imperatorum conſuetudinem ſunt compoſita. Manifeſto ſane argumento ineptiarum pictoris. Paderbornenſe cum non ſit vsquequaque integrum, hanc regulam *non* impediet. Non enim eſt dubium, quin vetuſtas lineamenta oris confuderit. At Lindauienſe quamuis multa habeat cum genuinis Ludouici Pii ſigillis communia, quemadmodum obſeruant Baluzius, Mabillonius & P. Germon: nec pauciora tamen ſunt, in quibus ab illis abit, vt vel ex ſola eius cum ceteris collatione patet. Vt adeo mirari liceat, nouum hyperaſpiſten tantos in hoc ſigillo agere triumphos, eiusque cum ceteris Ludouici Pii tum ſigillis, tum numis tantopere iactare conſonantiam, quum vel primo intuitu poſſit diſſimilitudo animaduerti. Quin ſi vel maxime quædam adpareat inter ſigilla Paderbornenſe & Lindauienſe ſimilitudo, nihil tamen hoc ad huius fidem ſtabiliendam conferet. Paderbornenſe enim datum eſt anno Imperii VIII, Treuerenſe, anno IX, quo tempore Ludouicus triginta quatuor annos habebat. (e) Lindauienſe vero anno imperii XXI, hoc eſt, Ludouico iam ſene & altero pede in Charontis cymba conſtituto. Quis vero credat, eadem faciei lineamenta ſeni fuiſſe, quæ iuueni, immo ſenem magis virginea facie enituiſſe, quam iuuenem? Quod tamen ipſo oculo iudice obſeruabit, quicunque Lindauienſe ſigillum cum Paderbornenſi & Treuerenſi contulerit. Nec hanc obſeruationem noſtram euertunt numi HLudouici, quos Strada & Pallatius exhibent. Pluris enim nobis ſunt decem illi, quos ex domino le Blanc allegat Tenzelius, (f) qui omnes fere Ludouicum barba conſpicuum exhibent.

II) *Ludouicum ſemper in ſigillis corona laurea incingi.* Ita in ſigillo Baluziano, ita in Paderbornenſi, Treuerenſi, Corbeienſi, Mabillonianis, immo & famoſo iſto Lindauienſi conſpicitur, eiusque rei iam ſupra (g) reddidimus rationem. Ab his tamen abit bulla Lindenbrogiana, quæ coronam auream & quidem in acumen coëuntem ſubſtituit. Sed quum de hac bulla iam ſententiam meam aperuerim, verbum non addo.

III) *In-*

a) LINDENBROG. *priuil. Hamb. p. 126.* b) MABILLON. *ſupplem. Op. de R. D. cap. 11.* c) DV FRESNE *tom. 1. Gloſſ. Lat. p. 641.* *) *TAB. I. n. 8.* d) ZYLLES. *part. 3. l. c. p. 14.* **) *TAB. IV. n. 8.* e) *Quum enim Ludouicus deceſſerit anno 842. ætatis 64. Imperii 27. teſte* ADELMO BENEDICTIN. *ap.* REVBER. *p. 66. natum eſſe eum oportet anno 788, ex quo cetera vltro ſequuntur.* f) TENZEL. *Vindic. Conring. p. 154.* g) *cap. 8. n. 6.*

III) *Inſcriptioni crucem præfigi.* Deeſt quidem in Paderbornenſi; ſed vereor, ne pictoris oculos fugerit, occaſionemque dederit, vltimam litteram M inde fabricandi, quæ in ceteris HLudouici ſigillis deeſt. Bulla aurea Mabilloniana, quum ſingularis ſit, hunc characterem non mutabit.

IV) *Ludouici Pii nomen ſemper ſcribi HLVDOVVICI,* more Francis Alamannis Gothisque (a) ſolenni, qui ad aſperiorem linguæ ſuæ pronunciationem indicandam contra omnes Romanæ orthographiæ leges non modo litteræ L ſed & R imo & T & B adſpirationem H præfigebant. Exſtat in Goldaſti Tomo II Antiquitatum Alamannicarum *Catalogus nominum propriorum ex vetuſtiſſimo codice monaſterii S. Galli ordine deſcriptus*, in quo & hæc (b) occurrunt: HL*otharii*, HLV*dovic*, HR*anfrid*, HR*otold*, HR*uoadbert*, HR*uadgaer*, HR*uadhoh*, HR*uadigart*, HR*oadolf*, HR*uadolt*, HR*uodzoz*, (c) HR*oadolfus*, HR*othardus*, HR*otholdus*, (d) HR*uadigart*, HR*uodſwid*, omitto nunc alia, quæ ex pluribus chartis, tum Goldaſtinis, tum Piſtorianis colligere liceret, niſi res lippis & tonſoribus nota eſſet. Quid ſibi velit durior hæc litterarum heterogenearum compoſitio, eleganter docet le Blanc, (e) cuius locum hic deſcribemus: *Les anciens François n' ajoutoient ces deux Lettres CH, ou jointes enſemble ou ſeparament, au commencement de certains mots, que pour rendre la prononciation plus forte; c' eſt pour quoy la pluſpart des Auteurs etrangers, comme Caſſiodore & quelques autres retranchent ordinairement ces deux lettres des noms, ou elles n' ont été miſes, que pour marquer la prononciation rude des premiers François. Les François meſmes les ont ſouvent obmiſes. Dans un titre de l' an 520* Clothaire *eſt auſſi nommé* Lothaire: *& l' on verra ſur des monnoyes de cette premiere Race, que* Childebert & Hildebert *ſont la meſme choſe, auſſi bien que* Cherebert & Erebert. *Sur celles de la ſeconde Race on trouvera indifferement* Hludouicus & Ludouicus, Hlotharius & Lotharius. *Quelques Sçavants* (*) *ſe ſont imaginé, que la lettre H miſe au commencement du nom de nos Rois par les anciens François, le quels étoint ſortis de l' Allemagne, ſignifioit* Seigneur, *a cauſe que le mot Latin* Herus, *ou* Her *en Allemand, qui ſignifient* Maiſtre, *commencent par cette lettre. Ils appuyent leur ſentiment par l' exemple des Latins, qui pour donner à leurs Empereurs le titre de* Dominus, *ſe contentoient de mettre un D au commencement de leur nom. Je ſouſcrirois volontiers à leur opinion, ſi cette penſée, qui eſt plus ingenieuſe que ſolide, n' etoit détruite par pluſieurs Monnoyes, qu' on verra ſous la ſeconde Race, & ſur les quelles, la lettre H eſt miſe au commencement des noms de pluſieurs villes: comme HTVRONVS, HBAIOCAS, HREDONIS &c. Il ſeroit ridicule de vouloir qu' en cet endroit elle ſignifiaſt Dominus ou Herus, ainſi qu' on le pretend.* Sed illud hic non videtur prætereundum, quod in Lindauienſi ſigillo inter H & L more prorſus inſolito punctum interiaceat, quod licet Tenzelius nouitatis argumentum habeat, (f) malim tamen credere, impoſtorem, qui ſigillum hoc expreſſit, in alio diplomate, quod tanquam archetypum ſibi imitandum propoſuit, ita inueniſſe. Nam etiam in bulla aurea, quam ſupra e Mabillonio deſcripſimus, legitur: D. N. H. LVDOVICVS IMP. quam tamen reiicere non auſim.

V) *Formulam XPE PROTEGE ſemper in ceteris ſigillis inueniri, non item in bullis plumbeis ac aureis*, quæ cum plerumque ad numismatum antiquorum formam, vt ſupra obſeruatum, compoſitæ ſint, eius loco habent litteras D. N. id eſt, *Dominus Noſter*, quæ in numis Imperatorum ſunt frequentiſſimæ. Singulare equidem quid habere videtur bulla argentea S. Genouefenſis, ſed quum illi ſupra dicam cum Mabillonio ſcripſerimus, non eſt quod hic plura addamus.

VI) *Ea Hludouici ſigilla procul dubio maxime pro genuinis habenda eſſe, quæ ipſi Ludouici anulo quam proxime accedunt.* Exhibet illius formam Petrus Fr. Chiffletius (g) cum hac epigraphe: XPE PROTEGE. HLVDOVVICVM IMPERATOREM Quum vero rariorem hunc librum nondum viderim, conferendi negotium relinquo iis, quibus licebit hanc adire Corinthum.

XXI. Nihil equidem intereſt plura de Ludouici Pii ſigillis hic commemorare. Attamen

a) *de Gothis vid.* IO. SCHEFFER. *ſyntagm. de antiqv. torquibus n. 12.* b) GOLDAST. *Script. rer. Alam. Tom. II. p. 97.* c) Ibidem *p. 107.* d) Ibid. *p. 113.* e) LE BLANC *traité hiſtorique des Monnoyes de Frances p. 47.* *) VALFRIDVS STRABO *de Rep. Eccleſ. c. 7.* f) TENZEL. *Vindic. Conr. p. 101.* g) CHIFFLET. *in hiſtor. Tornutienſi. p. 195.*

SCEPTRVM TRIVMPHALE ET CONSVLARE IN SIGILLIS.

quum bullaLindenbrogiana habeat quædam ſingularia,duo adhuc erunt obſeruanda: *primum* de ſceptro aquiligero, quod in hac bulla adparet; *alterum* de globo crucigero, quem imperialem vocant, qualem in ſigillis anteriorum Regum nondum notaui. Sceptrum igitur,quod dextra tenet Ludouicus, tam eſt breue, vt non niſi aquilam geſtare videatur Imperator. Manubrium enim vix adparet. Quamuis vero non inſolitum ſit medii æuii pictoribus ſculptoribusque, principes fingere accipitres aliasque aues manu geſtantes, idque etiam, vt infra patebit, in ſigillis nonnunquam ſit obſeruatum; a Ludouici tamen ætate id eſt alienum, vt adeo dubitandum non ſit, quin in hoc ſigillo exprimi debuerit ſceptrum conſulare, cuius tamen manubrium vetuſtate forte detritum pictoris oculos fugit. Iam vero conſtat, hoc ſceptrorum genus ex antiquitate vltima Romanorum ad Francos,atque ab his ad ceteros Germanicos imperatores tranſiiſſe. Sane enim conſulum Romanorum geſtamen fuiſſe ſcipionem eburneum cum aquila, auctores multi, veluti Dionyſius Halicarnaſſeus, Liuius, Valerius Maximus,Vopiſcus aliique teſtantur, & numi etiam, inter quos rarior ille Cl. Caldii Cos. apud Guillelmum du Choul. (a) Id quod etiam deinde ſuum fecere triumphantes. Eiusdem enim formæ ſceptrum triumphale deſcribit Iſidorus. (b) Sed deinde proprium fuit Romanorum Principum, ſub quibus eius forma ita delineatur a Iuuenale: (c)

Da nunc & VOLVCREM, SCEPTRO quæ ſurgit EBVRNO,

quamuis hi & aliis nonnunquam regibus, amicis & ſociis, eorum vſum, teſte Tacito, (d) conceſſerint. Huius deinde moris ſeruantiſſimi fuereByzantini Imperatores,quorum ſceptra conſularia quum in monumentis Bituricenſi & Leodienſi, tum præcipue in numis Licinii, Criſpi aliorumque adparent. (e) Quum igitur Francici ſtemmatis Imperatores, quemadmodum ſupra notauimus, id maxime dederint operam, vt ſe ad antiquiſſimorum Cæſarum mores habitumque componerent, etiam hoc ſceptrum, vt ſe genuinos Imperatorum ſucceſſores declararent, in vſum revocarunt, idque æmulatione Byzantinorum,quibus a Phocæ temporibus crux ſceptri loco fuerat in deliciis.Deinde & ceteri Imperatores inprimis Saliqui hoc ſceptrum retinuerunt, quibus exſpirantibus Lotharius Ottonum exemplo ſceptrum ſiue in roſam, ſiue in lilium, ſiue in crucem deſinens in ſigillis vſurpauit, omnibus deinde ſequioris æui Imperatoribus commune, nec ignotum tamen anterioribus Regibus, vt tam ex ſigillis Ottonum, quam numo bracteato Goslarienſi Henrici ſiue III, ſiue IV adparet, quem in noſtra de iis diſſertatione (f) deſcripſimus.

GLOBVS CRVCIGER.

XXII. Eadem globi origo eſt, qualem in ſiniſtra Ludouici conſpicimus. Vti eo primum cœperant Romani Imperatores, faſtu procul dubio commoti, quo Orbis ſe dominos mundique rectores iactabant, qua de cauſſa dudum hoc habitu Iouem pinxerant. (g) Hinc nihil eſt in numis Imperatorum hoc *orbe*, ſiue *globo*, quem & *pilam* vocat Iſidorus, frequentius. Retinuere deinde illum Conſtantinopolitani, qui tamen arrogantiæ minuturi inuidiam crucem addidere, vt formulæ eccleſiaſticæ CHRISTVS VINCIT, CHRISTVS REGNAT, CHRISTVS IMPERAT, memores, veluti Chriſtum orbi imperare faterentur. Hinc ſæpius eiusmodi globus effingitur in numis Valentiniani, vtriusque Theodoſii, aliorumque ſequioris æui Cæſarum, licet crucis loco etiam in antiquioribus nonnunquam aquila, aliquando alia auis (h) nec raro etiam victoriola coronam Cæſari offerens conſpiciatur. Quod denuo e Deorum inſignibus petitum reor. Talem enim globum victoriatum tenet Iupiter conſeruator & ſtator. (i) Sed & equeſtris Iuſtiniani ſtatua in Auguſteo poſita idem geſtamen oſtentat, quam deſcribunt Procopius aliique, quorum allegato loco meminit laudatus du Freſne. Quamuis igitur noſtro tempore inter communia Regum inſignia referantur eiusmodi globi, nec vlla fere Europæa aula regia ſit, quæ ab eius vſu abſtineat: certum tamen eſt, Francicos Imperatores omnium primos hos globos in occidentem inuexiſſe. Id quod præter hanc bullam alia quoque teſtatur Caroli Calui imago,quam delineari curauit Steph. Baluzius.At deinde hic globus inSaxonicorum,Saliquorum,Sueuicorum ſequiorisque æuiCæſarum ſigillis eſt frequentiſſimus, (k) ac hodienum Cæſari ſolet adpingi. Obſeruatu porro non videtur indignum, quod

a)DV CHOUL *de la religion des anciens Rom. p. 261.* b) ISIDOR. *Orig. lib. 7. c. 2.* c) IVVENAL. *Satyr. 10. v. 43. vbi vid. Scholiaſt.* d) TACIT. *lib. 4. annal. c. 26.* e) OCTAV. STRAD. *p. 180.* CAR. DV FRESNE *de infer. æui numism. n. 11. p.7.* f) HEINECC. *de numis Gosl. tab. 1. n 3.* g) *Obſeruat id ex* MARTIAN. CAPELL. *lib. 1. &* CODIN. *Origin.* C. DV FRESNE *de infer. æui numism. p. 15.* h) *vid.* DV CHOUL *de la religion des anciens Rom. p. 141.* i) *ap.* DV CHOUL *l. c. p. 64. 65.* k) *Vid.* GODOFR. VITERB. *in Pantheo* GLABER. RVDOLPH. *lib. 1. cap. vlt.*

quod in numis bracteatis hoc Cæsarum gestamen nonnunquam ab ea, quæ in sigillis occurrit, forma discrepet. Exhibet Cl. Olearius (a) sex Friderici Imperatoris bracteatos, quorum non nisi primus globum eiusmodi accurate refert. In secundo globus adparet duplex, & quidem cruce insignitus, quem ita illustrat verbis Schilteri: (b) *In antiquis numis bracteatis GLOBVS seu ORBIS duplex — ad ea tempora referendus, — quibus imperium occidentis in orientem extendebant Imperatores nostri, aut saltem prætensionis reseruandæ gratia.* Vbi tamen rationem audire mallem, cur & Conradus archiepiscopus Moguntinus dextra eiusmodi globum duplicem teneat in numo bracteato, quem idem Cl. Olearius (c) in lucem protraxit. Tertius & quartus globum quidem in manu Imperatoris conspicuum etiam exhibent duplicem, attamen cruce destitutum & in minorem globulum desinentem. Quintus & sextus globum præferunt simplicem, sed cui loco crucis lilium insistit. Denique subiicitur numus, quem ex inscriptionis reliquiis ---ENRICVS-IMP---Henrici VI esse colligit laudatus Olearius. In eo quoque Imperator sedens globum præfert, sed cruce duplici insignitum, vt adeo mira appareat veterum in fingendis sceptris globisque inconstantia.

SIGILLA LOTHARII IMP.

XXIII. Ludouico Pio in Augusta dignitate successit Lotharius Imperator, cuius sigillum (*) Mabillonio (d) debemus, specimini cuiusdam diplomatis adpictum. Exhibet hoc Imperatoris, corona laurea incincti, protomen. Sed quum inscriptio non omnino esset integra, eam ex alio autographo cœnobii S. Mansueti prope Tullum hunc in modum suppleuit: XPE ADIVVA HLOTHARIVM AVG. Obiter hic moneo, eundem Mabillonium in eadem plagula dedisse specimen Diplomatis Lotharii II Regis, de cuius sigillo hæc subiicit: *Sigillum habet egregium autographum Lotharii Regis ex cœnobio Mettensi S. Arnulphi, cum inscriptione omnino simili patris sui Lotharii Imperatoris*: XPE ADIVVA LOTHARIVM REGEM. Hoc sigillum licet Mabillonius æri incisum dare superscderit, aliud tamen eiusdem Regis Lectori delineauimus, innexum diplomati, (e) quo anno D CCC LXVIII Cœnobii Sanmaximiniani libertatem stabiliuit. (**) Exhibet hoc Lotharii protomen imberbem & nulla corona instructam, cum lemmate: ✝LOTHARIVS. Non dubito, quin Zyllesius fugientes litterarum apices non satis assequutus inscriptionem nec totam, nec satis accurate dederit. Certe spatium, quod supereſt, argumento esse videtur, verba nonnulla omissa fuisse. Quod tamen ii videant, quibus ipsum sigilli prototypum conferre licuerit.

ALIVDQVE LOTHARII REGIS.

SIGILLA LVDOVICI GERMANICI

XXIV. Sed transeundum est ad Hludouicum seniorem, qui non Imperatoris, Regis tamen orientalis Franciæ, siue Germaniæ titulo vtebatur. Huius duo sigilla lucem viderunt industria Conringii, qui totidem eius diplomata accurate descripta aut depicta potius, & maioris fidei caussa, ceu loquuntur, *vidimata* publicoque ciuitatis sigillo notata, ab illustri republica Tigurina obtinuerat, dignaque iudicauerat, quæ adpendici Censuræ suæ diplomatis Lindauiensis (f) attexeret. Alterum, *quod datum est XII. Kal. Aug. anno XX regni domni Hludouici indict. I.* licet in Mageri *Aduocatia armata* (g) iam esset editum, visumque etiam Bartholomæo Schobingero, (h) qui clausulam cum monogrammate ex authographo descripserat: sigillo tamen vtrobique destituitur, quod demum nobis dedit laudatissimus Conringius. (†) Exhibet hoc Ludouici Regis caput in dextram conuersum, coronatum, & imberbe, cum collo nudo. Inscriptio ita concepta: ✝. XPE PROTEGE LVDOVICVM REGEM. Alterum sigillum, (††) quamuis diplomati, vix sex annis post illud prius exarato, (i) adhæreat, nonnihil tamen ab illo diuersum videtur. Nam & barba hic adparet satis prolixa, & coma promissior est, & laurea corona plane desideratur & pectus denique hic quoque vestimentis tectum habetur, quum in priore collum nudum, pectus nullum exprimatur. Inscriptio eadem cum illa superiore, nisi quod crux omittitur. Et pro LVDOVICVM scribitur LVDOUICVM. Vt vtrumque accuratius pernoscas, eorum tibi figuras damus.

I) CONRINGIANVM.

II) CONRINGIANVM.

CHARACTERES SIGILLORVM LVDOVICI GERM.

XXV. Ex his igitur Ludouici senioris sigillis sequentes hic notamus characteres:

I) *Sigilla Ludouici senioris* non minus, quam anteriorum Regum & Imperatorum, *esse oualia.*

II) *Faciem in iis conuerti in latus dextrum*, secus ac in illis Caroli ac Ludouici Pii.

III) *Bar-*

a) OLEAR. *Spicil. antiqu. I. p. 4. 5. 6.* b) SCHILTER. *lib. 3. de libert. eccles. Germ. c. 9. §. 7. p. 405.* c) OLEAR. *l. c. n. 20. p. 13.* *) *Tab. III. n. 12.* d) MABILLON. *lib. 5 tab. 30. n. 1. p. 403. de R. D.* e) *ap.* ZYLLES. *part. 3. l. c. p. 15.* **) *TAB. IV. n. 15.* f) CONRING. *Cens. Dipl. Lindau. p. 360. sqq.* g) MAGER. *Aduoc. arm. cap. 5. p. 155.* h) GOLDAST. *tom. 3. rer. Alem. p. 110.* †) *TAB. IV. n. 13.* ††) *TAB. IV. n. 12.* i) *dato 16. Cal. Mart. an. 26. Regni Hludowici Indict. 6.*

III) *Barbæ, vestium & coronæ non esse eandem vbique rationem.*

IV) *Formulam* XPE PROTEGE *etiam in Ludouici sigillis fuisse obseruatam.*

V) *Nunquam eum Imperatorem*, quod Wagenrekius Lindauiensis diplomatis hyperaspistes voluit, *sed semper* REGEM *vocari.*

VI) *Ludouici nomen non scribi eo modo, quem in patris sigillis inuenimus*, hoc est, HLVDOVICVS, sed LVDOVICVS. Quod tamen pro certo affirmare nolim. Videtur enim pictor in fingendis litteris sibi nonnulla indulsisse, quæ Conringius forte, si ipsa originalia vidisset, non fuisset permissurus. Quemadmodum enim forma literæ U, quæ in his sigillis non semel occurrit, procul dubio a pictoris manu est, qui perinde esse putauit, siue U siue V pingeret: ita quamlibet sponsionem fecerim, in originali non reperiri LUDOUICUM, sed HLVDOVICVM. In ipsis enim diplomatibus, quibus hoc sigillum annexum est, Rex semper scribitur *Hludouicus*, aliquando etiam *Hludowicus*, nec in aliis eius diplomatibus, quorum plura exstant, alia est scribendi ratio. Huc accedit, quod Heiderus ex Chronico MSC Tigurino Bullengeri obseruat, imaginem in sigillo hoc Ludouici ita esse circumscriptam: CHRISTE PROTEGE HLVDOVICVM REGEM. (a) Vt adeo vix dubitandum videatur, quin recentior orthographia nominis LUDOUICI, quæ in sigillis nostris se prodit, pictori potius, quam ipsi Ludouico sit tribuenda. (b)

SIGILLA CAROLI CALVI.

XXVI. Caroli Calui sigilla bina produxit Stephanus Baluzius, plumbeum alterum, e gazophylacio regio, (c) alterum cereum ex archiuo San-Dionysiano, (d) vtrumque elegantioris notæ, quamuis ab artifice non satis perito ligno videantur incisa. Plumbeum (*) in antica facie exhibet Caroli προτομὴν, nec diademate, nec laurea redimiti, cetera capillitio satis promisso instructi, cum titulo: ✠. GLORIA SIT XPO REGI VICTORIA CARLO. In auersa parte Caroli Monogramma, cum lemmate: ✠. IHV. (Iesu) NATE DeI CAROLVM DEFENDE POTENTER. Difficile esse autumat Baluzius, pronunciare, cuiusnam Caroli hæc bulla sit, attamen in ea se fatetur esse sententia, tribuendam esse Caluo: Nec me pœnitet illi in hac re accedere. Primo enim Petrus Sanjulianus in Tornutio (e) allegat sigillum Calui aureum, Byzantium vocat, in quo non minus ac in Baluziano altera facie exhibetur Caroli Calui protome, in altera eiusdem monogramma. Deinde Caroli M. facies ab hac est toto cœlo diuersa. Sed & Caroli Crassi bullas plane alias supra descripsimus. Vnde quis dubitet, hanc Calui esse? Sed scrupulum nobis iniicit Mabillonius, (f) qui hanc bullam plumbeam vix pro genuina habendam putat, eo quod illam sigilli vice adpensam fuisse, e nulla fissura adpareat. Quidquid sit, potest ectypon esse sigilli genuini. Antiquitatem enim Caroli Calui ætate dignam tum litteræ, tum sculptura demonstrant. Id quod luculentius adparet, si addas sigillum alterum cereum, (**) in quo eadem fere faciei occurrunt lineamenta, quamuis in hoc & seniles rugæ grauiorque vultus adpareant, & corona se offerat laurea, anteriorum Imperatorum Regumque exemplo reuocata. Titulus talis est: ✠KAROLVS MISERICORDIA DI IMPERATOR AVG. Ceterum nihil in hoc sigillo est, quod multum a Carolingicis ceteris abire videatur, nisi quod Carolus Caluus formulam XPE PROTEGE, quam in bulla obversum ita circumscripserat:

I. BALVZIANA.

Iesu Nate Dei Carolum defende potenter

in cereis primis omisit. Bina alia Caroli Calui sigilla dedit Mabillonius, alterum adhuc Regis, alterum iam Imperatoris; Illud (g) Caroli vultum exhibet sinistrorsum respicientem, cum inscriptione: ✠KAROLVS GRATIA DI REX. Hoc (h) eiusdem laureati protomen, monstroso naso horridam, cum lemmate: ✠KAROLVS MISERICORDIA DI IMPERATOR AVG. (***) An hoc sigillum posterius idem sit cum primo, quod a Baluzio est delineatum, non satis mihi compertum est. Inscriptio quidem eadem, magnitudo tamen alia, vultusque lineamenta tam diuersa, vt vix quidquam similitudinis inter sigilla Caroli Regis & eiusdem Imperatoris appareat. Cuius rei rationem ita reddit Mabillonius: *Caroli effigies in sigillo*

II. MABILLONIANA.

a) CONRING. *Censur. cap. 4. p. 58.* b) *Ex nuda coniectura iam hæc scripseram, quum in illustris Corbeiæ archiuo copia mihi fieret sigilli elegantissimi huius Hludouici, ex quo verum esse deprehendi, quod coniecer am. Habes eius ectypon* Tab. IV. fig. II. *In quo notabis & litteram V a pictore Tigurino conversam esse in U, & totam inscriptionem rectius legendam esse:* ✠ *XPE. PROTEGE HLVDOVICVM REGEM. Diploma, cui innexum est hoc sigillum, datum est anno 873* c) BALVZ. *Capitular. tom. 2. p. 1284.* d) Idem *Tom. 2. p. 1305.* *) *TAB. I. n. II.* e) *p. 510.* f) MABILL. *lib. 2. c. 16. n. 17. p. 142. de R. D.* **) *TAB. IV. n. 14.* g) MABILLON. *lib. 5. tab. 31. n. 1. p. 407. de R. D.* h) Idem *tabb. 32. p. 409. l. c.* ***) *TAB. III. n. 13. 14.*

ſigillo, quod vnicum Caroli Imperatoris reperimus, multum diſſimilis eſt ab eiusdem figura regia. Sed ſi quid erratum eſt, id imputandum primum cælatori, qui exemplar non bene expreſſit, neque vero diuerſa Romani cuiusque Imperatoris numiſmata, tametſi a peritis artificibus expreſſa, ex æquo ſibi reſpondent, vt aduertere licet in numiſmatibus familiarum Byzantinarum, apud eruditiſſimum Cangium.

SIGILLA CAROLI CRASSI.

XXVII. De Caroli Craſſi ſigillis nobis licebit eſſe breuioribus, quod iam ſupra de pluribus eius plumbeis copioſius actum eſt, quibus nunc addimus cereum, (*) quod nobis ex Paderbornenſi diplomate delineandum curauit Illuſtriſſimus Monumentorum Paderbornenſium Auctor. (a) Multum hoc abit ab anteriorum Imperatorum ſigillis. *Primum* enim quum ceteris regibus oualis figura fuerit in deliciis, Carolo Craſſo orbicularis magis fuit ad palatum. *Deinde* quum præter coronatam protomen in ceterorum Cæſarum Regumque ſigillis nihil fere adpareat aliud, Carolus Craſſus etiam ſcuto oblongo vti cœpit, atque vexillo, quæ inſignia poſtea Arnolpho quoque Imperatori placuerunt, cuius numiſma aureum exſtat apud Octau. de Strada, (b) in antica ſiſtens Imperatorem cum ſcuto rotundo, cui vel ſceptrum, vel haſtile vexilli inſiſtit, cum inſcriptione: ARNOLPHVS. REX, in poſtica monogramma Arnolfi cum inſcriptione: ✝. IMPERATOR. AVG. *Tertio* in hoc ſigillo Carolus Craſſus imberbis adparet, quod tamen in anteriorum Regum ſigillis genuinis eſt rariſſimum. Denique quum priorum Regum ſigilla fere ſemper non modo a cruce ordiantur, verum etiam formulam XPE PROTEGE, vel DEI GRATIA vſurpent ſollicite, in hoc Caroli ſigillo vtrumque deſideratur, ac tota perigraphe his abſoluitur: KAROLVS IMPERATOR. Ceterum coronæ, cuius pauca veſtigia ſuperant, eadem eſt, quo in ceteris Francorum Regum ſigillis, ratio. De plumbeis vide ſupra. (c)

SIGILLVM ARNOLFI CORBEIENSE.

XXIIX. Prôtulimus iam ſuperiore paragrapho Arnolfi numum, in quo Caroli Craſſi habitum animaduertimus. Id vero clarius iam patebit ex ipſo Arnolfi ſigillo, (**) nunquam adhuc edito, quod Reverendiſſimi ac Celſiſſimi Principis ac Præſulis Corbeienſis gratiæ debemus. Innexum eſt diplomati dato anno DCCCXC, & Arnolfi protomen coronatam ad pectus vsque exhibet, cuius a facie adparet vmbella, cui aut ſceptrum, aut vexillum inſiſtit, & inſcriptio ARNOLFVS REX. Vt ipſe iudices, ipſius ſigilli tibi typum æri inciſum damus. Non eſt, quod de ceteris e ſtirpe Carolingica oriundis Regibus dicamus amplius. Vt tamen habeas, quo te exerceas, e Mabillonio Tibi delineauimus ſigilla (***) Ludouici Balbi, (d) Caroli Simplicis, (e) Odonis Regis, (f) Zuenteboldi, (g) Ludouici Transmarini, (h) quæ tu ipſe ſpectabis.

SIGILLVM CONRADI I. CORBEIENSE.

XXIX. Conradi I, qui abrupta Carolingica ſtirpe primus rerum in Germania potitus eſt, ſigilla ſunt rariſſima, eo quod per breue Imperii ſui ſpatium, quod multis bellis fuit turbatiſſimum, pauca diplomata dedit, quæ quidem tulerint ætatem. Attamen abiecta fere omni ſpe, Conradino aliquo ſigillo potiundi, ſententiam meam ſuperauit ſæpius laudatum archiuum Corbeienſe, ad quod nunquam ſatis deprædicanda ſummi Principis clementia aditus mihi patuit. Habes inde ſigillum Conradi, (†) quale delineatum hic damus, innexum diplomati, dato anno 913. Notabis in eo Conradum dextra vexillum, ſiniſtra vmbellam nouo more geſtantem, cum epigraphe: coNRADVS rex.

SIGILLVM HENRICI AVCVPIS.

XXX. Eiusdem generis eſt hoc Henrici I ſiue Aucupis ſigillum, (††) quod ex eodem fonte manauit. Siſtit hoc etiam Henricum, cuius in dextra vexillum minimum, in ſiniſtra vmbella adparet cum perigraphe: HEINRICVS REX. Non temere videor mihi ſuſpicari, hoc ſigillum, (innexum diplomati, dato anno DCCCCXXII.) lectori fore quam gratiſſimum, eo quod nullum adhuc in lucem prodiiſſe meminerim, conſtetque, diplomata Henrici I eſſe rariſſima. Sane enim quum Quedlinburgi aliisque in archiuis eiusmodi ſigillum omni induſtria partim indagarim ipſe, partim amicorum opera curarim inquirendum, ſemper tamen actum egi, donec illuſtre Corbeienſe archiuum hanc ſitim meam reſtingueret.

QVID SIBI VELIT CLYPEVS ET VMBELLA?

XXXI. In his ergo ſigillis notari merentur vexillum & vmbella, quæ in anteriorum Regum ſigillis, ſi Carolum Craſſum excipias, non occurrunt. Atque hic denuo veterum numiſmatum aliquam rationem habitam reperio. Ab Antoninorum enim ætate nihil eſt in

 numiſma-

*) *TAB. IV. n. 16.* a) *Monument. Paderb. p. 208.* b) STRADA *lib. 3. numiſm. Imp. p. 385.* c) *cap. V. n. 10.* **) *TAB. 4. n. 17.* ***) *TAB. III. n. 15. 16. 17. 18. 19.* d) MABILLON. *tab. 33. n. 1. p. 411. de R. D.* e) Idem *tab. 33. n. 2. p. 411. l. c.* f) Idem *tab. 34. n. 1. p. 413. l. c.* g) Idem *tab. 35. p. 415. l. c.* h) Idem *tab. 36. n. 2. p. 417. l. c.* †) *TAB. 1. n. 18.* ††) *TAB. 1. n. 19.*

numiſmatibus Romanis frequentius, quam vt Cæſares ſiniſtra clypeum geſtent, variis nonnunquam figuris, aliquando etiam poſt Conſtantini M. ætatem monogrammate Chriſti ☧ exornatum. Vexillum vero licet in his numis ſit rarius, ſæpius tamen geſtant baculum quendam, quem, ſi adhærentem pannum in ſigillis adparentem exceperis, his vexillis deprehendes ſimillimum. Exempli loco poterunt eſſe numi Licinii, Conſtantini & Galli ab Octauio de Strada (a) delineati, quos ipſe vide.

SIGILLAOTTONIS M. I. SAGITTARII. II. ZYLLESII. III. CORBEIENSE. IV. ALIVD INEDITVM.

XXXII. Ottonis M. ſigilla accurate ſunt diſtinguenda. Aliis enim, adhuc Rex cum eſſet, vſus eſt; alio, quum iam Auguſtus vocaretur. Tria eorum vidi edita, vnum a Sagittario, (b) duo a Zylleſio; ſed cum ipſe quoque bina diuerſa nactus ſim, quæ cum editis non omni ex parte conuenire videntur, placet & ea accurate depicta dare, vt ipſe lector errores pictorum videat. *Primum* (*) quod cum Sagittariano idem videtur, depromtum eſt ex archiuo Corbeienſi, annexumque diplomati, dato anno DCCCC XXXVII. In eo ſiſtit ſe ad vmbilicum vsque Otto Rex barbatus & pallio ornatus, dextra vexillum, ſiniſtra vmbellam præferens cum titulo: ✝OTTO DI GRA REX. Alterum (**) cum Zylleſiano (c) maximam partem coincidit, & figuram habet non modo habitu a priore diuerſam, ſed & corona radiata redimitam. Perigraphe eadem, quæ in priore, præterquam quod hæc a cruce orditur & in crucem deſinit, hoc modo: ✝OTTO DI GRA REX ✝. Vt conſtet, vnde hoc ſigillum ad me peruenerit, inueniſſe me illud ſcito in binis Ottonis diplomatibus, quæ quum nunquam adhuc lucem viderint, hic edere non dubitamus, inprimis cum non eccleſiæ cuidam, ſed priuatis hominibus fuerint conceſſa, atque adeo ceteris ſint rariora.

CVM BINIS DIPLOMATIBVS.

In nomine Scae & indiuiduæ Trinitatis. Otto Divina favente Clementia Rex. *Noverint omnes fideles noſtri præſentes ſcilicet & futuri quomodo nos rogatv* FRIDERICI *fidelis noſtri cuidam nobili matronae nomine* Biae *ipſius videlicet matri. in propriv damus omnia quae ingereslevo hodierno die ad noſtrum jus pertinent in pago* ſvevia *in comitatu* crhiſtani. *hoc eſt curtile vnum in eadem villa & in eodem campo XL iugera & adhuc inquirenda nec non & VIII mancipia adalwer & hiltiburg cum filiis & filiabus ipſarum. Quod ſcripto confirmari iuſſimus & manu propria illud corroboravimus & anulo noſtro ſigillari praecepimus.*

Signum Domini Ottonis Invictiſſimi Regis



Poppo ad vicem friderici recognovi &

Data XII *Kl. Nov. Anno Dom incarn* D CCCC XXXVII *Indict.* XI. *Anno Ottonis pij regis* II *actu in* Alſteti Am.

In nomine ſcae & indiuiduę trinitatis Otto divina propitiante clementia rex. *Dinoſcant omnes fideles nri preſentes atque futuri qualiter dilecta coniux nra nomine* aetgid & luitulfus *noſter dilectus filius noſtras pulſaverunt aures poſtulantes ut quibusdam nri fidelis vaſalli* friduricі *filiis* folcmaro *videlicet &* richberto *quasdam res proprietatis nrę in pro-*

a) STRADA *l. c. p. 178. 182. 189.* b) SAGITTAR. *in fronte antiquit. Archiep. Magdeb.* *) *TAB. V. n. 1.* **) *TAB. V. n. 2.* c) ZYLLES. *part. 3. Defenſ. S. Maximin. p. 16.*

in proprium donaremꝰ. Eorum vero petitiones benigne ſuſcipientes dedimꝰ prefatis filiis folmacro *&* richberto *inter ſclavos prope fluvium* ſona *vocatum in pago* ſerimuntilante *nuncupato in comitatu* criſtiani *comitis villas* iiii. VIII rekiam. bodblozi. Zachliandorp. pochutikie, *nominatas cum omnib; appendiciis & adjacentiis ſuis juſte legitimeque ad eas-dem villas pertinentib; Curtilibꝰ edificiis. terris. cultis & incultis. agris. pratis. paſcuis. ſil-vis aquis aquarumve decurſionibus molendinis piſcationibus. viis & inviis. exitibus ac re-ditibus. queſitis & inquirendis. mobilibus & immobilibus. Iuſſimꝰ quoque inde hoc preſens preceptum conſcribi per quod volumꝰ firmiterque jubemꝰ. ut memorati filij friduricꝰ. folcmar & richbert de his omnibus noſtro dono illis in proprium conceſſis a modo & deinceps omni tem-pore liberrimam teneant poteſtatem. habendi. donandi. commutandi ſeu quicquid voluerint exinde faciendi*

Et ut hec nre largitatis condonatio firma & ſtabilis permaneat manu nia firmavimꝰ anu-loque inſigniri precepimꝰ

Signum domni Ottonis  invictiſſimi regis:



Brun cancellariꝰ ad vicem friduricꝰ Archicapellani recognovi

Data iij. *id. iunij anno dominicę incarnat* D CCCC XLV *indict.* iij. *regnante ſereniſſi-mo rege Ottone anno* viiij. *actu Magdeburg in dno feliciter, amen.*

Dudum iſthæc ſcripſeram, quum inciderem in Cl. *Io. Georgii Leukfeldi Antiquitates Pol-denſes*, in quibus & hæc diplomata vna cum nonnullis aliis in ſupplementum Antiquitatum mearum Goslarienſium edita inueni. Putaui tamen me facturum operæ pretium, ſi ex ipſis autographis deſcripta & hic legenda darem, vel eo nomine, vt ſpecimina eſſent Ottonianorum diplomatum. Quemadmodum igitur viro clariſſimo gratias hic publice ago, quod Anti-quitates meas hoc ſupplemento illuſtrare voluerit, ita & viciſſim eum ſcire velim, non hæc tantum, ſed & plura alia diplomata me tenere in ſcriniis, alii occaſioni deſtinata. Verendum enim erat, ne, ſi omnia tunc deſcribere voluiſſem, opus in maiorem excreuiſſet molem, quam vel bibliopolæ vel mihi placuiſſet.

V. ZYLLESIANVM OTTONIS IAM IMPERATORIS.

Omnia hæc ſigilla Ottonis M. tum prodierunt, cum nondum auguſta dignitate eſſet po-titus, quod tum data diplomatum, tum perigraphæ ſatis aperte loquuntur. Ex quo vero Cæſa-reum nomen Germanis reſtituit, aliud ſibi conficiendum curauit ſigillum, (*) quod eidem Zyl-leſio (a) debemus. Siſtit & hoc Imperatoris thoracatam effigiem, ſed coronati, & barba ſatis prolixa exornati, dextra non vexillum, ſed ſceptrum, ſiniſtra non vmbellam, ſed globum prægrandem ferentis cum lemmate: ✠. OTTO IMPERATOR AVGVSTVS. Diploma datum eſt *Non. Aprilis Anno Dnicæ Incarnationis D CCCC LXV Indictione VIII Anno Regni XXX Domini Imperatoris Auguſti Ottonis. Actum Ingelinheim palatio, in Dei nomine feliciter Amen.*

OTTONIS II. SIGILLA.

XXXIII. Ottonis II ſigilla (**) non niſi bina me videre memini a Zylleſio (b) edita, alterum ab Ottone adhuc Rege, viuo parente anno 963, alterum ab eodem iam Imperatore anno D CCCC LXXIV diplomatibus San-Maximinianis innexa. Prius minus

*) *TAB. V. n. 4.* a) ZYLLES. *part. 3. defenſ. Abbat.* S. MAXIM. *p. 22.* **) *TAB. V. n. 3. 6.* b) ZYLLES. *part. 3. l. c. 21. & n. 28.*

quidem, at elegantia nulli ſecundum, ſiſtit Regis προτομὴν decoro diademate redimiti, vultu iuuenili & liberali, cum lemmate: ✠. OTTO DI GRA REX. Poſterius paullo maius eumdem exhibet Imperatorem, eodem quidem diademate ornatum, ſed iam promiſſa barba inſignem, dextraque baculum, ſiniſtra globum crucigerum tenentem cum inſcriptione: ✠. OTTO IMP. AVG. Hæc ſigilla quum a ceteris, quæ hactenus retulimus, perquam ſint diuerſa, æri inciſa dabimus, vt ea, quæ de Ottone III deinceps dicenda erunt, eo rectius intelligantur.

OTTONIS III. SIGILLA I. KNAVTIANVM.

XXXIV. Pergimus ad Ottonem III, qui in ſigillis patrem auumque ſibi propoſuit imitandos. Exſtat eius ſigillum cereum in Cl. Chriſtiani Knautii, Archiatri Anhaltini, aureola diſſertatione de pagis Anhaltinis, (a) innexum diplomati, quo anno D CCCC XCVI Monaſterio Nienburgenſi quatuor manſos regales largitur. Non eſt, quod prolixa oratione hoc ſigillum (*) deſcribamus. Sufficiet dixiſſe, illud Ottonis II poſteriori ſigillo a Zylleſio delineato, vt ouum ouo eſſe ſimillimum. Vtrobique eadem facies, barba eadem, idem pallium, idem paludamentum, idem baculus & globus, eadem inſcriptio, corona quoque non multum diuerſa adparent, vt non dubitem, quin annulo parentis diploma Nienburgenſe Otto III ſignarit. Ottonis III certe hoc ſigillum non eſſe, duobus argumentis probo. Primo enim Otto III quum anno D CCCC LXXXIII Aquisgrani Carolinæ ſedi impoſitus ſolenni ritu inungeretur, vix annos habebat duodecim. Hinc quum anno D CCCC LXXXXVI diploma Nienburgenſe daret, annum agebat vigeſimum quintum. Iam quis ea ætate, ea iuuentute Imperatorem tam ſenilem & prolixam barbam per totam faciem aluiſſe credat? Deinde apertum eſt, Ottonem III alio ſigillo vſum eſſe, quod nobis Zylleſius ſeruauit, (b) innexum diplomati an DCCCCXC exarato. (**) Spectamus hic Imperatoris thoracatam effigiem. ſed iuuenilem, nullaque barba inumbratam, licet Otto quadriennio tunc fuerit ſenior. (***) Baculi loco dextra tenet ſceptrum in lilium deſinens, ſiniſtra globum, nulla cruce inſtructum. Iam corona longe alia apparet, & inſcriptio ita concepta: OTTO DI GRATIA REX. Quum igitur diploma Knautianum anno primo Imperii Ottonis III ſcriptum ſit, ita ſtatuo atque ita animum induco meum, tum Ottonem nondum proprium ſibi annulum Imperatoris titulo inſignitum fieri curaſſe, ideoque tantiſper adhibuiſſe annulum parentis, quod ſubinde factum eſſe, multis mihi exemplis compertum eſt.

CORONA IN ILLO OBVIA.

XXXV. Omnia hæc Ottonum ſigilla ab anteriorum regum ſigillis quam maxime ſe diſtinguunt, ſi ſpectes coronas, quibus incinguntur. Iam ſupra obſeruauimus, Carolum M. Imperatorem neglectis corollis gemmeis, quibus Conſtantinopolitani Imperatores & Merouingi in numis fere delectabantur, in vſum reuocaſſe laureas, vt antiquiſſimorum Cæſarum ſe ſucceſſorem oſtenderet. Eæ deinde licet conſtanter in ſucceſſorum ſigillis ſint adhibitæ, nonnunquam tamen inprimis in numis & bullis aliam inierunt rationem. Lotharius enim gemmea corolla, alii aureis coronis radiatis, iisque iterum diuerſorum generum vſi ſunt. Sed nullum adhuc reperi Imperatorem, eiusmodi corona redimitum, qualem Ottonis II & III ſigilla oſtendunt. Exſtat quidem apud Octauianum de Strada (c) numus Ottonis III, in quo imperator throno inſidens dextraque gladium, ſiniſtra pomum imperiale tenens etiam corona aurea & quidem triſulca incingitur, ſed longe alia ac plane inuſitata eſt forma in ſigillis Ottonum obuia, vt omnino eam in aliis fruſtra quæras: niſi forte conferas numos bracteatos, in quibus ob ſæculi ruditatem coronæ nonnunquam hunc in modum ſatis impolite effictæ ſunt, id quod patet ex binis Friderici Imperatoris, quos exhibet Cl. Olearius. (d)

II. AVREVM MABILLONIANVM.

XXXVI. Tria adhuc reſtant Ottonis III ſigilla; *Primum* aureum elegantiſſimum, ſecundum & tertium plumbea, quorum & hic formas contemplari aut certe mente conſiderare licebit. *Primum* debemus Mabillonio, (e) idque in antica exhibet effigiem Ottonis III, corona non modo laurea, ſed & aurea redimiti cum hac perigraphe: OTTO IMPERATOR AVGVSTS, in poſtica eandem cum vexillo & ſcuto, hacque inſcriptione RENOVATIO IMPERII ROMANORVM. *Secundum* plumbeum annexum eſt Ottonis diplomati, quo Imperator reiectis Conſtantini aliorumque fabuloſis donationibus ipſe bonorum Romanæ eccleſiæ recenſum inſtituit. Diploma hoc primus anno M CCC XXXVIIII Benedicti Papæ XII iuſſu Aſſiſii in lucem protraxit Ioannes de Amelio Foroiulienſis Archidiaconus, qui & bullam

III. PLVMBEVM IO. DE AMELIO.

a) KNAVT. *de pag. Anhalt. n. 61. p. 37.* *) *TAB. V. n. 7.* b) ZYLLES. *part. 3. l. c. p. 28.* **) *TAB. V. n. 8.* c) STRADA *lib. 3. l. c. p. 405.* d) OLEAR. *ſpicil. antiqu. I. n. 3. 4. p. 5.* e) MABILLON. *ſupplem. lib. de R. D. c. 9.*

bullam plumbeam diplomati huic appensam hunc in modum describit: (a) *Inter alia vero elegimus ac vidimus & diligenter inspeximus quoddam priuilegium cum quadam BVLLA PLVMBEA parua inpendenti, siue in fine dicti priuilegii cum pergameno alligata. In qua quidem bulla ab vna parte in circumferentia eius dem scriptum erat OTTO IMPERATOR ROMANVS, alia vero parte erat quoddam caput hominis cum pilis crispis & cum spatulis, scriptumque erat in circumferentia: AVREA ROMA, vt prima facie apparebat.* Non ignoro, Baronium hoc diploma abolitum malle, atque ideo omni industria illud impugnare: sed quum omnia eius argumenta nihil habeant tanto hiatu dignum, dudumque a Frehero aliisque eruditis sint explosa: nihil quidem prohibet, quo minus hanc bullam genuinam agnoscamus. *Tertium* itidem plumbeum denuo Mabillonio (b) debemus, qui illud in diplomate Metensis cœnobii S. Felicis inuenit. *Exhibet illud ex vna parte thoracem Ottonis Imperatoris cum redimiculo gemmeo, tribus lineis superne distincto, sub hac inscriptione:* OTTO----IMPERATOR AVGVSTVS, *ex alia eius dem effigiem thoracatam cum laureo serto in capite, & cum vexillo in dextra, & vmbone in sinistra, sub hac epigraphe:* IMPERII ROMANORVM. Vbi tamen legendum esse RENOVATIO IMPERII ROMANORVM eo minus dubito, quo magis hoc sigillum cum illa bulla aurea, paullo ante laudata conuenit.

IV. PLVMBEVM MABILLONIANVM.

XXXVII. Ex his bullis, secundam eligimus, de qua nonnulla hic dicamus, quum prima & vltima ad illas pertineant, quarum iam supra prolixius fecimus mentionem, insignitas nimirum perigraphe: RENOVATIO REGNI FRANCORVM, vel RENOVATIO IMPERII ROMANORVM. At plumbea hæc prima est, quantum recordor, cui inscriptum: AVREA ROMA. Quum igitur hæc formula posterioribus temporibus in Imperatorum æque ac Pontificum bullis sit frequentissima, iuuat hic in eius originem inquirere.

QVID SIBI VELIT IN IMP. SIGILLIS AVREA ROMA?

Primo igitur obseruamus, *Imperatores Romanos* summum imperium in vrbem testaturos *sæpius Romam numismatibus suis insculpendam curasse.* Sic in Popilii Nepotiani Cæsaris numismatibus (c) se offert figura sedens, sinistra baculum, dextra victoriolam tenens, cum inscriptione: VRBS ROMA. Eiusdem generis numus est ille Fl. Attali Cæsaris, (d) cuius in antica caput Attali cum perigraphe: PRISCVS. ATTALVS. P. F. AVG. in postica Dea Romanorum tutelaris, throno insidens, sinistra baculum, dextra victoriolam tenens, cum inscriptione: INVICTA. ROMA. ÆTERNA. infra CONOB. His quoque addendus numus Fl. Iulii Nepotis, (e) ex altera parte exhibens effigiem Cæsaris, cum inscriptione: D. N. IVL. NEPOS. P. F. AVG. ex altera figuram galeatam, dextra baculum, sinistra victoriolam tenentem, cum inscriptione: VRBS ROMA. Numi huiusmodi plures ex Patino, Vaillantio aliisque numariæ rei scriptoribus possent proferri, nisi res esset in propatulo.

OBSERVAT. I.

Iam vero *secundo* obseruamus, *alios quoque*, qui ex eo tempore Roma sunt potiti, *hanc priscorum Cæsarum sollicitudinem imitari consueuisse.* Pertinet huc Ildoualdi sexti Gothorum Regis numus æneus, ab eodem Octauiano de Strada delineatus, (f) cuius in anteriore parte adparet V maiusculum cum perigraphe: D. N. THEODORICVS----in auersa, effigies thoracata galeata, in pectore littera R. notata, cum inscriptione: INVICTA ROMA.

OBSERVAT. II.

Hunc igitur *morem*, id quod *tertio* looc obseruatu dignum existimamus, *etiam Carolus M. & successores non putarunt negligendum*, qui vt se quoque vrbis dominos testarentur, & ipsi in bullis suis numisque ad veterem plerumque elegantiam compositis, Romæ facere voluerunt mentionem. (g) Non semel iam supra diximus, de bulla plumbea Carolina Domini le Blanc, cuius in auersa parte occurrit ciuitas, cui subscriptum ROMA, & per orbem RENOVATIO ROMAN. IMP.

OBSERVAT. III.

Vbi *quarto* notamus, *Carolo religiosissimo Principi placuisse, loco Deæ tutelaris* in anteriorum Cæsarum numismatibus sæpius occurrentis *ipsam ciuitatis figuram insculpere*, Christianis magis dignam. Quem deinde morem tanto consensu in sigillis suis seruarunt posteriores Cæsares, vt si a sola hac Ottonis III bulla discesseris, vix alio schemate expressam obseruemus Romam, quam ciuitatis. Vt adeo non tam mirum sit, cur Otto Romæ in bulla fecerit mentionem, quam cur simulacro Deæ cuiusdam tutelaris eam exprimere

OBSERVAT. IV.

a) *ap.* BARON. *ad ann. 1191. tom. 12. p. 847.* b) MABILLON. *lib. 2. cap. 16. n. 17. p. 142. de R. D.* c) STRAD. *l. c. l. 1. p. 191.* d) Idem *l. c. p. 217.* e) Idem *l. c. p. 227.* f) Idem *lib. 1. p. 232.* g) *Vid.* LE BLANC *dans la Dissertat. sur quelques monoyes &c.*

primere voluerit, a quo tamen Christiani reges, licet aliquam veteris Romanæ elegantiæ haberent rationem, constanter abstinuerunt?

OBSERVAT. V. *Sed vnde inscriptio AVREA ROMA?* Sane non a metallo, ex quo sigilla eiusmodi constant, quum etiam bullæ plumbeæ exstent eodem titulo superbientes, nec ex numis auctoribusque antiquis, in quibus sæpius quidem Roma audit ÆTERNA, INVICTA, DEA, DIVA, nunquam vero, quod ego quidem obseruarim, AVREA. Quod tamen epitheton aliis Diuis tributum est, (quemadmodum in numis Iulii Vindicis (a) est VENVS AVREA.) Restat igitur, vt in media ætate acquiescamus, qua quidquid magnificum aut excellens erat, aureum consueuit appellari: id quod docet CORBEIA AVREA Francica, cuius ad exemplar Corbeia noua in Saxonia condita est. Igitur Romani Imperatores non alia de caussa, quam vt Romæ se dominos faterentur, aureæ Romæ in sigillis suis meminere.

OBSERVAT. VI. *Vltimo* & hoc notari meretur, *quod sequiore æuo Pontifices quoque ius hoc sibi tribuerint*, ex quo sibi vrbis Romanæ dominium cœperant vindicare. Exstat in tabulariis Ecclesiæ SS. Simonis & Iudæ Goslarienſis diploma Victoris PP. a me iam in Antiquitates Goslarienses (b) relatum, cui appensa est bulla plumbea, in antica exhibens caput Pontificis, cum inscriptione TV PRO ME NAVEM LIQVISTI, SVSCIPE CLAVEM, in postica castellum, cui adscriptum AVREA ROMA. cum perigraphe: ✠. VICTORIS PAPE II. Quem titulum & Nicolai II Pontificis bulla obseruamus repetitum, quam nobis depinxit Io. Pallatius. (c) Adeo nec in publicis quidem monimentis Pontifices Romani, pleno quod aiunt, gradu ad dominatum impotentissimum contendentes, celare potuerunt animum regnandi, quam pascendi, cupidiorem.

HENRICI II. SIGILLA. I. CORBEIENSE. II. ZYLLESIANVM. XXXIIX. Proximum sibi locum deposcit Henricus II, qui vel a vitæ sanctimonia, vel a profusa in clerum liberalitate Sancti nomen tulit. Eius sigillum inueni in archiuo Corbeiensi, sed quibusdam locis mutilum, nec quod ad cælaturam, satis conseruatum. At eo integrius est San-Maximinianum illud Treuerense a Zyllesio (d) delineatum, quod cum Corbeiensi video penitus coincidere. (*) Primum hoc est sigillum, in quo Imperator integrum se, thronoque insidentem sistit, quum antea solas thoracatas figuras solerent effingere. *Caput dia-*

DIPLOMA EIVSDEM. *demate cinctum, dextra sceptrum breuius, sinistra globum tenet.* Inscriptionem vtrobique mutilam ita suppleo: ✠ heinricus DI. GRA. ROMANORVM. IMP. AVgustus. Quum nuper inciderim in diploma Henrici II, sigillo licet non satis integro, superioribus tamen simili munitum, placet hoc antiquitatis monimentum hac occasione cum lectore beneuolo communicare, vt veluti specimen sit Henricianorum diplomatum.

In nomine Scæ & individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Rex. *Notum sit omnibus fidelibus nris psentibus scilicet & futuris. qualiter nos per interuentum quorunda fidelium nrorum* Bernhardi *videlicet Ducis* Arnolffi *venerabilis Epi. Comitisque Geronis. quoddam nri juris pdium id est viginti regales mansos ultra albiam in territorio* Zerbiste *in comitatu p dicti* Geronis *sitos. & in locis his* Droganize Lirubusize. Uuize. *cuidam fideli nro* Folcmaro *per hoc regale pceptum in proprium donavimus. cu omnibus pertinentiis legalibus. areis. mancipiis utriusq; sexus. terris cultis & incultis. pratis. pascuis sive compascuis. silvis. venationibus. aquis aquarum decursibus. piscationibus. molendinis. viis & inviis. exitibus & reditibus. quesitis & inquirendis ac cęteris. que quolibet modo rite vocari possunt utensilibus & appendiciis sive reditibus. eo tenore. quatinus p fatus Folcmarus libera de eodem pdio habeat potestatem. possidendi hereditandi tradendi vendendi commutandi vel quicquid sibi libeat faciendi. & ut haec nrae traditionis auctoritas stabilis & inconvulsa permaneat. hanc p cepti pagina nri inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impssione insigniri jussimus.*

Signum

a) *ap.* STRAD. *l. 1. p. 40.* b) *Ant. Gosl. lib. 1. p. 64.* c) PALLAT. *de gest. Pontif. p. 316.* d) ZYLLES. *l. c. part. 3. p. 32.* *) *TAB. V. n. 10.*

Signum Domni Heinrici Regis  inuictissimi.

Egilbertus Cancellarius vice UUilligisi Archicancellarii recog.

Dat. IV. *Idus Maji. Anno dominicae incarn.* M°. iij°. *Indict.* I. *Anno vero Domni Heinrici Regis* I. *Actum Ualbach.*

XXXIX. Progredimur ad Conradum II siue Saliquum, ad quem, abrupta Saxonica stirpe summa rerum transiit. Huius igitur sigilla denuo aliam, quam anteriorum Regum præ se faciem ferre, patet ex his, quæ hic exhibemus. *Primi* non nisi breuem descriptionem debemus Madero, (a) qui recensito Conradi diplomate, ecclesiæ Numburgensi concesso, de sigillo hæc addit: *In sigillo Conradus in sella cum pomo & corona Imperiali sedens conspicitur.* Iam vero cum hac descriptione confer alia sigilla Conradi, & videbis, quantum differant. *Alterum* (*) horum doctissimo Tenzelio debemus, qui quum primus diploma eius, Ludouico Thuringiæ Comiti concessum, ex ipso autographo protulerit in lucem, sigillum etiam, licet non satis conseruatum, adiecit, (b) quo, vt cum Tenzelio loquar, *conspicitur Imperator in solio sedens, & altera manu lilium seurosam, vt mauult Schilterus,* (c) *altera baculum regalem tenens.* Perigraphes pleraque perierunt. Supersunt tamen hæ litteræ: CVONR----PERATOR, ex quibus iam supra titulum ita restituimus: CVONR*adus di gra im*PERATOR. Dignum hoc esse sigillum, quod integrum haberetur, nemo facile negabit. Hinc non pigebit, illud aliunde supplere. Zyllesius (d) delineauit sigillum Conradi II, innexum diplomati dato anno MXXVI, quo nondum coronam augustalem Româ attulerat. In hoc eodem fere schemate se offert Conradus, diademate pallioque insignis, & throno insidens, dextraque baculum in lilium desinentem, sinistra florem, siue lilium tenens, cum perigraphe: ✠ CHVONRADVS D⁻I GRATIA REX. Vtrumque Regis gestamen, tum lilium, tum baculus, rarum quiddam, nec tamen plane est insolitum. Lilium enim sæpiuscule in numis bracteatis occurrit, sed præcipue tamen in iis, quos fieri fecere Episcopi, Abbates & Abbatissæ. Tenet eiusmodi florem Conradus Archiepiscopus Moguntinus, (e) tenet Agnesa Abbatissa Quedlinburgensis, (f) tenet Cæcilia, Abbatissa Northusana, (g) aliique plures religiosi, quorum numos nunc allegare non licet. Constat etiam, sanctos diuosque vrbium tutelares cum flore siue lilio in numis bracteatis conspici. Liquet id ex numis Halberstadiensibus a Cl. Oleario editis, (h) in quibus non semel S. Stephanus effingitur lilium siue rosam ferens, quibus addo numum XVI bracteatum Goslariensem, (i) in quo SS. Simon & Iudas apostoli adparent, lilium gerentes. Sunt etiam penes me plura monasteriorum ecclesiarumque sigilla, in quibus sanctorum imagines lilia rosasque ferunt, de quibus infra seorsim erit agendum. Equidem ex his satis superque liquet, florem eiusmodi ad religionem sanctitatemque eorum, quibus additur, potissimum pertinere, atque adeo non nisi sanctis religiosisque personis tribui, quorum sanctimonia vitæ sæpius medio æuo cum flore odorifero solet comparari: Sed quid sibi volunt eiusmodi lilia, si Principibus aut Imperatoribus tribuuntur? Idem sane non adeo infrequens est in numis bracteatis. Cl. Olearius in laudato Spicilegio I Antiquitatis (k) delineauit numum Alberti Ducis Saxoniæ, in quo hic princeps sedens dextra lilium, sinistra librum tenet, gestamina sane religiosis quam principibus frequentiora, cum hac epigraphe: ALBERTVSo ELECTDSo, hoc est, *Albertus Elector, Dux Saxoniæ*: Sed & hic locum habere rationem, a sanctitate ac religione petitam, his verbis docet laudatus Olearius: *Est forsan hic Albertus ille religiosus, ceu liber & lilium in manibus innuere videntur, cuius coniux Helena cœnobium Franciscanorum & templum anno Christi 1238. fundauit Wittebergæ, in quo non hæc solum ipsa, sed & filius, Albertus II. Elect. Sax. est sepultus.* At vero idem de Imperatoribus florem gerentibus dice-

SIGILLA CONRADI SALIQVI. I. MADERIANVM.

II. TENZELIANVM.

QVID SIBI VELIT FLOS IN SINISTRA REGIS?

a) MADER. *Antiq. Brunsu. p. 218.* *) *TAB. VI. n. 2.* b) TENZEL. *suppl. 2. hist. Goth. p. 388.* c) SCHILTER. *lib. 3. de libert. eccl. Germ. c. 9. n. 7.* d) ZYLLES. *l. c. part. 3. p. 34.* e) OLEAR. *Spicil. antiqu. 1. n. 10. p. 13.* f) *Ibid. n. 24. p. 15. & Anastas. Agnet. Abbat. Quedlinb. p. 6.* g) SCHLEGEL. *de num. Isen. Mulhus. & Northus. p. 145.* h) OLEAR. *spicil. antiqv.* i) *Vid. syllog. nostram numor. Gosl. tab. 1. n. 16.* k) OLEAR. *Spicil. 1. n. 13. p. 10.*

dicere non licebit, nisi & Fridericis excellentiorem vitæ sanctimoniam tribuere velis. Exstant apud Mabillonium sigilla aliquot Regum Franciæ, in quibus hi reges itidem lilium dextra præferunt, sed ad recentiorem modum formatum, quale solet occurrere in Regum Franciæ insignibus. Sed nec hæc quidem ad imperatores nostros. Licet enim laudatus Mabillonius (a) hoc lilium regiæ potestatis insigne putet, idque etiam a Pontificibus florem aureum in manu gerentibus obseruatum scribat, idem tamen ad Imperatores nostros vix poterit adplicari. Cur enim Reges Franciæ lilium, Pontifex Romanus rosam auream præferant, omnibus puto constare. At de Imperatoribus nostris aliud erit dicendum. Licebit igitur proferre coniecturam, quæ mihi e numis bracteatis subnata est. Habes apud Cl. Olearium (b) quatuor numos Friderici Imp. in quibus omnibus Imp. dextra florem tenet; sed hic in propatulo est, rudes artifices non florem, sed sceptrum liligerum voluisse sculpere, quod tamen cum breuiore manubrio capiteque prolixiore more suo fingerent, amphoram nimirum instituere, vrceusque exiuit. Possem id pluribus illustrare sigillis, nisi res ipsa loqueretur. Quæ quum ita sint, non est, quod dubitemus, quin & in hoc Caroli II sigillo non lilium, sed sceptrum, licet paullo breuius, sit intelligendum, quod siniſtra quoque nonnunquam teneri solitum, docent numi bracteati. Sed quid fiet tunc gestamini dextræ, quod Cel. Tenzelius de sceptro explicauit? Sane oculo iudice dextra nihil gerit aliud, quam baculum rectum, nulla sui parte sceptro similem. Solet enim sceptrum semper aut in lilium definere, aut in aquilam; hic neutrum obseruatur; Et quamuis in Zyllesiano sigillo baculus in florem siue lilium desinat, sceptrum tamen nunquam adeo terram versus conspicitur gestari, quemadmodum hic fieri videmus. Ex quo non immerito concludere videmur in Conradinis his sigillis dextræ gestamen esse sceptrum, siniſtræ baculum. Solent equidem vulgo sceptra cum baculis regalibus confundere, eaque habere pro synonymis: sed constat tamen, mediæ ætatis scriptores illa probe distinguere, Regibusque ac Imperatoribus præter sceptra etiam tribuere baculos, quos & virgas nonnunquam vocabant. Monachus Sangallensis in vita Caroli M, baculos hosce ita describit: *Tum baculus* (Regibus Francorum) *de arbore mali, nodis paribus admirabilis, rigidus, & terribilis, cuspide manuali ex auro vel argento cum cælaturis insignibus præfixo portabatur in dextra.* Annales Francorum Bertiniani: (c) *Hludouicus & Carolus germana caritate, convenientes, tanto amoris vinculo deuincti apparuerunt, vt alter alteri baculos publice tribuendo Regum vxores & liberos superstiti commendaret.* Meminit quoque Ditmarus (d) *concambii mutuis baculis firmati.* Vbi non intelliguntur sceptra, sed baculi regales, a sceptris multum diuersi. Sed longe dilucidiorem addo locum ex annalibus Bertinianis: (e) *Præsentata sunt Imperatori ab apostolico transmissa dona, inter quæ fuerunt præcipua sceptrum & baculus aureus.* Si horum baculorum formam conspicere aueas, adeundus tibi erit Stephanus Baluzius, (f) exhibens Carolum Caluum in sede regia, simplicem baculum in siniſtra tenentem, qui superius in globulum, inferius vero desinit in cuspidem, qualis effigies est & illa Lotharii ibidem intuenda. Hunc ergo morem a Francis acceptum deinde retinuerunt etiam ceteri Imperatores, id quod non modo ex sigillis Ottonis II & Henrici III mox a nobis explicandis patet, sed & ex hoc elegantissimo loco Witekindi: (g) *Proinde procedit pontifex cum rege,* (Ottone I.) *tunica stricta more Francorum induto, pone altare, super quod insignia regalia posita erant, gladius cum baltheo, chlamys cum armillis, BACVLVS cum sceptro & diademate.* Quæ quidem abunde probare puto, baculorum vsum, vna cum sceptris dudum in Germania viguisse. Conferenda hic omnino, quæ de baculis regalibus erudite, hoc est suo more, disserit Mabillonius. (h)

NON FLOREM, SED SCEPTRVM NOTAT.

GESTAMEN DEXTRÆ NON SCEPTRVM, SED BACVLVS EST.

BACVLVS REGALIS QVALIS?

III. KNAVTIANVM PLVMBEVM

XL. Elegantissimum porro Conradi II sigillum, quod vltimo hic describimus, est bulla illa plumbea, a Cl. Christiano Knauth Archiatro Anhaltino descripta, (i) cuius ideo ipsa verba repetere iuuat: Denn vor ihr (Habecha Aebtißin zu Gernrode) gedachtes Marggrafen Eckarti Schwester, Adelheidis, Aebtißin zu Gernrode und die andere so in der Zahl gewesen, welche ihre confirmation über des Stiffts Güter und Freyheiten, von Käyser Conrado II durch Vorbitt seiner Gemahl Giselæ anno 1029. 10. Calend. Septemb. zu Wahlhausen erlanget hatte. An dieser confirmation hangt ein BLEJERN SJEGEL, in welchem auff der einen Seiten des Käysers Bild, halb mit der Brust zu sehen, mit dieser Uberschrifft: CHV-

a) MABILLON. *lib. 2. c. 17. n. 4. p. 145. de R. D.* b) OLEAR. *l. c. n. 2. 3. 4. 6. p. 5. 7.* c) *Annal. Bertin. ad ann. 849.* d) DITMAR. *l. 7. p. 99.* e) *Annal. Bertin. ann. 876.* f) BALVZ. *Capitul. Reg. Franc. tom. 2. p. 1267.* g) *lib. 2. p. 642. ap.* MEIBOM. *tom. I. rer. Germ.* h) MABILLON. *lib. 2. c. 17. n. 3. p. 144.* i) KNAVT. *lib. 2. Antiquit. Comit. Ballenstad. & Aschersl. c. 28. p. 102.*

CHVONRADVS, Dei gratia Romanorum Imperat. Augustus, auff der andern Seite stehet ein Bild mit dem gantzen Leibe, in der rechten Hand einen dreyzinckichen Spieß, in der lincken Hand aber ein Schild haltend, mit dieser Uberschrifft: HEINRICVS SPES IMPERII. Hæc laudatus Knauthius, qui vtinam ipsam huius sigilli figuram eo, quem in dissertatione de pagis Anhaltinis sequutus est, more delineasset! Iam supra obseruauimus, aureas plumbeasque Cæsarum bullas habere plerumque quiddam, antiquis Romanorum numismatibus simile. Id vero etiam ex hac elegantissima bulla liquet, quæ ipsa elegantia originem suam prodit. Nihil enim est in numis principum iuuentutis formula ista frequentius, quia in illis *non res laudandæ* est, *sed spes*, vt ait Cicero apud Seruium. Vt pauca tantum exempla proferam, numus Diadumeni (a) sistit figuram gradientem cum lilio & inscriptione: SPES PVBLICA. Numus Faustæ Augustæ (b) exhibet mulierem, duos pueros vlnis gestantem cum lemmate: SPES REIP. Huc pertinet etiam numus æneus Tetrici Iunioris, (c) cuius in antica conspicitur caput Cæsaris coronatum, cum inscriptione: C. DIVES TETRICVS. CÆS. in postica figura gradiens, dextra lilium, aut alium florem ferens, cum titulo: SPES AVG. Similem numum etiam Conrado II, hoc sigillum fingi iubenti, fuisse ante oculos, dubio omni carere existimo.

SIGILLA HENRICI III.

XLI. Proximum sibi locum deposcunt sigilla Henrici III Regis, II Imperatoris, vt se in diplomatibus vocat, cuius complura exempla in antiquitatibus nostris Goslarienſibus edidimus in lucem. Quum tamen non omnium autographa viderimus, ea vero, quas vidimus, membranæ sigilla non satis integra haberent, cogimur iis iam esse contenti, quæ ab aliis sunt descripta delineataque. *Primum* ergo locum meretur aurea bulla, diplomati a Wil. Heda (d) recitato adpensa, quam ita describit Buchelius in notis: *Huius bullæ formam Nicolaus Schoonhouianus Archiuorum olim Traiectensium custos expressit; videlicet ab vna parte continebatur caput Imperatoris barbatum & coronatum ad scapulas vsque, extensa dextera manu, cui insidebat auicula quædam, ab altera vero erat vrbis Romæ simulacrum. Dicitur autem ipsa bulla ab Hollandis, postquam vrbs & prouincia Traiectensis se in protectionem Caroli Imp. dedisset, cum aliis monimentis nonnullis ablata.* Haberemus credo alterum AVREÆ ROMÆ exemplar, si aut Schoonhouianus aut Buchelius inscriptiones in vtraque sigilli parte obuias addidisset. Quod quum factum non sit, nihil est, quod de hoc sigillo dicamus amplius, quam quod illi Ludouicianæ Lindenbrogii sit simillima, atque adeo auis dextræ Imperatoris insidens non fuerit auicula nuda, sed sceptrum consulare, cuius manubrium breuius intra manum procul dubio fuit reconditum, pars vero eminens oculos Schoonhouiani fefellit. Talia enim sceptra huius æui Imperatoribus familiarissima, quia breuiora plerumque erant, sæpius aut pro auiculis tantum, aut pro floribus habita, supra notauimus, vbi Ludouici Pii bullam Lindenbrogianam, & Conradi II sigillum Tenzelianum expendimus. Quemadmodum vero iam initio huius capitis maximum diximus discrimen inter bullas Cæsarum eorumque sigilla cerea esse: ita & hoc notatu dignum est, quod inter cerea etiam huius Imperatoris sigilla non minor se differentia offerat. Papebrochius (e) ex Zyllesio (f) allegat diploma, ab Henrico III Treuerensibus concessum, *datum VIII. Kal. Aug. anno Incarnat. Domini Millesimo XLIII*, (g) *Indict. XII. anno autem Domni Henrici tertii ordinationis eius XVI Regni vero I.* (h) vbi simul sigillum æri incisum exhibet. (*) Conspicitur in eo Henricus sedens, dextra manu siue rosam, siue sceptrum liligerum, sinistra vero globum tenens, cum hac perigraphe: HEINRICVS DEI GRACIA III REX ROMANORVM. Sed quantum ab hoc differt illud, quod vidit Maderus? (i) *in quo sedet Rex in sella, dextra sceptrum cum insidente aue, sinistra vero pomum Imperiale tenens.* Nec minus ab horum vtroque diuersum est aliud, cuius typum accurate æri incisum inusitatæ ac feliciſſimæ Domini Tenzelii (k) diligentiæ debemus. (**) Sistit hoc Henricum in throno sedentem, alteraque manu rosam, (mallem sceptrum liligerum) altera baculum Regalem tenentem, cum inscriptione: ✠ HEINRICVS TERCIVS DI. GRA. REX. Iam igitur si inter se contendas horum sigillorum typos ac descriptiones, maximum se tibi discrimen in gestaminibus offeret. In Vltraiectino enim Imperator sceptrum consulare; in Treuerensi liligerum

I. VLTRAIECTENSE AVREVM.

II. TREVERENSE.

III. MADERIANVM.

IV. TENZELIANVM.

a) PATIN. *Num. Imp. p. 326.* b) Id. *ib. p. 468.* c) Id. *ibid. p. 428.* d) HEDA *Hist. Vltraj. p. 126.* e) PAPEBROCH. *Propyl. tom. II. April. n 51.* f) ZYLLES. *part. 3. defens. Abbat. Sanmaximin. p. 36.* g) *ap.* ZYLLES. *habetur 1044.* h) *Ap.* ZYLLESIVM *est quinto.* *) *TAB. VI. n. 4.* i) MADER. *Antiquit. Brunsuic. p. 221.* k) TENZEL. *suppl. hist. Goth. II. p. 407. sq.* **) *TAB. VI. n. 3.*

rum & globum imperialem; in Maderiano ſceptrum conſulare & globum; in Tenzeliano denique ſceptrum liligerum & baculum geſtat. Quamuis igitur Dn. Tenzelius ſceptrum liligerum non raro ex pictorum oſcitantia natum velit, putetque ſæpius eueniſſe, vt ductibus tenuioribus in cera vel non ſatis expreſſis, vel temporis diuturnitate obliteratis, pictores pro aquila alas eleuante, caudamque & caput deprimente, lilium aut roſam videre ſibi viderentur: haut dubito tamen, quin ipſe ſigillum ſuum, quod æri incidi fecit, accuratiſſime inſpexerit, in quo tamen nihil deprehendo, ex quo aquila concipi poſſit. Hinc rectius meo quidem iudicio ſtatuere videbimur, ſæculo iſthoc ſceptra modo conſularia, modo liligera fuiſſe adhibita, quod vel ex ſolis Henrici III numis patet, in quibus vix aliter, quam cum ſceptro ſiue liligero, ſiue crucigero conſpicitur, quum tamen in ſigillis etiam conſulare aliquando teneat. Hæc ſunt ſigilla maiora Henrici III, quæ quidem mihi adhuc ſe obtulerunt. Poſſem etiam addere ſigillum Secretum, cuius in Charta Eccleſiæ Niuellenſis anno M. LIX. meminit Henricus IV huius filius: Sed quum initio huius capitis (a) de eo egerimus, & forma plane non ſit deſcripta, non eſt quod plura hic adiiciamus.

S. SECRETVM HENRICI III.

SIGILLA HENRICI IV.

XLII. Henricum III excipit quartus, patrem filius, cuius ſigilla, vt hic etiam intueamur, ordo iubet inſtitutique ratio. Atque vt ab editis ordiamur, primum ſe nobis offert ſigillum (*) cereum, quod æri inciſum in polita diſſertatione de pagis Anhaltinis dedit Cl. Knauthius. (b) Conſpicitur in illo Imperator coronatus paludatusque, throno inſidens, dextra ſceptrum triumphale, ſiniſtra globum Imperialem tenens, cum perigraphe ✠ HEINRICVS DI GRATIA REX. At vero hoc ſigillum quoties ſpecto, non poſſum aliter ſentire, quam quod fugientes linearum ductus multum fefellerint pictoris oculos. Facile id quiuis perſpiciet, cui volupe eſt, aliud Henrici ſigillum, (**) quod Zylleſius (c) exhibuit, tertiumque, quod nos alio loco ex ipſo autographo accurate æri inciſum dedimus, (d) cum hoc Knauthiano conferre. (***) Inueniet longe aliam in his, quam in illo, coronæ formam, cumque corona in illo obuia, parum differat a mitra, in his triſulcam eſſe. Inueniet globum cruce ornatum, qua in illo deſtituitur, thronum porro habitumque longe alium, litteras denique non tam rudes pinguesque, quales in illo occurrunt, ſed multo elegantiores, inprimis litteræ *u* in Zylleſiano & noſtro nullum veſtigium. Ipſam denique inſcriptionem non nihil ab *illa Knauthii differre* animaduertet. In Zylleſiano enim noſtroque ſigillo ita legitur: ✠. HEINRICVS DI GRA REX. Sed omnium maximum diſcrimen in eo conſiſtit, quod in Knauthii typo Heinrici facies barba admodum promiſſa ac pæne luxuriante deturpetur, quum in noſtro æque ac Zylleſiano nulla barbæ nec vola nec veſtigium adpareat. Et quamuis reſponderi poſſet, noſtrum diploma datum eſſe anno MLXIII, quo Henricus in puerili ætate conſtitutus nonniſi XIIIum annum agebat, Zylleſianum anno MLXV, quo XV annorum erat, Knauthianum vero anno MLXXIII, atque adeo decennio integro ſerius prodiiſſe: nondum tamen rem confectam puto. Eſt enim mihi aliud Heinrici diploma eidem eccleſiæ SS. Simonis & Iudæ anno MLXVIIII conceſſum, atque adeo non niſi quadriennio recentius illo Knauthiano, in cuius ſigillo, (†) (quod a priore illo meo, ſi formam ſpectes, non adeo multum, attamen, ſi magnitudinem conſideres, haut parum differt, atque hinc reuera ab illo diuerſum eſt,) Heinricus non minus, quam in priore imberbis adparet. Vt oculorum iudicio eo commodius vtatur Lector, placet ſigillum meum vna cum Zylleſiano & Knauthiano æri inciſum ſuppeditare. Procul dubio ab his diuerſum fuit ſigillum, quod in archiuo Gothano vidiſſe ſe teſtatur Mellenius; (e) ſiquidem in eo Imperator non ſceptrum triumphale, ſed liligerum geſtat, in huius Imp. ſigillis aliis non facile obuium, ſed quum pro alite facile potuerit lilium ſibi concipere, iudicandi onus iis relinquimus, quibus ſigillum hoc coram intueri, ac cum noſtris conferre licuerit.

I. KNAVTHIANVM.

II. ZYLLESIANVM.

III. ALIVD INEDITVM.

XLIII. Bulla Henrici IV mihi iam nulla ſuccurrit alia, quam illa a Caſp. Bruſchio commemorata, incertum, aureane, an plumbea. Vt rem rectius capias, licebit eam ipſis Bruſchii (f) verbis deſcribere: *Immo* Abbas Fabarienſis *conſequutus eſt priuilegia Bruſſellæ in Brurenio Sueuiæ tractu ab Henrico IV anno 1060. Vni horum ſigillorum ab vna ſuperficie inſcriptus eſt hic verſiculus*:

IV. BVLLA BRVSCHIANA.

Roma

a) *n.5.* *) *TAB. VII. n. 2.* b) KNAVTH. *n. 10. p. 4.* **) *TAB. VII. n. 1.* c) ZYLLES. *l. c. part. 3. p. 4.* d) KNAVTH. *lib. 1. antiquit. Gosl. p. 75. Tab. 1. fig. 5.* ***) *TAB. VI. n. 6.* †) *TAB. VI. n. 5.* e) MELLEN. *Epiſt. de antiquis Thuring. numiſm. ad. Sagittar.* f) BRVSCH. *Chronol. Monaſt. p. 182.*

Roma caput mundi regit orbis frœna rotundi.

Alteri ſuperficiei ineſt hæc inſcriptio:

CHRISTE PROTEGE HENRICVM REGEM.

Male profecto legentium curioſitati conſuluit Bruſchius, dum ſolis recenſitis ſigillorum perigraphis ipſas imagines & ſculpturas omittit. Si tamen coniicere ac diuinare licet, altera ſuperficies Henrici protomen; altera caſtellum ſiue vrbis ſimulacrum habuit. Ceterum vtraque inſcriptio eſt notatu digna. Antiquiſſimum enim hoc eſt ſigillum, cui verſiculus in recentioribus Cæſarum bullis frequentiſſimus inſcriptus adparet. Idque eo magis videtur mirum, quod quum anno MLX, quo diploma hoc exaratum eſt, Heinricus nondum coronam Romæ quæſiuiſſet, tamen Romæ ſe dominum ferebat, egregium hoc ipſo daturus documentum, non pendere a nutu pontificis Auguſti Imperii maieſtatem, ſed diuinitus conceſſam videri, ſimul ac Germaniæ regnum cuidam fuiſſet procerum ſuffragiis demandatum. Nec minus obſeruari & hoc meretur, quod Imperatori in vſum reuocauit formulam primorum Imperatorum Francicorum XPE PROTEGE tanto temporis interuallo non vſurpatam. Animaduertebat nimirum Imperator, ſola ſapientia ſenex, ætate pæne puer, in tanta procerum iniquitate mediaque rerum omnium perturbatione, totque ſeditionum iam occulte ſpirantium periculis non poſſe ſe non facere naufragium, niſi protectione auxilioque Chriſti tanquam remigio tutus, fluctus procellasque imminentes enavigaret.

SIGILLA HENRICI V.

XLIV. Patri optimo imperium auſu parricidiali extorſit Henricus V, quocum & Salica Cæſarum ſtirps iuſto Dei iudicio exſpirauit. Huius ſigillum nullum, quod ſciam, in lucem prodiit aliud, quam illud, quod Zylleſius diplomati Sanmaximiniano, dato anno M C XII innexum inuenit (a) ærique inciſum dedit. (*) Throno in hoc Henricus inſidet coronatus, imberbis elegantique tum tunica talari, tum pallio veſtitus, dextra ſceptrum liligerum, ſiniſtra globum tenens cruce ornatum, cum perigraphe: ✠. HEINRICVS DĪ GRĀ ROMANORVM IIII IMPR. AVG. Enimuero quum Domini Præpoſiti Grauhoffiani beneficio bina huius Henrici diplomata in antiquitatibus Goslarienſibus (b) ediderim, non incongruum erit hoc loco, non quidem ipſos ſigillorum typos, quibus ipſe deſtituor, attamen deſcriptionem, qualem in Copiali adiectam inueni, ſuppeditare. De altero ſigillo pauca hæc lego: *Henricus V. ſedens in throno in dextra ſceptrum, in ſiniſtra globum mundi geſtat.* De altero vero hunc in modum: *Henricus ſedet in throno & dextra effigiem Chriſti, ſiniſtra effigiem mundi geſtat, cum epigraphe:* ✠ HENRICVS DI GRA QVARTVS ROM. IMP. SEMPER. AVG. Circa hæc ſigilla plurima forte eſſent monenda, ſi ipſas membranas videre ac luſtrare licuiſſet. Videndum enim eſſet in hoc poſteriore, an titulus SEMPER AVG. reuera ſit adſcriptus, qui in diplomate ipſo non occurrit, nec in Zylleſiano ſigillo inuenitur. Conſiderandum porro, qualis illa effigies Chriſti ſit, quam dextra geſtet Imperator. Nullum enim videre me memini ſigillum aut numum, in quo eiusmodi ſe mihi obtulerit Regum Cæſarumue geſtamen. (c) Si vero ſignum Chriſti crucifixi hic intelligitur, licet res non careat exemplo, quum & Orientalium & Occidentalium Cæſarum plures ſuperſint numi, in quibus ipſi Crucem geſtant, veterum Byzantinorum exemplo, qui hoc ſigno tanquam victoriæ teſſera, omnium maxime delectabantur, non dubito tamen, quin ſceptrum paullo prolixiore lilio inſtructum pro cruce habuerint ii, qui ſigillum hoc deſcripſere. Interea liceat mihi huc referre pietatem Rudolphi I. Cæſaris, qui in conſecrationis ſuæ ſacris principum fidem ſibi iuramento deuincturus, quum ſceptrum abeſſet, crucifixi Chriſti imaginem ſceptro antehabuit. Lubet hac de re audire Henricum Steronem: (d) *Rudolphus* in Romanum Regem

2. GRAVHOFFIANA.

 electus

a) ZYLLES. *l. c. part. 3. p. 50.* *) *TAB. VII. n. 3.* b) *Antiq. Gosl. lib. 1. p. 110. & 116.* c) *Scripſeram hæc, quum vltro ſe mihi offerret locus* CONRADI *Abbatis Vrſpergenſis, ex quo multam lucem hoc ſigillum capit. Plane enim inde poterit reddi ratio, cur Henricus V in ſigillis ſuis vti voluerit cruce, quoniam nimirum inter imperialia inſignia, inſolito ante hæc tempora exemplo etiam crux illi fuit oblata. En! eius verba, quæ p. 247. occurrunt:* Cui (*Henrico IV, a filio per fraudem capto*) quum legati communionem ſeu pœnitentiæ modum absque generalis ſynodi & apoſtolicæ diſcuſſionis cenſura reddere ad præſens non poſſent, ipſe partis vtriusque conſiliis annuens, Regalia vel imperialia inſignia, CRVCEM ſcilicet & lanceam, ſceptrum, globum atque coronam filii (*Henrici V.*) poteſtati tradidit. *Vides igitur, Crucem hic primo loco inter imperialia inſignia nominari, quæ alii aliter recenſent.* d) HENR. STERO *annal. anno 1273. p. 388. ap.* FREHER. *tom. 1.*

electus *ſtatim exegit a Principibus clericis & laicis fidei iuramentum. Quod quum recuſarent propter ſceptri abſentiam, ipſe electus ſignum crucis accipiens, talia dixiſſe fertur: Ecce ſignum, in quo nos & totus mundus eſt redemtus, & hoc* SIGNO *vtamur* LOCO SCEPTRI. *Et deoſculata cruce, omnes Principes tam ſpirituales, quam ſæculares, ipſam* CRVCEM LOCO SCEPTRI *oſculantes, recipientes feuda ſibi fidelitatis iuramentum præſtiterunt.*

SIGILLA LOTHARII.

XLV. Stirpe Salica cum Henrico V exſtincta, ſumma rerum non ſtatim penes Hohenſtauffios gente Sueuos eſſe cœpit, ſed veluti intercalaris rerum potitus eſt Lotharius Saxo, cuius ſigilla proximum iam eſt ut expendamus. Primo ergo ſe nobis offert typus, quem Meibomius æri inciſum tomis ſuis Rerum Germanicarum præmiſit. (*) Exhibet hic equidem Lotharium more ſolito throno inſidentem, dextraque ſceptrum, ſiniſtra globum tenentem, ſed habitu admodum diuerſo. Primo enim coronæ huic in omni antiquitate vix ſimilis occurret, quum non modo radii ſint admodum inſoliti, ſed & ex vtraque parte per tempora dependeant terni globuli, tintinnabulis ſimiles. Deinde ſceptrum nec in aquilam, nec in lilium, nec in crucem, quod anterioribus Regibus ſolenne erat, deſinit, ſed in florem ſatis prolixum. Quod vt rectius conſideres, ipſum ſigillum tibi denuo delineandum curauimus. Perigraphe ita concipitur: ✠ LOTHARIVS. DEI. GRATIA. III. ROMANOR. IMPR. AVG. Hoc ſigillum cuinam diplomati adpenſum ſit, nondum habeo compertum. Id tamen liquet, tum demum illud a Lothario receptum eſſe, quum Imperatoris titulum ex Italia retuliſſet. Vt igitur ſcias, quali antea vſus ſit, en tibi aliud, (**) ex binis diplomatibus Richenbergenſibus, a me iam in Antiquitatibus Goslarienſibus editis, accurate expreſſum. In his licet idem fere habitus, eadem corona adpareat, nec dependentes e corona globuli deſint, habitus tamen & inſcriptio plane ſunt diuerſa. Ita enim ſe hæc habet: ✠ LOTHARIVS DEI GRATIA III ROMANORVM REX.

I. MEIBOMIANVM.

QVÆSTIONES NONNVLLÆ HISTORICÆ.

XLVI. Hæc ſigilla ſpectaturis nonnihil forte dubitationis ſuboriri poterit, quod hoc loco erit adimendum præoccupandumque. Quæritur ergo

I. Cur Lotharius, qui ſecundus erat Romanorum Rex & Imperator, tertium ſe ipſe tum in diplomatibus, tum in ſigillis vocare maluerit?

II. Quid ſibi velint ornamenta illa, quæ tintinnabulorum inſtar e corona vtrinque dependent?

I. CVR LOTHARIVS SE VOCET REGEM III?

Vt igitur primæ quæſtioni ſatisfaciamus, omnino mirum eſt, Lotharium ſe primo tertium Romanorum Regem, deinde & Imperatorem vocaſſe, quum tamen nullum ante ſe eiusdem nominis habuerit vel Germaniæ Regem, vel Imperatorem, niſi Hlotharium, Hludouici Pii filium, qui tamen nunquam Germania potitus eſt, ſed vtramque Italiam, Romanam & Longobardicam, Auſtraſiam & Narbonenſem Galliam cum imperatoria dignitate in auitarum poſſeſſionum diuiſione accepit. Sed ſciendum eſt, ad Lotharium noſtrum non ſolum pertinuiſſe Germaniæ Regnum, ſed & Auſtraſiam, antiquiſſimum Imperii Germanici patrimonium, quod & ad Caroli IV tempora juris Germanici fuit. Hoc igitur reſpectu iure ſe Lotharius vocauit tertium Regem:

Lotharius enim I. eſt ille Ludouici Pii maior natus filius, Auſtraſiæ cum Gallia Narbonenſi & Italia Dominus.

Lotharius II, Lotharii I ex Hermingarde filius, qui patre anno D CCC LV religioni ſe dante, ex paterna hæreditate ſortitus eſt Auſtraſiam, ab ipſo vel patre nomen Lotharingiæ habituram.

Lotharius III, noſter, de quo iam loquimur, ad Auſtraſiæ Germaniæque imperium ſimul Principum ſuffragiis euectus.

CVR IMPERATOREM III?

Sed quo iure ſe Imperatorem III vocauit, quum ex anteceſſoribus eius, quos iam recenſuimus, non niſi primus Auguſta dignitate reſplenduerit, ſecundo nimirum anguſtis Auſtraſiæ terminis incluſo? Hic quidem fateor me hærere. Quamuis enim ſæculo X contra Rodulfum evocatus Hugo comes Arelatenſis, Italiæ regno potitus Lotharium filium ſibi adiungeret, qui mortuo parente, ſolus non niſi biennio Italiæ præfuit: (a) neſcio tamen, an hunc Italiæ Regem in Imperatorum numerum referre poſſis, quum iuſtiore titulo Auguſta dignitas tum penes Ottonem M. eſſet. Sed quum inualeſcente indies barbarie etiam accuratiorem hiſtoriæ notitiam non ſatis perſpectam haberent Germani, facile Lotharius in numerandis anteceſſo-

*) *TAB. VII. n. 4.* **) *TAB. VII. n. 5.* a) SIGON. *lib. 6. regn. Ital.*

anteceſſoribus ſuis, qui eodem nomine ac dignitate ſplenduiſſent, errare potuit ac decipi, vt adeo hodie, reſtitutis litteris, rectius Imperator ſecundus quam tertius ab accuratioribus hiſtoricis vocetur.

II. QVID SIBI VELINT GLOBI E CORONA PENDENTES?

XLVII. Iam vt ad alteram quæſtionem deueniamus, quæ globulos ex corona pendulos ſpectat, notandum eſt, Imperialem coronam id habere præ aliis ſingulare, quod ſub illa mitra quædam capiti ſoleat imponi, cuius faſciæ vtrinque per tempora defluant eo modo, quem in Pontificum corona ſeu regno epiſcoporumque infulis obſeruamus. Probat id ex Chronico Ceccanenſi (a) Carolus du Freſne, (b) vbi anonymus auctor de Ottone ita loquitur: *Oddo coronatus Imperator, veſtitus imperialibus veſtimentis ſacratis*, MITRATVS & CORONATVS *iuit cum D. Papa.* Sed rectius curioſus Lector id ex ipſa ſigillorum a nobis delineatorum inſpectione diſcet, ſi poſteriorum Regum coronas voluerit accuratius intueri. Has igitur faſcias per aures defluentes Lotharius ornamentis quibusdam ſæculo ſuo dignis exornare volens, globulos iſtos adiecit, quorum vices hodie forte retia illa artificioſa, aut lemniſci ſupplerent. Equidem non dubitarem aſſerere, hosce globulos tintinnabula eſſe, quæ Imperator, tanquam ornamenta, medii æui hominibus ſolennia, coronæ adpenderit, dummodo certius conſtaret, ecquando cœperit iſte mos ridiculus obſeruari. Si Bucelini imagines genuinæ ſunt, quas Germaniæ ſacræ inſeruit, (c) omnino ſtatuendum erit, iam a ſæculo XI eiusmodi campanulas potentioribus fuiſſe in deliciis, id quod etiam ex imaginibus comitum Hennebergiæ atque Hollandiæ, a Tenzelio (d) allegatis, itemque ex inſigni effigie Adolfi IV Schawenburgenſis, a Petro Lambecio (e) delineata, poſſet quodammodo colligi. At vero, quum earum imaginum antiquitas non ſit adeo certa, luculentiſſimaque ſuperſint teſtimonia, quæ ſæculo XV potiſſimum iſtum morem inualuiſſe diſerte docent, (f) malim ornamenta ex corona Cæſaris defluentia de globulis quibusdam, quam tintinnabulis aureis interpretari. Scio equidem & Schlegelium (g) hunc ritum tintinnabula gerendi, longe facere antiquiorem, eumque in finem aliquot loca ex Apuleio, (h) Niceta Manuele (i) & Arnoldo Lubecenſi (k) adducere: ſed nondum lectori ſatisfactum puto. Apuleium enim altero ſtatim a nato Chriſto ſæculo floruiſſe inter omnes conſtat, atque adeo eius locus ad medium æuum haut ſpectat. Cetera vero teſtimonia omnia loquuntur de tintinnabulis in equorum phaleris atque tegumentis, quæ vti in numis æque ac ſigillis non obſcure notamus expreſſa, ita antiquiſſima eſſe negare haut poſſumus. (l) Sed alia ratio humanarum veſtium eſſe videtur, de quibus quum auctores ante ſæculum XV taceant, ex ſolis imaginibus, quarum antiquitas dubia eſt, iudicare vix licebit. Ceterum tantopere ſibi hiſce nolis & campanulis placuere antiqui, vt omnibus pæne rebus, quas ornatas cuperent excellentius, ea adpenderent. Equitum præcipue baltheis annecti ſolita, ex *Thomæ Rouſe FæcialiBelgico, Grammaii Louanio* & multis antiquis epitaphiis & picturis docet Doctiſſimus Auctor Iurisprudentiæ Heroicæ. (m) Miſſa vetus ex Codice Ratoldi Abbatis Corbeienſis: *Super hæc quoque miniſtretur ei* (Epiſcopo) *tunica, gyris in TINTINNABVLIS mirifice referta.* Vnde adparet, etiam in ſacris, Leuitici forte cultus intempeſtiua æmulatione, veſtes eiusmodi adhiberi conſueuiſſe. Cuius rei exemplum hodienum etiam videre eſt in armamentariis eccleſiæ SS. Simonis Iudæ Goslarienſis, in qua labarum olim in proceſſionibus adhibitum, auro eleganter pictum, plurimisque campanulis argenteis admodum ſonoris exornatum, aſſeruatur, curioſisque offertur ſpectandum.

EXCVRSVS DE TINTINNABVLIS VESTIBVS OLIM POTENTVM APPENSIS.

SIGILLA CONRADI III. IKNAVTHIANVM.

XLVIII. Lothario III ſine maſcula prole exſtincto, ex Hohenſtauffia gente primus ad imperium adſpirauit Conradus, cuius ſigillum ex Nienburgenſi diplomate anno M. C. XLIII. dato, expreſſum æri incidi curauit Doctiſſimus Knauthius. (n) (**) Conſpicitur in hoc Conradus, corona denuo diuerſa redimitus, throno diuerſo inſidens, dextra ſceptrum cruciforme, ſiniſtra globum præferens, cum perigraphe: ✠. CVNRADVS. DI. GRA. ROMANO-

a) *Chron. Ceccan. ad ann. 1209.* b) DV FRESNE *part. 2. Gloſſ. L. p. 590.* c) BVCELIN. *Hiſt. Agilolfing. p. 383. 414.* d) TENZEL. *Suppl. 2. Hiſt. Goth. p. 246.* e) LAMBEC. *lib. 2. Orig. Hamb.* f) *Annalium Vrſinianorum Continuator MSC. bibliothecæ Francofurtenſis a* TENZELIO *l. c. exſcriptus: Anno 1400* biß daß man ſchrieb 1430, ward ein ſo groſſer Uberfluß an prächtigen Gewant und Kleidunge der Fürſten, Graffen, Ritter und Knechte, auch der Weiber, als vor niemals gehöret worden. Da trug man ſilberne Faſſungen oder Bänder mit groſſen Glocken von 10. 12. 15. und bisweilen von 20. Marcken ꝛc. g) SCHLEGEL. *diſſ. de numis Iſenac. Mulhuſ. & Northuſ. p. 9.* h) APVLEI. *lib. 10. metamorph.* i) NICET. *lib. 6. n. 4.* k) ARNOLD. *lib. 2. c. 16.* l) *Vid.* MELLEN. *Epiſt. ad Sagitt. de antiquis quibusd. num. Thuring. anno 1678. Ien. 4.* m) *Auct. Iurisp. Heroic. part. 1. artic. 8. p. 403.* n) KNAVTH. *diſſ. de pag. Anhalt. n. 84. p. 54.* **) *TAB. VIII. n. 2.*

MANORVM. REX. III. Sed quum pictor in delineando hoc sigillo denuo plurimum aberrarit, facturus videbor operæ pretium, si aliud eiusdem Conradi hic in lucem protulero,

II. GOSLARIENSE INEDITVM.

innexum diplomati, anno M. C. L. ecclesiæ SS. Simonis & Iudæ Goslariensi (a) concesso, quod tam integrum reperi, vt omnia oris lineamenta quam accuratissime supersint, ex quo itaque næui, in sigillum Knauthianum incuria pictoris inuecti, omnium rectissime corrigi poterunt. (*) Perspiciet in eo curiosus lector coronam quidem satis accurate a pictore expressam, at e contrario omissas esse fascias globulis ornatas, e corona vtrinque pendentes, a pictore vero Knauthii in capillos prolixiores commutatas, qui in nostro sigillo multo breuiores sunt. Obseruabit etiam barbam ex ingenio suo Conrado adfinxisse pictorem, quæ in sigillo nostro non adparet, aliquot tantum annis recentiore. Pallii quoque totiusque paludamenti aliam esse in nostro sigillo rationem, animaduertet. Sceptrum porro non cruciforme, sed lilio in quinquefolia expanso ornatum inueniet. Denique inscriptionem non tantum longe elegantioribus litteris compositam, verum etiam nonnihil diuersam notabit. In nostro enim illa ita se habet: ✠ CVNRADVS° DI GRA° ROMANOR⁻V. REX. II. Leuia quidem hæc forte videri possent, & nullius momenti, attamen, quum in sigillis non minus, quam in numismatibus, accuratior delineatio omne punctum ferat, non plane negligenda.

CVR CONRADVS III. SE VOCET SECVNDVM

XLIX. Non sane expeditum est, cur Conradus III se in sigillis vocare soleat secundum, quum tamen duos habeat antecessores eiusdem nominis Reges, Conradum nimirum Salicum & Conradum Francum, quos nemo non fatetur iure Germanis præfuisse. Videor equidem Cl. Knauthium in sigillo suo legere sibi visum esse CONRADVM III. Sed huic emendationi non modo sigillum nostrum, sed & ipsum diploma, in quo Knauthius sigillum hoc reperit, repugnat. Hoc enim ita orditur: *Conradus diuina fauente clementia secundus Romanorum Rex.* Cuius generis & cetera sunt huius Regis diplomata, a Lindenbrogio, Schatenio, Cel. Paulini atque a me ipso etiam edita, in quibus non aliter ac secundus, nunquam tertius vocatur. Cuius facti sui quas habuerit rationes, ægre profecto diuinaueris. Cunradum certe II omittere non potuit, quippe qui non modo Regis, verum etiam Imperatoris Rom. titulum dignitatemque est consequutus. Primum ergo ex hoc numero exulare oportet. Sed quam ob rem? Nisi omnia me fallunt, in ea sententia Conradus III fuit, Conradum I, qui omnem Italiæ curam omiserit, solique Germaniæ precario imperarit, non posse Romanorum Regem vocari. Quod quamuis sit ita comparatum, vt & antiquo mori repugnet, quum eandem ob causam etiam Henricus I ex Romanorum Regum catalogo esset expungendus, cuius respectu tamen Henrici semper se vocarunt secundos, tertios, quartos, quintos, sextos ac septimos: ferendi tamen sunt antiquorum errores, maximam partem ex solidioris historiæ jurisque publici ignorantia profecti; ita tamen, vt nobis hodie in tanta litterarum luce impune Conradum hunc tertium vocare liceat.

SIGILLA FRIDERICI I

L. Conradum ex eadem gente Hohenstauffio-Sueuica sequutus est Fridericus, cui rufa barba Ahenobarbi siue Barbarossæ nomen fecit, princeps, quo nec prudentiorem vllum, nec manu fortiorem, nec seruantiorem denique suæ maiestatis humana potest memoria recordari. Huius diplomata quum fere innumera lucem viderint, merito mireris, sigilla pauciſſima simul fuisse delineata, aut saltem descripta. In his primas sibi partes suo quodam iure vindicat bulla aurea, quam nobis, qua est in vetustis diplomatibus inquirendis expendendisque solertia, seruauit ὁ πάνυ Mabillonius. (b) Exhibet illa in altera parte Imperatoris protomen cum inscriptione: FRIDERICVS DEI GRA ROMANORVM IMPERATOR AVGS. in altera ciuitatem Romanam, cum perigraphe: ROMA CAPVT MVNDI REGIT ORBIS FRENA ROTVNDI. Quum vero in hac bulla nihil occurrat, quod non iam a nobis sit explicatum illustratumque: absque ambagibus progredi licebit ad cerea. Elegantissimum igitur est illud, quod nobis describit Lehmannus, (c) innexum splendidissimo illi diplomati ac priuilegio, quod Spirensis ciuitas anno M. C. LXXXII a laudatissimo Cæsare impetrauit, dignumque habuit, quod aureis litteris æneæ tabellæ incisum portæ maioris ecclesiæ affigeret. Quum vero Lehmannus nullum eius sigilli dederit typum æri lignoue incisum defectum hunc tantisper supplebunt ipsa Lehmanni verba, quæ hic dicamus: Das Sigill dieſes Priuilegii iſt im rothen Wachs mit dieſen Worten: *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator*

I. BVLLA AVREA MABILLONIANA.

II. CEREVM LEHMANNIANVM.

a) *Vit. Antiquit. m. Gosl. l. 2.* *) *TAB. VIII. n. 1.* b) MABILLON. *suppl. 1. de R. D. adpend. 2.* c) LEHMAN. *lib. 5. Chron. Spir. cap. 64. p. 531.*

tor Augustus: In der Mitte ist des Käysers Bildnüß auff einem Stul sitzend, in der rechten einen Scepter, in der lincken den Reichsapffel haltend mit des Käysers gewöhnlicher Unterschrifft, durch sonderbare characteres unterzeichnet. Tertium delineauit nobis Zyllesius, (a) in quo Imperatoris & corona & sceptrum & globus aureus & pallium & zonæ & armillæ & thronus innumeris gemmis exornata videntur. Inscriptio hæc est: ✠ FREDERIC9 DEI GRA ROMANO IMPERATOR AVGS. Nobis quoque in manus inciderunt bina diuersa huius Imperatoris sigilla, (*) quorum vtriusque dare placet delineationem. Inscriptio vtrobique eadem: FREDERICVS. DEI. GRA. ROMANOR. IMPERATOR. AVGS.

II. ZYLLESIANVM.

IV. ALIA DVO INEDITA.

LI. In his sigillis omnia iam abunde explicata puto. Nec quidquam illa habere videntur, quod ab aliis magnopere discedat. Id modo singulare habet Spirense Lehmannianum, quod monogramma Imperatoris, si recte Lehmannum capio, in eo adparet, quod vix in aliis obseruabis. Vnde quæritur, num & in sigillis monogrammatibus, quæ signa vocabantur, locus fuerit? Atque hic quidem obseruamus, in numis quoque monogrammatum vsum esse frequentissimum. Non dicam iam de numis Byzantinis, in quibus monogrammata dudum inuenit Carolus du Fresne, (b) sed de recentioribus saltem, siue Germanicis, e quorum numero sunt illi Lotharii Imperatoris, (c) Ludouici Iunioris, (d) Caroli Calui, (e) Ludouici III, (f) Caroli Crassi, (g) Arnulfi, (h) Ottonis I. (i) Ottonis III, (k) Heinrici Sancti, (l) Henrici IV, (m) Heinrici V, (n) Henrici, Conradi III Filii (o) ipsiusque Friderici nostri, (p) Henrici VI. (q) Atque adeo toto fere illo tempore, quo monogrammata eiusmodi in diplomatibus adhibita sunt, etiam in numis sunt vsurpata. Quamuis igitur a numis ad sigilla non adeo prona sit consequentia: non vno tamen specimine puto me adhuc demonstrasse, quanta sit inter vtraque similitudo. Sane eodem pacto, quo in numis, etiam in sigillis potuere describi, inprimis quum Lehmannus id non obscure testetur. Ne tamen plane exemplis aliis videamur destitui, tam occidentalibus, quam orientalibus principibus id fuisse solenne constat. De his testantur acta sextæ synodi Constantinopolitanæ, vbi de allatis in medium Marii epistolis, Cæsaris sigillo communitis, ita scribitur: (r) Καὶ ἐπεδόθησαν δύο χαρτία ἐσφραγισμένα ἀπὸ κηρίς, ἐκτυπῶντα MONOΓPAMMON Κωνσταντίνε δεσπότε, ὡσάυτως δὲ καὶ τὰ προδηλέμενα κωδίκια, τὴν αὐτὴν σφραγῖδα ἔχοντα. *Et porrecte sunt chartæ, habentes sigillum ex cera, exprimens MONOGRAMMON Constantini Domini, similiter autem & præmemorati codices, idem sigillum habentes.* Huc pertinent etiam ea, quæ post in actione XV (s) narrantur: Καὶ προεκόμησεν ὁ αὐτὸς εὐλαβέστατος Πολυχρόνι@ χαρτίον βεβαλλομένον διὰ βέλλας ἐκτυπέσης MONOΓPAMMON Πολυχρονίε ὁμολογητῦ. *Et protulit idem religiosus Polychronius chartulam bullatam, bulla exprimente MONOGRAMMVM Polychronii confessoris.* De occidentalibus antiquissimum exemplum habeo Symmachi, qui monogrammate suo, seu nomine litterarum implicatione contracto se signasse ipse haut obscure testatur, (t) scribens ad Flauianum fratrem: *Cupio cognoscere, an omnes obsignatas epistolas sumseris eo annulo, quo nomen meum MAGIS INTELLIGI, QVAM LEGI promtum est.* Pariculum huic sigillum fuit Auiti Viennensis, de quo ipse: (u) *Si quæris*, inquit, *quid insculpendum sigillo? Signum MONOGRAMMATIS mei, per gyrum scripti, nominis legatur indicio.* Eiusdem generis annulum signatorium ex Antonio Bosio (x) describit Chiffletius. (y) Sed & Caroli Calui bullas in postica monogrammate signatas, supra ex Petro Saniuliano & Baluzio dedimus. Quibus exemplis satis perspicuum est, hunc ritum in oriente æque ac occidente fuisse frequentissimum.

MONOGRAMMATA IN SIGILLIS ET NVMISMATIS APPARENT.

LII. Fridericum excepit Henricus VI filius, relicto nonnisi impubere filiolo Friderico II, exstinctus. Mirum ergo, quantum ab eius morte Germania inter diuersa studia fluctuarit. Pars Philippum, Henrici VI fratrem, pars Ottonem IV, Henrici Leonis filium imperio dignum habuit, quibus inter se de summa rerum decertantibus, haut parum detrimenti cepit afflicta respublica. Interim vterque maiestatem suam etiam sigillis testatus est. Philippi auream bullam iam supra stilo Ægidii Gelenii descripsimus. (z) Iam Ottonis IV sigillum (*) addimus

SIGILLA PHILIPPI ET OTTONIS IV.

a) ZYLLES. *l. c. part. 3. p. 59.* *) *TAB. VIII. n. 3. 4.* b) DV FRESNE *part. 2. Gloss. L. p. 264.* c) OCTAV. DE STRADA *de Num. Imp. lib. 3. p. 374.* d) Id. *l. c. p. 373.* e) Id. *p. 379.* f) Id. *p. 381.* g) Id. *p. 382.* h) Id. *p. 385.* i) Id. *p. 400.* k) Id. *p. 405.* l) Id. *p. 407.* m) Id. *p. 414.* n) Id. *p. 418.* o) Id. *p. 423.* p) Id. *p. 424.* q) Id. *p. 426.* r) *act. 12. p. 138. tom. 3. part. 1. Concil.* SEV. BINII. s) Ibid. *p. 171.* t) SYMMACH. *lib. 2. epist. 12* u) AVIT. *epist. 78.* x) BOS. *l. 3. c. 50. Rom. Subt.* y) CHIFFLET. *c. 8. 127. Anastas.* z) *Vid. supra cap. IV. n. 5.* *) *TAB. VIII. n. 5.*

addimus elegantiſſimum, quod a celeberrimo Hofmanno acceptum æri incidi curauit doctiſſimus Meibomius, (a) e quo nos illud repetimus. Multa hoc ſigillum, quod Imperatorem throno inſidentem, dextraque ſceptrum & ſiniſtra globum crucigerum geſtantem exhibet, habet ſingularia. Primo enim corona ab omnibus aliis diuerſa, faſcias illas dependentes longe accuratius, quam cetera ſigilla exhibet. Deinde ſceptrum non eſt aut liligerum, aut triumphale, ſed in crucem duplicem, ſeu metropolitanam deſinit, quale nullus anteriorum Imperatorum tenet. Præterea ex altero latere Imperatori imminet ſol, ex altero luna bicornis, quæ ſymbola non magis ſunt obuia. Denique inſcriptio, vt litterarum figuram interpungendique rationem iam non attingam, in his a ceteris ſigillorum perigraphis differt, I) quod formula DEI GRATIA nomini præmittitur, II) quod Imperator ſe non ſimpliciter *Auguſtum*, ſed *ſemper Auguſtum* vocat. En illam: ✠DEI GRATIA: OTTO: ROMANORVM IMPERATOR: ET SEMPER AVGVST9:

QVÆSTIONES NONNVLLÆ MOVENTVR.

LIII. Quum hoc ſigillum elegantiſſimum plura habeat ſingularia, non erit ſicco plane pede prætereundum. Præcipue igitur hæc videntur attendenda:

I. Cur Otto IV loco ſceptri vtatur cruce duplici, quam archiepiſcopalem vulgo vocant?

II. Cur ſolem & lunam ſibi adiici voluerit?

III. Quis primus Imperatorum vſus ſit titulo SEMPER AVGVSTVS?

I. CVR OTTO IV. LOCO SCEPTRI VTATVR CRVCE?

Ad *primam* igitur quæſtionem priusquam reſpondeamus, obſeruamus, non deeſſe exempla numorum, in quibus idem ſit factitatum. Non loquimur de Imperatoribus Byzantinis, quibus ſequiore æuo iſte mos fuit fere perpetuus, id quod multorum numorum teſtimonio euincunt Iac. Gretſerus (b) & Carolus du Freſne; (c) ſed de occidentalibus, quibus aut Byzantinorum exemplo, aut proprio religionis ſenſu hoc ſignum ſæpius placuit. Exſtat apud Octauium de Strada (d) aurea moneta Henrici, Conradi III Filii, qui iam Rex adpellatus, turbato naturæ ordine ante parentem diem obiit ſupremum, in quo Rex dextra ſceptrum in crucem elegantiſſimam deſinens geſtat. Apud eundem (e) numi Adolphi, Alberti, Henrici VII & Alberti II Cæſarum ſiſtunt Reges, eiusdem generis ſceptra cruciformia tenentes. Nos quoque in breui de numis Goslarienſibus diſſertatione (f) explicauimus numum, cuius in antica exhibetur Henrici Regis caput cum ſceptro eiusmodi cruciformi & inſcriptione ✠ REX HINRICVS IM. in poſtica apoſtoli SS. Simon & Iudas vrbis huius tutelares cum perigraphe: ✠ SS SImON SS IVDAS. Nec in ſigillis plane inuſitata ſceptra cruciformia, quod declarant ſigilla Friderici I & Henrici VII Friderici II Filii, infra a nobis delineata. (*) Sed crux iſta ſemper non niſi vnica eſt, & minor plerumque & lilio ſubiecta, vt in multis vix diſtinguere poſſis, liliumne, an crucem videas. At in noſtro ſigillo Ottonis IV geſtamen nihil fere habet ſceptro ſimile, ſed crux accurate repræſentatur, eaque duplex, qualem in Byzantinorum numis ac imaginibus inuenimus. Cuius rei quæ videatur ratio, iam ediſſeremus, quamuis coniecturas magis, quam certa proferre nos fateamur. Auctores igitur habeo, Ottonem quum Aquisgrani, quam vrbem operoſa obſidione expugnauerat, ſolenni inaugurationis ritu eſſet conſecrandus, Imperii inſignia non habuiſſe ad manus, retenta quippe a Philippo æmulo, & non niſi eo occiſo, ad Ottonem deferenda. Quæ tamen Otto, qua erat animi magnitudine, non magnopere deſiderans, *gloriabatur, ſe etiamſi non Regalia, iura tamen & loca regalia tenere*, quæ verba ſunt Ottonis de S. Blaſio. (g) Oſtenſurus igitur, quam parum inſignium eiusmodi iactura moueretur, aliud ſibi adſciuit ſceptri genus, a ceteris plane diuerſum, quale iam tum a Byzantinis vſurpatum nouerat. Si cui alia arriſerit ratio, cum eo non contendam, quum tacentibus auctoribus, diuinare potius, quam certum pronunciare de eiusmodi rebus liceat.

II. QVID SIBI VELINT SOL ET LVNA IN HOC SIGILLO?

LIV. Non magis procliue eſt, ad alteram quæſtionem ita reſpondere, vt omnibus ex æquo ſatisfacias. Quæritur nimirum, *quid ſibi in hoc ſigillo velint ſymbola ſolis & lunæ bicornis*, ex vtraque parte Cæſari imminentia? Scio equidem, in numis bracteatis æque ac ſigillis ſequioris æui ſæpenumero eiusmodi occurrere figuras, quarum omnium reddere rationes, Oedipi ſane res eſſet. In numis Iſenacenſibus a Cl. Schlegelio editis primus Tab. I. Ludouici Landgra-

a) MEIBOM. *tom. 3. Rer. Germ. p. 158.* b) GRETSER. *de cruce p. 1618.* c) DV FRESNE *diſſ. de infer. æui numiſm. n. 23. p 19.* d) STRADA *lib. 3. p. 423.* e) Idem *l. 3. p. 448. 449. 454. 474.* f) *TAB. I. n. 1.* *) *TAB. VIII. n. 3. 4. TAB. IX. n. 1.* g) OTTO DE S. BLAS. *cap. 46. p. 223. ap.* VRSTIS. *conf.* MEIB. *Apol. Otton. IV. p. 117. tom. 3. Rer. G.*

Landgrauii a tergo Imperatoris fiſtit lilium, ſecundus rotam, tertius a tergo crucem, a fronte figuram quandam quadratam, qualis & in primo Tab. II. conſpicitur, quintus eiusdem Tab. crucem, ſtellam aliamque figuram non ſatis cognitam exhibent. Eiusdem generis figuræ etiam in Comitum numis ab eodem Dn. Schlegelio in epiſtola de numo Comitis Blanckenburgenſis editis, vt & in tribus antiquitatum ſpicilegiis Cl. Olearii adparent, quas enumerare eſſet tædioſum. Nec infrequens iſte mos in ſigillis. Sigillum Henrici Comitis Aſchariæ a Domino Knauthio (a) delineatum, a tergo habet lilium, ſub equo roſam. Quibus multa e mea qualicunque ſupellectile liceret addere, in quibus ſtellæ, flores aliaque huius generis ſymbola exprimuntur. Hæc vero omnia ornamenti cauſſa ab artificibus male curioſis ingenioſisque adiecta eſſe, quis neget? Operam credo luderet, qui omnium floſculorum, ſtellarum, quadratorum, rhomborum, globulorum, ſphærularum allegoricas quasdam excogitare rationes vellet. At vero ſolis lunæque adiecta ſimulacra in hoc Ottonis ſigillo non plane videntur otioſa, inprimis quum & in Mariæ eius coniugis ſigillo occurrant. Quum vero iam non ſuccurrat, quod mihi ipſi ſatisfaciat, adducam amici ſententiam, cui nuper iſthoc ſigillum oſtendi. Putabat nimirum iſte, Imperatorem his ſymbolis alludere voluiſſe ad Ioſephum, Ægypti Proregem, qui ſolem & lunam per quietem viderit ſibi habere honorem. Quemadmodum enim Ioſephus, antequam ad hanc dignitatem adſpiraret, omni paterna hereditate fratrum artibus ſpoliatus, aliena viuere quadra & durum ſeruitutis onus ſuſtinere coactus ſit, poſtea vero omnibus fratribus ſuis imperarit: Ita & Ottonem IV, omni pæne hereditate paterna ſpoliatum & procul a patria in Comitatu Pictauienſi precario accepto degentem, inſperata plane felicitate illis ipſis principibus, qui patrem oppreſſerant, imperaſſe. Quæ licet paullo longius petita videantur, lectoris tamen iudicio ſubmittimus, de eiusmodi coniecturis cum nemine inituri certamen. Ipſum certe Ottonem miram hanc fortunæ ſuæ cataſtrophen eſſe miratum, ſæpiusque grata mente recoluiſſe, patet ex graui oratione ad ſacrum Epiſcoporum conſeſtum in ſynodo Herbipolenſi habita, atque ab Arnoldo Lubecenſi (b) conſignata, ex qua hæc pauca repetere iuuat: *Deus cœli poſt multas aduerſitates cum beneplacito omnium regnum nobis donauit, ita, vt non immerito cum gratiarum actione ei dicere poſſimus: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt nobis in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

III. QVIS IMPERATORVM SE PRIMVS VOCARIT SEMPER AVGVSTVM

LV. At maximi momenti eſt quæſtio tertia, ex qua haut raro diplomatum ipſorum fides dependet. Quum enim antiquis temporibus Auguſti ſacrum nomen non niſi venerandum quidquam & conſecratum notaret: interiecto demum tempore vox iſta ad amplificandi ſignificatum deflexa, vocem SEMPER veluti ſociam adſciuit, antiquiori iſti ſignificationi fundamento præcipue ſaluo aliquantulum repugnantem. (c) Ex quo conſequitur omnino, vt diplomata illa, in quibus Imperatores ſe SEMPER AVGVSTOS vocant, paullo recentioris æui ſint. At vero, quia & antiquiores nonnullæ chartæ ſe offerunt, eodem ſtylo recentiore exaratæ, cardo rei in eo vertitur, vt, quo primum tempore hæc formula Imperatoribus placuerit, demonſtretur. Certum eſt, iam ab antiquioribus Romanorum Imperatoribus, qui poſt Auguſtum, Claudios, Flauios & Antoninos Reip. præfuerunt, titulum *perpetuo* vel *ſemper auguſti*, ἀεὶ σεβάςε, αἰωνίε σεβάςε, adſcitum, & Conſtantiniano deinde Theodoſianoque præcipue æuo magis frequentatum eſſe, idque numi æque ac inſcriptiones a Ioanne Iacobo Boiſſardo, (d) Huberto Golzio, (e) I. Grutero, (f) Ioanne Nicolao Hertio, (g) & Cl. Schurzfleiſchio (h) collectæ, vt & loca quam plurima ex actis ſynodalibus & Iure Romano (i) docent. A vero ab hoc titulo deinde abſtinuere Carolingi, qui ſibi Auguſti potius elegantiam, quam recentiorum Cæſarum mores imitandam propoſuerant, eumque morem deinde etiam ceteri eorum in imperio ſucceſſores conſtanter aliquandiu ſeruarunt, vix aliter quam Imperatores Auguſtos in diplomatibus æque ac ſigillis ſe vocantes. Sed vt omnium rerum quædam viciſſitudo eſt: ita ſequioris æui Imperatores titulorum ſimplicitatem ſenſim adſpernati, formulam iſtam SEMPER AVGVSTVS reuocarunt in vſum, & initio quidem non

a) KNAVT. *diſſ. de pagis Anhalt. p. 22.* b) ARNOLD. LVB. *lib. 7. c. 19. p. 563.* c) *Vid.* SCHVRZFL. *diſſ. de Tit. Auguſti. p. 36.* d) BOISSARD. *lib. 3. Antiqu. Rom. p. 29. & 54.* e) GOLZ. *theſaur. rei antiquar. p. 77.* f) GRVTER. *Inſcript. p. CCLXXII. & CCLVIII.* g) HERT. *Diſſ. de diplom. Germ. Imp. & Reg. n. 11. p. 20.* h) SCHVRZFL. *Additam. ad diſſ. 1. de titulo Aug. p. 2.* i) *Vid.* BECMAN *Syntagm. dignitat. diſſ. 2. cap. 1. n. 6. p. 105.*

adeo frequenter, postea constantius vsurparunt, donec perpetua veluti lege continuata omniumque gentium ac populorum scito comprobata ad posteros consecraretur. Factum id esse sæculo duodecimo, magni auctores affirmant. Nominatim eius rei inuentionem Friderico I tribuunt Bœclerus (a) & H. Conringius, (b) qui ex consilio Doctorum Romani Iuris in Italia reuiuiscentis Imperatorem id feciſſe putat. Sed nec desunt, qui titulum hunc antiquiorem credant. Becmanno (c) iam inde ab Ottonis I temporibus Imperatores nostri illo vsi videntur. Alii iam Carolum M. eundem adhibuisse malunt, idque faciunt omnes illi, qui chartam diuisionis Caroli M. inter Carolum Pippinum & Ludouicum filios, quæ apud Goldastum (d) & in Capitularibus Francorum (e) exstat, tuentur. Quum vero hæc charta viris doctissimis suspecta videatur, quidquid ad fidem illius stabiliendam afferat St. Baluzius (f) nescio an ex ea formulæ SEMPER AVGVSTVS antiquitas in Germania possit probari. Sigillum Caroli M. plumbeum, supra a nobis ex Blancio allatum, parum probat. Nemo enim non videt, illud ad veterum numismatum formam esse compositum. Hinc quamuis in eo Carolus se vocet IMPP. F. PP. AVG. hoc est, *Imperatorem pium, felicem, perpetuo Augustum*, formula tamen PP. AVG. frequentior est illa SEMPER AVG. Vt taceam, celeb. Tenzelium (g) in hoc sigillo legere malle *Imp. Pius, Felix, Pater Patriæ, Aug.* Denique negari non potest, exstare apud Goldastum, Perardum, Schatenium, Henricum Bodonem, Limneum plura diplomata Caroli Crassi, Ottonum & Henricorum Cæsarum, in quibus ea formula occurrit, sed ea partim manifesto sunt suppositicia, partim ab iis auctoribus prodierunt, quibus ipsa intueri autographa non licuit. Goldastina diplomata non omnia Sibyllæ folia esse, dudum inter eruditos constat. Limneus plerumque alios bona fide sequitur. Schatenii diligentia dudum suspecta fuit, ex quo tot eius lapsus passim ostendit celeb. Paulini. Henricus vero Bodo, Monachus Gandersheimensis tam subleſta fide diplomata descripsit, vt plus quam centum παραγράμματα, obseruet is, qui ipsa autographa vidit, Dominus Georgius Leukfeldius, (h) Pastor Gruningensium optime meritus. Quare horum auctorum fide stare nolim, certo persuasus, in sigillis æque ac diplomatibus ante sæculum XII vix quenquam Imperatorum Germanorum se SEMPER AVGVSTVM scripsisse. Imo vereor, vt Friderici I. reperias diploma aut sigillum, quod istam formulam præferat. Procul dubio igitur huius moris natales debentur Henrico VI, qui vt primus, mutato antiquo vsu, prouinciarum titulos cœpit nomini suo adscribere, ita & huius formulæ in vsum reuocatæ auctor recte statui posse videtur.

SIGILLA FRIDERICI II.

LVI. Vt Philippo Pontifici inuiso Otto IV, ita Ottoni oppositus est Fridericus II, Henrici VI filius, iam Siciliæ Rex, quo nullus a tot sæculis Imperator maiori animi magnitudine Imperii maiestatem contra Pontificis furorem defendit. Huius sigilla licet plura supersint, eaque non vnius omnia eiusdemque generis, quod ob impostorem monachum Cæsarea sigilla nefarie fingentem typus subinde mutandus esset; (i) tria tamen iam mihi ad manus sunt, quæ alienis verbis describere libet. Primum igitur aureum hisce verbis delineauit

I. KIRCHMANNIANVM AVREVM.

Ioh. Kirchmannus: (k) *Vidi in archiuo inclytæ huius reipublicæ* (Lubecensis) *duas Friderici II. Imperatoris* bullas *aureas, quarum vna ille aui sui Friderici I. cognomento Barbarossæ, priuilegia vrbi Lubecæ anno M. C. LXXXVIII. concessa confirmat, altera eam liberam imperii vrbem pronunciat & nouis insuper beneficiis cumulat. In earum antica parte videtur effigies Imperatoris in solio sedentis & tenentis dextra sceptrum, sinistra globum cruciferum cum hoc titulo:* FRIDERICVS DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS REX IERLEM ET SICILIE. Haut multum diuersa ab his est alia

II. MABILLONIANVM AVREVM.

bulla aurea eiusdem Imperatoris, pro cœnobio Sancti Apri Tullensi, quam his verbis describit Mabillonius: (l) *Hæc bulla adpendet ex serico rubeo, præfertque in antica parte effigiem Imperatoris sedentis in throno, duobus liliis superne ornato: in dextra virgam cruce insignitam, in sinistra globum cum cruce gestantis, adiecta in orbem hac inscriptione:* ✠ FRIDERIC' DI GRA ROMANOR' REX ET SEMP AVGVSTVS ET REX SICILIE. *In postica vrbs Roma, & in circulo:* ROMA CAPVT MVNDI REGIT ORBIS FRENA

a) BOECL. *lib. 4. Notit. imp. cap. 1.* b) CONRING. *not. ad Lamp. c. 2. p. 103.* c) BECMAN. *l. c. p. 106.* d) GOLDAST. *tom. unic. Const. Imp. p. 145.* e) CAPITVLAR. *tom. 1. p. 439.* f) BALVZ. *not. ad tom. 2. p. 1068.* g) TENZEL *dial. menstr. 1691. p. 421.* h) LEUCKFELD *Chron. Walkenred. part. 1. cap. 13. p. 242.* i) PETR. DE VIN. *lib. 5. ep. 22. p. 577.* k) KIRCHMANN. *de annulis cap 8. p. 34.* l) MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 16. p. 141.*

FRENA ROTVNDI. Quoniam tamen ipſe eius typum non dedit, dedimus operam, vt hanc bullam eleganter depictam ab Antonio Matthæi (a) lectoris oculis ſubiiceremus. Nihil hic video, quod a Mabillonii deſcriptione abeat, niſi perigraphas, quas paulo aliter legiſſe videtur laudatus Matthæi. (*) In altera enim facie ita ſe habet: ✠. FRIDERIC⁹: DI. GRA. ROMANOR. REX. SEMP. AVGVST. REX. SICILIE. In altera: ✠: ROMA: CAPVT: MVNDI: REGIT: ORBIS: REGNA: ROTVNDI: His addimus cereum, quale nobis deſcripſit Ægid. Gelenius: (b) *Infra diploma ex ſericis rubei viridis & flaui colorum filis contextis, dependet ſigillum magnum, rotundum, referens in ſolio Imperatorem togatum, dextra ſceptrum, ſiniſtra tenentem globum cruce inſignitum, in capite geſtantem coronam, a qua velut infula vittæ ab vtraque parte, duo lilia defluunt. Subſcriptio eius hæc eſt: FRIDERICVS DEI GRATIA IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS.* (**) Cum hoc Geleniano conferendum erit quartum, quod æri inciſum dedit Antonius Weckius (c) cum titulo: FRIDERICVS DI GRA IMPERATOR ROMANORV. SEMPER AVGVST⁹. REX I. IERLM. A quo, ſi titulum excipias, non multum diſcedit noſtrum ineditum, (**) quod adpenſum eſt priuilegio ciuitatis Goslarienſis anno M CC° XXX°, quod vna cum Weckiano illo tibi delineandum hic putauimus, In his ſigillis nihil equidem video, quod notandum ſit, aut ſingulare, præter titulum Regis IERVSALEM ET SICILIE, quum ante hæc tempora ab eiusmodi prouinciarum recenſione abſtinuerint Imperatores. Placet hac de re audire excell. Hertium: (d) *Ceterum Henricus VI & Fridericus II. Imperatorio titulo adiecerunt titulum REGIS IERVSALEM ET SICILIÆ, Carolus IV. Regis Bohemiæ, Sigismundus Regis Hungariæ, Dalmatiæ & Croatiæ, Maximilianus I. Regis Germaniæ. Idem Maximilianus & Fridericus pater, Imperatores, Auſtriacarum etiam ditionum titulos eodemque exemplo Carolus V. prolixum prouinciarum ac dominiorum ad Auſtriacam domum ſpectantium ſyrma ſubiunxerunt.*

III. GELENIANVM CEREVM.

IV. WECKIANVM.

V. ALIVD INEDITVM.

LVII. Friderico Imperatore imperio priuato triſte ac ferale interregnum continuatam adhuc Imperatorum ſeriem turbauit. Quum vero ſequentium Imperatorum ſigilla magna ex parte cum his, quæ adhuc conſiderauimus, coincidant, licebit eorum hic catalogum vno conſpectu dare, ipſique lectori permittere, vt conſpectis expenſisque, quos infra ſuppeditamus, typis de ceteris ferat iudicium. Sunt igitur mihi ſequentia obſeruata:

SIGILLA SEQVENTIVM IMPERATORVM.

LIIX. Sigilla bina Heinrici, Friderici II filii, qui ſe Regem ſeptimum vocauit, patreque in Italia & Palæſtina abſente, reipublicæ, conſilio Engelberti Colonienſis Archiepiſcopi, præfuit, poſteaque perfidiæ reus in exſilium ire coactus ac mœrore confectus exſpirauit. Vtrumque ex tabulariis eccleſiæ SS. Simonis & Iudæ Goslarienſis accepimus. Alterum (†) hac epigraphe exornatur: ✠ HENRICVS. DI GRA ROMANORVM REX. ⅋ (i. e. ET) SEMPER AVGVSTVS; Alterum vero licet eiusdem typi, in ipſo tamen orbe ſimul adſcriptas habet has voces ⟩DVX S---VEVIE id eſt: & dux Sueuiæ.

BINA HENRICI VII.

LIX. Huius frater Conradus, qui maiore animo, quam fortuna, aliquandiu per Germaniam Italiamque cum Guelphica factione luctatus eſt, in ſigillo ſuo, (††) quod Zylleſius (e) dedit, throno inſidet imberbis, coronatus, dextra ſceptrum liligerum breuiſſimum, ſiniſtra globum præferens cum titulo, qui partim in peripheria, partim in ipſo orbe conſpicitur: ✠. CONRAD DIVI AVG⁹TI. IMPRIS. FRIDCI FILI⁹. DI GRA ROMANOR. I REGE ELECT⁹. HERE--S IERLM. Hoc eſt: *Conradus diui Auguſti Imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, heres Ieruſalem.*

CONRADI IV. S.

LX. Sigillum Wilhelmi Hollandi (†††) ex iisdem tabulariis acceptum ſatis elegans & peripheria hoc titulo notatum: ✠. S. WILLELMV--ROMANORVM REX SEMPER AVGVSTVS. Simile delineauit Antonius Matthæi in eleganti de nobilitate tractatu. (f)

WILHELMI CÆS. S.

a) MATTHÆI *lib. 4. de nobilitat. cap. 17. p. 1028.* *) *TAB. II. n. 1.* b) GELEN. *Vit. S. Engelberti p. 114.* **) *TAB. XVII. n. 2.* c) WECK. *Deſcript. Dresd. P. 2. p. 154.* **) *TAB. XVII. n. 1.* d) HERT. *diſſ. de diplom. Imp. & Reg. c. 1. n. 11. p. 18.* †) *TAB. IX. n. 1.* ††) *TAB. IX. n. 2.* e) ZYLLES. *part. 3. p. 60.* †††) *TAB. IX. n. 3.* f) MATTHÆI *lib. 4. c. 17. p. 1028.*

RVDOLPHI HABSPVRGICI S.

LXI. Sigillum Rudolphi Habspurgici, fundatiſſimæ Auſtriacæ familiæ progenitoris, elegantiſſimum cum lemmate ✠. RVDOLPVS DEI GRACIA ROMANORVM REX SEMPER AVGVSTVS. (*) Gemina huic delinearunt Zylleſius (a) & Antonius Weckius. (b)

HENRICI VII. S.

LXII. Henrici VII Luzelburgici nullum adhuc vidi diploma, vt adeo ſigillum dare non liceat. Interea notatu digna ſunt, quæ in Sileſiographia ex Caroli IV diplomate profert N. Henelius: (c) *Glorioſæ memoriæ Henricum auum ſuum, quondam Romanorum Imperatorem ſigillo Comitatus Lucenburgenſis, & ceteros diuos Romanorum Electos prædeceſſores ſuos ſuorum titulorum, & ſe etiam Marchionatus Morauiæ ſigillo, ante ipſorum & ſuæ coronationis ſolennitatem, vſos fuiſſe.*

LVDOVICI IV BVLLA AVREA. I. KIRCHMANNIANA. II. CEREVM LEIBNITIANVM. III. ALIVD A BALVZIO DESCRIPTVM.

LXIII. Ludouici IV bulla aurea laudatur a Kirchmanno; (d) quæ ad vulgarem morem compoſita ex altera parte ſiſtit Imperatorem throno inſidentem cum lemmate: LVDOVICVS IV DEI GRATIA ROM &c. in parte poſtica caſtrum turritum, cum inſcriptione: ROMA CAPVT MVNDI REGIT ORBIS FRENA ROTVNDI. Eiusdem ſigillum cereum tabulis fœderis inter Ludouicum IV & Philippum Galliæ Regem anno M. CCC. XLI. initi adpenſum, in quo a parte dextra throni exhibetur aquila vna & in ſiniſtra altera, eſt apud ill. Leibnitium. (e) Sed accuratior eſt deſcriptio alia Ludouiciani ſigilli, quam verbis Clementis VI Pontificis dedit Steph. Baluzius, (f) vbi Pontifex meminit litterarum Ludouici procuratoriarum, *ſigillatarum impendenti quodam ſigillo rotundo in cera crocea, in quo in medio ſculpta erat quædam imago hominis habentis infulam in capite ſuo, ſedentis, inter duas aquilas, habentis ſub pedibus eius duos leones, & tenentis in manu dextra quoddam ſceptrum, & in manu ſiniſtra quoddam pomum rotundum, in cuius circumferentia hæ litteræ legebantur: LVDOVICVS QVARTVS DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS. Et a tergo dicti ſigilli erat impreſſio alterius parui ſigilli, in qua erat ſculpta quædam aquila, & in circumferentia ipſius eæ litteræ legebantur: IVSTE IVDICATE FILII HOMINVM.* Quamuis vero horum ſigillorum nullum poſſimus æri inciſum dare, facile tamen eorum figuram concipere ſibi lector poterit ex ſequentibus Carolinis.

CAROLI IV S. I. BVLLA AVREA. II. CEREVM INEDITVM.

LXIV. Sigilla Caroli bina damus. Alterum aureum celeberrimæ *illi bullæ Francofurtenſi* adpenſum & a Domino Thulemario delineatum. (**) Alterum cereum ex tabulariis eccleſiæ SS. Simonis & Iudæ Goslarienſis. Habes hic eundem Imperatoris habitum, qualem deſcribit Clemens VI, habes idem contraſigillum, aquilas quoque easdem. Inſcriptio his abſoluitur: Karolus qvartus divina favente clemencia Romanor imperator ſemper auguſtus et Boemie rex. (*_*) Dedit & Zylleſius (g) Karoli adhuc Regis ſigillum, in quo thronus, & corona, & ſceptrum, & totus habitus multum a noſtro differunt. Inſcriptio: KAROLVS DEI. GRACIA. ROMANORVM REX SEMPER AVGVSTVS ET BOEMIE REX.

SIGISMVNDI S.

LXV. Sequitur ſigillum Sigismundi Cæſaris, cuius deſcriptionem debemus Cl. Frehero, (h) Imperatoris ſchemati in antica adſcriptus eſt hic prolixus ſatis titulus: SIGISMVNDVS DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS AC HVNGARIE BOHEMIE DALMACIE CROACIE RAME SERVIE GALLICIE LODOMERIE COMMIE BVLGARIEQVE REX ET LVCEMBVRGENSIS HERES. *Auerſa parte aquila conſpicitur cum hiſce verſiculis:*

AQVILA EZECHIELIS
SPONSE MISSA EST DE CELIS
VOLAT IPSA SINE META
QVO NEC ALES NEC PROPHETA
EVOLAVIT ALCIVS.

Videtur

*) *TAB. IX. n. 4.* a) ZYLLES. *part. 3. p. 61.* b) WECK. *Part. 2. Chron. Dresd. tit. 1. p. 160.* c) HENEL. *in append. priuileg.* d) KIRCHMANN. *de annul. p. 34.* e) LEIBNIT. *Cod. diplom. tom. 1. n. 81.* f) BALVZ. *lib. 2. miſcell. p. 274.* **) *TAB. I. n. 6.* *_*) *IX. n. 5.* g) ZYLLES. *part. 3. p. 63.* h) FREHER. *ad Petrum de Andlo. p. 585.*

Videtur Sigismundus tum demum hoc contrasigillum adhibuisse, quum Augustam dignitatem more seculi a coronationis tempore titulo adscribere cœpisset. Antea enim, quum adhuc Rex audiret, omisso contrasigillo, se ipsum tantum insidentem in sigillo exhibuit sex scutis Romano, Hungarico, Bohemico, Dalmatico &c. hinc inde dispositis, cum hoc prolixo titulo: Sigismundvs. dei. gra. romanor. rex. sem ℣. avgust. ac. hungar. dalmac. croac. rame. servie. gallicie. lodomere. camae. bulg a rieq;. rex marchio. brandenburgen ß. nec non. bohemie & lucemburgen ß heres. ceu docet icon ab Antonio Weckio (a) delineata.

FRIDERICI IV. S.

LXVI. Pedem figimus in sigillis Friderici IV Austriaci, sub cuius imperio auspicatissimo noua veluti Germaniæ ætas illuxit, euecta ad summum fastigium domo Austriaca, quæ irruenti hinc Gallorum, illinc barbarorum potentiæ veluti diuinitus obiecta, per aliquot iam sæcula patriæ quietem, imperio maiestatem, vniuersæ denique Europæ libertatem non armis minus, quam consilio præstitit illibatam. Quamobrem ne promissi institutique immemores ad nouæ quoque ætatis sigilla transire videamur, portum hic respicimus, velaque contrahimus. Collegerat iam Friderici IV sigilla Bœclerus, eaque destinauerat nouæ Æneæ Syluii de gestis Friderici editioni, quam parabat, cui operi quum vltima lima non accesserit, Culpisius obstetricias admouit manus schedasque Bœcleri vna cum sigillis ceteroque adparatu aliisque rerum Germanicarum scriptoribus, euulgauit. Ex illis bullam auream tibi damus æri inciſam. (*) Cetera cerea, quæ partim in laudato opere, partim apud Weckium, (b) partim in meis scriniis occurrunt, in antica exhibent Imperatorem throno insidentem, prouinciarum Austriacarum insignibus per orbem dispositis, cum hac perigraphe: SIGILLVM MAIESTAT. FRIDERICI DEI GRA ROMANORV IMPERATORIS SEMPER AVGVSTI DVCIS AVSTRIE KARINTHIE ET CARNIOLE COMITISQVE TIROLIS ETC. infra: QVI NATVS EST IN DIE MATHEI APOST. clɔ CCCC XV. vbi hoc præcipue est notatu dignum, quod & natalem suum Imperator in sigillo annotari voluerit. In postica aquila biceps cum iisdem, quos in Sigismundi sigillo inuenimus, versiculis: *Aquila Ezechielis* &c. symboloque A. E. I. O. V.

QVÆSTIONES NONNVLLÆ.

LXVII. Possemus iam, dimissis Imperatorum sigillis, ad alia transire, nisi viderentur nonnulla supereſſe, quæ diligentiorem requirunt indaginem. In his enim, quæ breuius persequuti sumus, posteriorum Cæsarum sigillis duo præcipue obseruamus accessisse, nimirum insignium non modo imperialium, sed & gentilium vsum, & inscriptionum obscuriorum syrmata. Hinc sequentes nectimus quæstiones:

I. *Quid sibi velint versiculi: Aquila Ezechielis, Sponsæ missa &c.?*

II. *Quid litteræ A. E. I. O. V. in Fridericianis sigillis notent?*

III. *Quando demum apud Germanos inualuerit aquila biceps?*

ad quas quæstiones licebit breuiter nostro more respondere.

QVID SIBI VELINT VERSICVLI: AQVILA EZECHIELIS. ETC.

LXIIX. Vt igitur primo de versiculis siue rhythmis Aquilæ bicipiti circumscriptis dicamus, iis quiddam μυστηριῶδες inesse vidit iam Carolus du Fresne, (c) qui mutata voce SPONSE in SPONTE hos versus ita recenset:

Aquila Ezechielis
Sponte missa est de celis
Volat illa sine meta,
Quo nec alcs nec propheta
Euolauit altius.

Quod ænigma quid sibi velit, iam paucis dispiciemus. Cuiuis igitur ex ipso textu statim liquere puto, eum, qui hos versiculos fecit, in animo habuisse prophetiam Ezechielis, (d) qui ænigma proposuit, de *binis aquilis grandibus, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plenis plumis & varietate.* Quamuis vero ibi aperte Propheta loquatur de duobus regibus,

a) WECK. *Part. 2. Chron. Dresd. tit. 11. p. 180.* *) *TAB. II. n. 2.* b) WECK. *in Chron. Dresd. p. 1. tit. 5. p. 23.*
c) DV FRESNE *diss. de inferior. æui numism. n. 11. p. 10.* d) EZECH. *XVII. 1. 2. 3. 7.*

altero Ægypti, altero Babyloniæ, in eoque omnes hodie interpretes ſanioribus hermeneuticis regulis innixi, (a) conſentiant, non defuere tamen ſæculis anterioribus, qui iſtud oraculum propheticum de aquila Romani imperii putarent interpretandum. Iam ſæculo XIII iſtud ad Fridericum II Dominum ſuum referre non erubuit Petrus de Vineis, (b) inter ceteras Imperatoris laudes ita rhetoricatus: *Hic eſt, de quo Ezechielis verba proclamant: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate multiplici.* Inprimis interpretes eiusmodi prophetiarum male curioſi tum non deerant, quum Conſtantinopolitanum imperium omnibus fere prouinciis exutum animam agere videretur. Hinc alteram aquilam Ezechielis de orientali, alteram de occidentali imperio explicabant, quemadmodum vero altera aquila Ezechielis Ægyptia, cuius tutelam vinea, hoc eſt, populus Iudaicus ambiuerat, vineæ perditionis ac ruinæ cauſſa exſtitit, altera, quæ e libano cacumen cedri abſtulerat, vineamque plantauerat, hoc eſt, Babylonica, altius effloreſcere indies cœpit: ita vulgo ex hoc oraculo præſagiebant, orientale quidem imperium periturum, eccleſiamque Græcam magna ex parte ſecum vna veluti ruina inuoluturum, occidentalem vero aquilam, eo maiora habituram incrementa, & ad ſummum adſpiraturam eſſe felicitatis potentiæque gradum. Idque eo certius diuinabant, quod occidentale imperium Romanæ eccleſiæ, hoc eſt, vnicæ, vt tum loquebantur, Chriſti ſponſæ nomen daret, a cuius communione Græci dudum ſeſe exemerant. Certe a Romanæ partis ſcriptoribus non alia ratio diuinæ vindictæ, quam hæc a Romana eccleſia diſceſſio, ſtatuitur, qua factum ſit, vt Græci demum imperium cum fide amiſerint. En Mezgeri verba: (c) *Tantam calamitatem cœleſti vindicta immiſſam fatentur omnes, præſertim quod poſt vnionem in Concilio Florentino, vt ante vidimus, factam, rurſus in ſchiſma & impiam hæreſim de diuini ſpiritus ex ſolo patre proceſſione reciderint, vt alia ſcelera taceantur. Cui congruit, quod vrbem in ipſa feria tertia Pentecoſtes expugnatam plerique ſcripſerint. In quo tamen alii diſſentiunt, quod hæc feſta anno quidem priori ſeu 52. non autem 53. in vigeſimam nonam Maji inciderint.* Omitto Spondani, Schatenii aliorumque huius farinæ ſcriptorum iudicia, cum illo Mezgeri fere eadem. Nec veteres de hoc tanti imperii interitu aliter iudicaſſe certum eſt, quorum teſtimonia hic non operoſe colligam. Quum igitur imperium occidentale a Romana eccleſia non deſciuerit, videbantur ſibi bonorum vatum partes agere *illi*, qui ex iſto oraculo Ezechielis huic imperio ſummam felicitatem augurabantur. Atque hinc prodierunt verſiculi male tornati, quorum ſenſum hunc eſſe puto: *Aquila Ezechielis*, (id eſt Romanum imperium occidentale, cuius altera aquila Ezechielis vulgo tum ſymbolum eſſe credebatur,) *Sponſæ* (hoc eſt Romanæ eccleſiæ) *miſſa eſt de cœlis* (cœlitus in tutelam & præſidium data eſt, Imperatores enim occidentales Advocati eccleſiæ Romanæ audiunt.) *Volat ipſa ſine meta* (durabit vsque ad extremum illum ac decretorium diem, qui tempus omne hauriet, atque abolebit,) *quo nec vates nec propheta euolauit altius.* (Omnis enim prophetia non vlterius, quam ad finem mundi extenditur, ad quem etiam Romanum Imperium occidentale durabit.) Frider. Lucæ, (d) qui hoc Sigismundi ſigillum etiam allegat, ambigere initio videtur, Brandeburgicamne an imperialem aquilam Sigismundus intellectam velit. Sed quemadmodum Reu. auctor ſententiam ſuam corrigit, & imperialem hic notari concedit, ita omnem dubitationem adimit ſigillum Friderici IV ſupra laudatum, in quo quum iidem verſiculi occurrant, plane liquet, ad Brandenburgicam aquilam eos non pertinere. Interea & nos cum Domino Lucæ mirati Brandenburgicæ aquilæ incrementa & vigorem, ſummum Dei Numen ſupplicibus veneramur votis, faueat porro muneribus ſuis, & Pruſſicæ felicitati addat perpetuitatem.

SYMBOLVM A. E. I. O. V.

LXIX. Altera quæſtio pertinet ad litteras A. E. I. O. V. in Friderici IV ſigillis, numis aliisque monumentis obuias, quarum explicationem plures, non eadem tamen omnes felicitate, tentarunt. Lambecius (e) huius, ſiue ſymboli, ſiue ænigmatis explicationem cum cura aggreſſus, XXXVIII variorum coniecturas atque explicationes adduxit, atque ſuppoſititias omnes maiorique ex parte ineptas pronunciauit. Ex eo tempore etiam in numis nonnunquam a vero ac genuino huius ſymboli ſenſu aberratum eſt. Exſtant enim numiſmata in ſacratiſſimi Ioſephi vtramque coronationem cuſa, in quibus litteræ hæ reperiuntur explicatæ:

Auſtria

a) *Vid.* BIBL. CRIT. *Angl. Tom. 3. p. 386. ſqq.* b) PETR. DE VIN. *lib. 3. epiſt. 44. p. 451.* c) MEZGER. *Hiſt. Salisb. lib. 4. cap. 40. p. 494.* d) LVCÆ *part. 3. atr. Princip. c. 6. p. 790.* e) LAMBEC. *Diar. Sacr. Itin. Cellenſ. ap.* TENZEL. *dial. menſtr. anno 1694. p. 91.*

Auſtria Extendetur In Orbem Vniuerſum.
Auſtria Electa Iuſte Omnia Vincit.
Aller Ehren Iſt Oeſtreich Voll.

Sed quum quisque optimus rerum ſuarum interpres cenſeatur, nemo ſane ipſo Friderico rectius Friderici ſymbolum explicabit. Hinc ex eius commentariis diurnis, qui MSCti in bibliotheca Vindebonenſi aſſeruantur, hæc allegat laudatus Lambecius, e quibus tota res patet accuratiſſime: Bey welchem Bau, oder auff welchem Silber-Geſchirr, oder andern Kleinoten der Strich und die fünff Buchſtaben ſtehen.

A. E. I. O. V.

das iſt mein, Hertzog Friedrichs des jüngern geweſen, oder ich habe daſſelbig bauen oder machen laſſen. Subiicit deinde in vtraque lingua explicationem:

AVSTRIAE EST IMPERARE ORBI VNIVERSO.
Alles Erdreich Iſt Oeſtreich Unterthan.

Mirum ſane, Fridericum nec tum quidem Cæſarem, nulla adhuc oſtenſa tantæ potentiæ ſpe, iſthoc ſymbolo vſum eſſe, quod deinde fortuna exitu accurate comprobauit. Quantumuis enim vanitatis hoc ſiue ſymbolum, ſiue augurium arguant Galli, fuit tamen, eritque vt ſperamus, tempus, quum Auſtriaca domus hinc in Germania, illinc in Hiſpania veluti diuiſo orbis imperio, qua ſol oritur occiditque ſceptra protenderet, ac mox iuſto Deo auſpice, vt auguramur, protendet iterum. Viderint ergo, quibus hoc Auſtriæ ſymbolum inuiſum eſt, quo iure Auſtriæ orbis imperium adimant, quod Auguſto ipſa ſacra pagina (a) tribuit, cui tamen non multo maior, quam Auſtriæ orbis pars obtemperauit. Id potius iure mireris, quo indicio hæc Auſtriæ fata præuiderit Fridericus? Temerarium enim ac arrogantius fuiſſet, citra vllum fundamentum talia præſagire. Auctores igitur meos ſequutus nullum puto ſæculum diuinatricium artium iſta Friderici ætate fuiſſe ſtudioſius. Quidquid enim Aſtrologia habere putatur reconditum, in eo euoluendo iſto quidem ſæculo ſumma ingeniorum alacritate certatum eſt. Nec defuere etiam hiſce famoſis artibus præmia. Siquidem & ſummi reges ac principes, quid in fatis de ſe eſſet, curioſius expiſcabantur. Exſtat inter Freheri opera (b) prognoſticon M. Antonii Torquati de *euerſione Europæ, quod ſereniſſimo Matthiæ Vngariæ Regi anno Salutis M CCCC LXXX dixerit vsque ad annum M. D. XXXVIII*, clariſſimum ſane exemplum inualeſcentis iſtis temporibus curioſitatis. Fridericum quoque aſtronomicis eiusmodi mathematicisque ſtudiis ſe dediſſe, auctor eſt Bonfinius. (c) Vnde facile in eam deuenire poſſis ſententiam, ex eiusmodi principiis eum de futura domus ſuæ felicitate conieciſſe. Præterea ſomniis eum nonnulla tribuiſſe, coniecerim ex Æneæ Syluii hiſtoria Friderici III, (d) vbi hoc ipſe Cæſar ſomnium narrat Pontifici: *Dixi tibi, ſanctiſſime Pater, cum primum ad Te veni, velle me, poſtquam coronatus eſſem, ſomnium quoddam meum tuæ pietati referre. Id huiusmodi eſt. Quum ex Vienna a me vltimo receſſiſti, vidi per quietem ſequenti nocte me Romam veniſſe, tuisque manibus meo capiti coronam imponi. Mirabar, neque ſine moleſtia eram, qui non Romani Pontificis, ſed Epiſcopi Bononienſis miniſterio coronarer, exporrectus quoque, nonnihil timebam, ne mea coronatio ridiculi aliquid præſe ferret. At quum poſtea te Petri cathedram ſortitum accepi, coronationem tuis manibus faciendam minime dubitaui. Diſcrimina, quæ referebantur vel belli, vel peſtilentiæ, pro nihilo duxi: neque iam ſomnium, ſed certam viſionem vidiſſe me credidi, id nunc re comprobatum eſt.* Hæc Æneas, ex quibus futurarum rerum faciem nonnunquam Friderico per quietem fuiſſe oblatam colligo. Sed enim magnis animis nonnunquam Deum futura familiarum imperiorumque fata veluti per tranſennam repræſentare, eaque oſtendere, ad quæ viliorum hominum oculi plerumque caligant, multis exemplis conſtat. Certe qui Friderici III ingenium ex Æneæ hiſtoria perſpectum habet, facile mecum iudicabit, nunquam Fridericum eiusmodi ſymbolum ſibi fuiſſe adſciturum, niſi de futura familiæ ſuæ felicitate certo aliquo augurio fuiſſet admonitus.

QVANDO INVALVERIT AQVILA BICEPS?

LXX. Venimus nunc ad tertiam quæſtionem, quæ aquilæ bicipitis in ſigillis expreſſæ originem ſpectat, de qua quum eruditi, inprimis Freherus, Socinus, Hopinkius, Freſneus, Meneſtrier, Papebrochius, Schefferus, Tenzelius aliique, ſæpius diuerſa ſtatuant, dabimus operam, vt omnes eorum obſeruationes veluti in nucem compactas lectori hic offeramus.

Primo

a) LVC. *II, 1.* b) FREHER. *tom. 2. ſcript. Germ. p. 169.* c) BONFIN. *Part. 4. lib. 4.* d) ÆN. SYLV. *Vit. Fridr. III. p. 82. edit. Culpis.*

Primo igitur negari non potest, aquilam ab ipsis reipublicæ primordiis Romanis instar sacri reipublicæ pignoris fuisse. Inter suprema dignitatis insignia iam Regum æuo erant sceptra eburnea, aquilis ornata, de quibus supra nonnulla monuimus. Militia Romana vel maxime ducebatur signis istis, quæ aquilas vocabant, in quibus describendis multum operæ posuere Dionysius Halicarnassensis, Vegetius, Lipsius, du Choul aliique antiquarum rerum curiosi scriptores. Denique & in numis consecratio Imperatorum vix aliter, quam aquilæ in cœlum euolantis schemate depingitur. Quæ omnia tam clara sunt, vt disputatione non indigeant. Id modo prætereundum non videtur, quod ipse Saluator irruentes in Iudæam Romanos *aquilam* vocarit. Huc enim pertinere existimo locum, ab interpretibus adhuc male habitum: (a) Ὅπε γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ AETOI. Dici non potest, quantopere hunc locum torserint ii, quibus illum modo de Christo, modo de euangelii propagatione, modo de aliis eiusmodi rebus interpretari placuit. Ipse vero textus loquitur de Hierosolymitano excidio, cuius futuram faciem delineaturus Saluator, hoc prouerbio vtitur, fore nimirum, vt resp. Iudaica intestinis malis ita turbetur, vt simulacrum potius reip. & cadauer ciuitatis, quam respublica, sit superfuturum. Quemadmodum igitur ad cadaueris adspectum confluere soleant aquilæ, impune istud laceraturæ, ita nec Romanis aquilis difficile futurum, rempublicam eiusmodi turbatissimam perditissimamque exscindere ac exstirpare. Ita hunc locum eleganter explicant Lightfootius, (b) Rob. Knachtbull (c) & nouissime Ioh. Clericus (d) cuius hæc satis elegans loci paraphrasis: *Quemadmodum vero dicere soletis, vbi est cadauer, illuc conuolare aquilas: sic & vbicunque erunt Iudæi, liberationem a iugo Romanorum inani spe captantes, & bellum propterea iis mouentes, eo aduolabunt ROMANÆ LEGIONES, eos ad internecionem deleturæ.* Ex quibus non obscure colligas, aquilam priscis Romanis sacram quodammodo ac veluti propriam fuisse. *Secundo* nec id negari potest, ab Imperatoribus Germanicis quoque hoc antiquum imperii pignus diligenter seruatum, constantique vsu veluti consecratum fuisse. De Friderico I. Guntherus in Ligurino: (e)

At qua Cæsareæ, signum Latiale, cohortis
Regia fulget AVIS, magnorum densa virorum
Agmina, ceu magni glomerauit viscera regni.

De Ottone IV Rigordus: (f) *At opposita*, inquit, *parte stabat Otto in medio agminis confertissimi, qui sibi pro vexillo erexerat AQVILAM DEAVRATAM super draconem pendentem in pertica oblonga erecta in quadriga.* Quocum conspirans Gvil. Brito (g) ita differit:

Erigit in curro palum, paloque draconem
Implicat, & procul hinc atque inde videri,
Hauriat vt ventos cauda tumefactus & alis
Dentibus horrescens rictusque patentis hiatu,
Quem SVPERAVRATA VOLVCER Iouis imminet ala,
Tota super fines, cuius nitet aurea, solis
Æmula quo iactet plus se splendoris habere.

Tertio illud extra omnem dubitationis aleam positum, quod nemo veterum distincte memoriæ prodiderit, simplexne an biceps aquila Germanicis imperatoribus fuerit vsitata. Attamen ex hoc eorum silentio non male colligas, simplicem potius, quam bicipitem ab iis adhibitam fuisse. Nec numis ea in re multum iuuamur. Dn. I. Winckelmannus (h) ex Leuini Hulsii serie Rom. Imp. (i) aliisque eiusmodi scriptis allegat aliquot Caroli M. numismata, in quibus aquila biceps adparet, sed ea suppositicia esse, nemo non videt. Octauius etiam de Strada (k) delineatum dedit Henrici III numum, in altera facie Henrici III effigiem exhibentem cum perigraphe: IMP. CAES. HENRICVS. PI. FE. AVG. in altera scutum pileo ducali tectum, aquilaque bicipiti exornatum, cui aliud scutulum Franconici ducatus insignia referens innexum est, cum lemmate: ✠ MONETA AVREA HENRICI IMP. ET. DV. FR. Sed cœcus sit, qui non ex litterarum ductu, titulorum insolita structura, ipsiusque scuti ratione numum recentiorem pronunciet. Sequiora Imp. Regumque veluti Henrici Raspo-

a) MATTH. *XXIV, 28.* LVC. *XVII, 37.* b) LIGHTF. *Hor. Talmud. ad Matth. p. 450.* c) KNACHTBVLL. *Animadu. ad Matth. p. 1834. Tom. II. Suppl. Crit. S.* d) CLERIC. *Harmon. Euangelist. hist. cap. 57. p. 186.* e) GUNTHER. *l. 7. ap.* REVBER. *p. 389.* f) RIGORD. *ad ann. 1215.* g) BRITO *Philipp. lib. 11. p. 322.* h) *Vid.* TENZEL. *Dial. menstr. I. c. p. 490.* i) *p. 121.* k) STRADA *lib. 3. I. c. p. 412.*

Raſponis & Guilielmi Hollandi (a) numiſmata nonniſi ſimplicem aquilam præferunt. At denuo biceps adparet in numis Eliſabethæ, Alberti I; & Catharinæ, Henrici VIII coniugis, quos non temere reieceris, vt & in numo Wenceslai. (b) Ex quibus quarto putamus ſequi, aquilæ bicipitis vſum in numis, quam in ſigillis antiquiorem obſeruari. Cuius rei forte ratio ea reddi poteſt, quod quum numorum ſculpturas ſuo quisque arbitrio mutarit, ſigillorum tamen formam antiquiorem longe curioſius ſeruandam putarint Imperatores, quam a tot ſæculis eandem fuiſſe nouerant. Quæcunque demum fuerit ratio, certe ante Ludouicum IV. nemo occidentalium Imperatorum ſigilla aquila, nedum bicipiti, exornauit. At Ludouicus ne ipſe quidem ſtatim bicipiti vſus eſt, ſed binas diuerſas aquilas ad vtrumque throni latus collocauit. Quem deinde in hoc imitatus eſt Carolus IV, donec Sigismundus duas has aquilas in vnam veluti conflauit, ac bicipitem finxit. Ex eo tempore (id quod ſexto obſeruandum eſt,) iſte mos inualuit, vt Cæſares, antequam Roma coronam peterent, ſimplici; impetrata iam dignitate auguſta bicipite aquila vterentur, idque inprimis obſeruare eſt in ſigillis Friderici IV. Imp. de quibus eleganter hunc in modum differit Antonius Weckius: (c) Bey dieſem Siegel (cuius ectypon exhibet) iſt mit zu gedencken, daß es kein Käyſerl. ſondern ein Römiſch-Königliches iſt, und dahero ſo wohl das Bildniß nur mit einer Königlichen Crone, als auch der Adler mit einem einfachen Kopff zu ſehen. Nach der Zeit aber, und als dieſer Käyſer die Benediction zu Rom erhalten, und als Imperator geherrſchet, hat er in dem Siegel eine Käyſerl. Crone, und den DOPPELTEN ADLER, wie der Abriß ſub N. 7. vorſtellet, geführet, woraus abzunehmen, wie die Vorfahren in ſolchen Sachen ſehr punctuell geweſen, und den mercklichen Unterſcheid gehalten, welchen die Obſeruanz damahls erfordert hat. Es iſt aber dem geneigten Leſer hierbey nicht verborgen, daß in den nachfolgenden ſæculis hierin Aenderung geſchehen, indem ſich die erwehlten und in Deutſchland gecröneten Römiſ. Käyſer an die Rom-Fahrten oder Römer-Züge nicht ſo genau mehr gebunden. Denn obwohl Käyſer Carl der Fünffte dießfals noch ſorgfältig geweſen, hat es jedoch ſein Herr ſucceſſor Käyſer Ferdinand der Erſte nicht mehr beobachtet, daraus erfolget, daß ihn Pabſt Paulus IV für keinen ordentlichen Röm. Käyſer erkennen, und den gebührenden Titul geben, noch auch ſein Nuntius auffn Reichs-Conventen Jhme ſolchen zulegen wollen; Jndem aber dieſes ein Werck von groſſer conſideration, welches der Herren Chur-Fürſten des Reichs Wahl und Crönung concernirte, gab der Römiſ. Käyſer denſelben ſolchen Anſtoß zu erkennen, dieſe ſowohl die Geiſtl. und Weltl. Herren Chur-Fürſten, (ieder Theil beſonders) überreichten darauff zwey ſchrifftliche Gutachten, und hielten einmüthig dafür: Der Pabſt hätte darein gantz nichts zu ſprechen, die Wahl ſtünde vermöge güldener Bull bey dem Chur-Fürſtl. Collegio, davon ſolte er ſich nicht dringen laſſen, wolte der Pabſt ihn nicht davor erkennen, um deswillen, daß er nicht perſönlich nach Rom kommen, da er doch einen Legaten, welches gar genug wäre, geſendet, ſo ſolte er es nur dem Chur-Fürſtl. Collegio melden, und ihren Rath gebrauchen, da wolten ſie ſich aller Gebühr bezeugen; Es erkenneten ihn alle Chriſtliche Häupter, in und auſſerhalb Europa, auch die Ungläubigen für den Röm. Käyſer, warum ſolte ſich der Pabſt denn weigern ꝛc. Und waren die geiſtl. Herren Chur-Fürſten in ihrem Rathſchlage faſt die hefftigſte, darauff iſt erfolget, daß zu Vermeidung des beſorgenden præjuditzes, kein eintziger nachgehender Römiſ. Käyſer mehr in Perſon wegen der Benediction nach Rom gezogen. At aquilam bicipitem primus conſtanter adhibuit Carolus V, (d) quem omnes deinde ſucceſſores in eo ſunt imitati. Septimo notari meretur, quod Imperatores quoque orientales aquilæ bicipitis ſigno nonnunquam vſi ſint. Theodorus Laſcaris iunior in numo aureo apud Octau. de Strada (e) inſiſtit puluillo aquilis bicipitibus exornato, qualiter etiam idem Imperator conſpicitur inter Auguſtorum imagines ex codice Auguſtano delineatas & Nicephoro Gregoræ præmiſſas ab Hieronymo Wolffio, & Michaël Palæologus apud Goarum. (f) Alia exempla, inprimis Palæologorum & Comnenorum referunt Georg. Phranzes (g) & Iſm. Bulialdus. (h) Immo Car. du Freſne (i) affert ſigillum cereum papyro ſuperfuſum Demetrii Palæologi Deſpotæ, in quo biceps aquila cum binis corollis effingitur. Denique in muſeo Regio Danico exſtare ſigillum Alexandri, Romanorum Imperatoris, aquila bicipiti

 inſigni-

a) OCTAV. DE STRAD. *l. c. p. 438. p. 439. 456.* b) Idem *l. c. p. 467.* c) WECK. *Deſcript. Vrbis Dresd. p. 23.* d) TENZEL. *dial. menſtr. anno. 1693. p. 687.* e) STRADA *l. c. l. 2. p. 352.* f) GOAR *in Euchолog. p. 914.* g) PHRANZ. *l. 2, c. 14.* h) BVLLIALD. *not. ad Ducam. c. 37.* i) DV FRESNE *diſſ. de inſer. æut num. n. 11. p. 8.*

insignitum, is, qui hoc gazophylacium descripsit, eruditissimus Auctor docet. (a) Vnde *octauo* id colligitur, orientales Augustos prius istis insignibus in publicis monumentis vti cœpisse, quam occidentales. Theodorum sane Lascarum anno M. C. LXXXXVIII. ab Alexio Comneno Despotæ honore auctum & in affinitatem Comnenorum adscitum primum aquilam bicipitem scuto cæruleo detulisse, docet du Fresne. (b) Puto igitur, orientalibus hanc aquilam bicipitem natam esse ex diuisione imperii in Trapezuntinum & Constantinopolitanum, quæ sæculo ineunte XIII, expugnata a Latinis Constantinopoli, facta est. Retenta vero postea hac aquila, & inter Imperii orientalis insignia adscita, etiam occidentales videntur paullatim aquilam bicipitem adoptasse, & tanquam perpetuum orientalis Imperii cum Occidentali coniungendi pignus ad posteros consecrasse, quo etiam collineare video Claudium Franciscum Menestrier (c) & Papebrochium. (d) Certe ex sigillis & numis rectissime ea veritas poterit hauriri, ceteræ effigies Cæsarum hinc inde obuiæ, vel eo nomine minus nobis satisfaciunt, quod pleræque dubiæ ætatis fideique videntur.

DE SIGILLIS ORIENTALIVM IMP.

LXXI. Defuncti iam breuiter iis, quæ ad Imperatorum occidentalium sigilla pertinere videbantur, proximum quidem esse fatemur, vt eadem industria orientalium quoque inire *numerum* & recensum instituamus. Enimuero quum pauca exstent eorum sigilla, ac plurima quæ huc pertinent, iam sparsim supra a nobis sint explicata, non opus est multa iam dicta denuo dicere. Potius contenti erimus, vel per indicem tibi hic ostendisse, quæ in hoc opusculo de Orientalium sigillis sumus commentati. De varia sigillorum Byzantinorum materia nonnulla diximus Cap. I. n. 10. de bullis aureis cap. IV. n. 4, 8. de bulla Andronici n. 7. & 8. *incis.* 1. de bulla Goslarienſi maxima n. 7. de bullis argenteis Byzantinorum c. V. n. 7. de bullis plumbeis, & inprimis illa Balduini II & Constantini Præfidis n. 8. De sigillis cereis cap. VI. n. 5. de sigillis cretaceis seu luteis n. 12. De crucibus in sigillis Byzantinis obuiis cap. VIII. n. 7. de monogrammatibus in iisdem sigillis depingi solitis cap. IX. n. 40. Quibus si addideris ea, quæ de bulla Andronici ex instituto differuere B. Meibomius & Dn. Thulemarius, nec non de aliis Mabillonius, puto non multum de hac materia posse desiderari amplius.

BALDVINI COMITIS FLANDRIÆ IMP. ORIENT. AVREA BVLLA.

LXXII. Nec prætereunda tamen hoc loco aurea bulla Balduini Comitis Flandriæ, qui defuncto Isacio atque Alexio eius filio ab altero Alexio Murzuflo, quem Constantinopolitani per seditionem Imperatorem consalutarant, occiso, Constantinopoli septuagesima prima oppugnationis die potitus, primus anno MCCIV augustam Orientis dignitatem ad Latinos transtulit. Eleganter eam bullam delineauit Oliuarius Vredius, (e) ex cuius rariore libro illam hic tibi curauimus depingendam. (*) Notabis in eius antica Imperatorem coronatum throno insidentem, dextra crucem, commune Cæsarum Byzantinorum gestamen; sinistra globum cum cruce tenentem, cum inscriptione hac Græca: ΒΑΛΔΟΥΙΝΟϹ ΔΕϹΠΟΤΗϹ, in postica eundem coronatum paludatumque, insidentem equo, dextraque strictum ensem, sinistra scutum leone insignitum gestantem, cum hac Latina perigraphe: BALDuinus DI. GRA IMPR. ROM. FLANDriæ HAINoiæ COMes. Multa sunt in hoc sigillo notabilia, corona a ceterorum Byzantinorum diadematibus multum diuersa, thronus ad crucis speciem effictus, totus habitus ad Imperatorum potius occidentalium virilem decoramque, quam muliebrem & scrupulosam Byzantinorum vestiendi rationem accedens, phaleræ denique equorum tintinnabulis exornatæ, ex quibus simul de huius moris, quem supra (f) tetigimus, ætate coniicere licebit.

BVLLA ÆNEA ALEXANDRI.

LXXIII. Porro obseruanda est bulla ænea oualis Alexandri Romanorum Imperatoris, nescio cuius, quem in Museo Regio Danico haberi auctor est is, qui illud Museum eleganti scripto illustrauit. (g) Quum liber non sit ad manus, licebit illud Domini Tenzelii (h) verbis, licet vernaculis, describere: Das dritte ist ein ovales Siegel von Metall, mit dem doppelten Adler und Griechischer Umschrifft, die auff Lateinisch heisset: *Alexander Misericordia Dei Imperator Romanorum: Magnus Monarcha Turcarum: Albaniæ, Seruiæ, Bulgariæ Rex.* Optaremus, vt paulo prolixius de hoc sigillo egisset Dn. Tenzelius, ipsamque nobis Græcam Inscriptionem dedisset, quum liber rarior in priuatorum bibliothecis vix reperiatur. Certe quis hic Alexander sit, isne, qui sæculo X imperauit, an Alexander Despota, qui ad Concilium Constanti-

a) *Auctar. Mus. Dan. sect. 3.* b) DV FRESNE *de famil. Byzantin. p. 218.* c) MENESTRIER *c. 43. Science des armes.* d) *Acta Sanct. tom. 5. Maj. Comment. de S. Lucifero Calarit. c. 2. n. 107.* *) *TAB. I. n. 7.* e) VRED. *de sigill. Comit. Flandr. p. 27.* f) *n. 47.* g) *Auctar. Mus. Reg. Dan. sect. 3.* h) TENZEL. *Biblioth. curios. 1706. p. 369.*

ſtantienſe legatos dimiſit, & in inſcriptione inſignium Alexander Imperator Athenienſium ſalutatur, (a) cum ignariſſimis nos ſcire fatemur.

LXXIV. Obſignabimus hanc de ſigillis Imperatorum tractationem, ſi pauca prius de Auguſtarum quoque & Reginarum ſigillis addiderimus. Harum vero nullum, ſi illud Gallæ Placidiæ, de quo cap. V. n. 9. inciſo 1. agimus, excipias, exſtare video, quam vnicam Mariæ Ottonis IV coniugis, cujus delineationem Meibomio debemus. Simile eſt hoc ſigillis Maieſtatis, qualia ſupra deſcripſimus, exhibetque Auguſtam coronatam, throno inſidentem, dextra lilium, ſiniſtra globum ſine cruce tenentem cum iisdem ſymbolis ſolis & lunæ, quæ in Ottonis IV mariti ſigillo inuenimus, atque hac perigraphe: ✠ MARIA. DEI. GRACIA. ROMANOR. IMPERATRIX SEMP. AVGVSTA. (*) Quod accurate delineatum lectori ſiſtimus conſpiciendum, ut & Auguſtarum ſigilla aliquo exemplo habeat perſpecta. Ex hoc ſigillo recte etiam de ceterarum Reginarum ſigillis licebit judicare. Simillimum enim eſt illud Adelæ Reginæ Francorum Philippi Auguſti Matris, quod Mabillonio (b) teſte exhibet in cera viridi effigiem ſtantis Reginæ, lilium tenentis dextra, ſub his verbis: SIGILLVM ADILE REGINE FRANCORVM. Sane quum ſexus ſequior florum odorisque fragrantioris ſit amantior, non indignum illis geſtamen judicarunt eſſe lilia, de qua re infra in Principum feminarum ſigillis plura notabimus. SIGILLA AVGVSTARVM.

CAPVT DECIMVM.

DE SIGILLIS REGVM, DVCVM, PRINCIPVM ET COMITVM.

I. De ſigillis Regum pauca dici poſſunt.
II. Antiquiſſima ſunt Merouingica.
III. 1) Aureus Childerici I annulus.
IV. Reges haſtis vſi ſunt. Haſta non idem geſtamen cum ſceptro & baculo.
V. Characteres quidam ſigillorum Merouing. 2) Sigillum Theuderici. 3) Chlodouei III. 4) Childeberti III. 5) Chilperici II. 6) Childerici III.
VI. 7) Sigilla Dagobertina ſuſpecta.
VII. 8) Sigilla Dagobertina ſpuria, 9) vt & Theuderici II.
VIII. Sigilla Regum Franc. ſtirpis ſecundæ 1) Pipini.
IX. 2) Carolomanni.
X. 3) Odonis 4) aliorum.
XI. Sigillum S. Ludouici.
XII. Sigilla Regum exterorum.
XIII. Sigilla Regum Orientalium 1) Ruſſorum.
XIV. 2) Saracenorum & barbarorum.
XV. Quando Principes diplomata ſignare cœperint?
XVI. Sigilla antiquiſſima Principum
XVII. Sunt ſimpliciſſima.
XVIII. Quid ſibi velit in nonnullis titulus Marchiſi?
XIX. Sceptrum & corona an inter inſignia Principum?
XX. Quid notet ſtrictus enſis in ſigillis?
XXI. Sigilla Principum equeſtria initio ſimpliciſſima.
XXII. Mox ornamentis variis conſpicua.
XXIII. Cimeria in galeis, & ſcuta gentilitia.
XXIV. Ornamenta alia.
XXV. Sigilla Principum iuuentutis equeſtria.
XXVI. Quæſtiones nonnullæ propoſitæ.
XXVII. 1) Cur Principes equitantes ſe ſiſtant?
XXIIX. 2) Cur vexillum geſtent?
XXIX. Vexillorum antiquorum forma.
XXX. 3) Quando ſcuta gentilitia ſigillis inſculpi cœperint?
XXXI. Quid ſibi velint canes, aues, flores, &c. in ſigillis Principum?
XXXII. Principes etiam nonnunquam ſtantes in ſigillis exhibentur.
XXXIII. Quid ſignificent turres in ſigillis Principum.
XXXIV. Sigilla Principum cum ſolis ſcutis gentilitiis.
XXXV. Varia horum ſigillorum genera.
XXXVI. Inſcriptiones in ſigillis Principum.
XXXVII. Sigilla Principum feminarum.
XXXVIII. Obſeruationes nonnullæ de harum ſigillis.

a) *Vid. Inſignia Tom. V.* ACT. CONCIL. CONSTANT. *præmiſſ.* *) *TAB. VIII. n. 6.* b) MABILLON. *l. 2. c. 17, n. 4. p. 145. de R. D.*

I.

DE SIGILLIS REGVM PAVCA DICI POSSVNT.

QVum in Germanorum ſigillis expendendis noſtra potiſſimum verſetur induſtria, poteramus equidem, omiſſis Regibus, ſtatim pergere ad ceteros Principes ac dignitates, niſi & de illis nonnulla agere, conſultum videretur. Dicemus autem, quantum licebit. Video enim exterorum Regum ſigilla parcius prodiiſſe in lucem, atque adeo eorum tractationem iis potius, quibus archiua patriæ patent, quam exteris eſſe ſuſcipiendam.

ANTIQVISSIMA SVNT MEROVINGICA.

II. Antiquiſſima igitur procul dubio ſigilla cenſenda ſunt Regum Francorum, qui ex prima Merouingorum ſtirpe imperarunt, multaque diplomata papyro plerumque Ægyptiæ inſcripta poſteris reliquerunt, quæ quum minus accurate emiſiſſent in lucem Dubletus, Labbeus, aliique; illa multo accuratius deinde, additis vbique deſcriptisque ſigillis, edidere Mabillonius, Papebrochius & Zylleſius, quos, omiſſis Roſierii delicciis, hic potiſſimum ſequi decreuimus. Et Mabillonius quidem, quo nemo diligentius veterum Merouingorum diplomata tractauit, delineata nobis ſiſtit ſigilla Merouingorum varia, ordine hic deſcribenda.

AVREVS CHILDERICI. I. ANNVLVS.

III. Omnibus hiſce ſigillis & certitudine & antiquitate facile palmam non dubiam reddet, ſed præripiet aureus Childerici I. Regis annulus (*) Tornaci in eius ſepulcro anno MDCLIII menſe Majo cum aliis antiquitatis Francicæ monimentis repertus, & ſingulari Commentario, quem Anaſtaſin Childerici vocauit, cum cetero theſauro ſepulcrali illuſtratus a Ioanne Iacobo Chiffletio, (a) ex quo eius tibi iconem delineamus, quum & liber ſit rarior, & ipſe annulus in gazophylacio Pariſienſi Regio aſſeruetur, ad quod non cuiuis patet aditus. *Habet hic annulus* (repetam e Chiffletio verba Wendelini,) *inſculptam προτομὴν hominis criniti largiter, capillitio in vtrumque humerum defluente a cincinnato. Manu dextra iaculum tenet. Nomen ipſum litteris nondum Gothicis, ſed adhuc Romanis expreſſum eſt* CHILDERICI REGIS, *quo indicio certi ſimus, cuius iſte ſit annulus, aurumque reliquum, & ad quæ tempora referendus: ad illa nimirum ipſa, quibus nondum abolitis in totum Romanis elegantiis ſupererant adhuc bonæ artes & ſculpturarum peritia: quanquam multum iam remittens de ſuo illo nitore, quem hic deſideres perfectiorem, præſertim in S conuerſo.---Illud certum eſt, annulum iſtum Childerici Regis ad illum Childericum pertinere, qui Merouei Regis filius quartus a Pharamundo cis Rhenum Francis imperauit, per quem Merouingica familia perſtat hodieque in Auſtriacis cum Natalium prærogatiua.* Cum hoc annulo merito conferendus eſſet alius Theodemari Regis, his inſcriptus literis: TEVDOME REX, & a Paulo Petauio in Gnoriſmate editus, dummodo rariſſimi huius auctoris copia mihi fieri potuiſſet. Conferant igitur, quibus licuerit hac in re eſſe felicioribus.

REGES HASTIS VSI SVNT.

IV. Spectatu dignum eſt in his ſigillis iaculum, quod ſceptri loco gerit Childericus, de quo ipſum placet audire Chiffletium (b) ita diſſerentem: *Adhæc imago ſculpta in annulo HA-*
„*STAM dextra manu tenet. Gregorius Turonenſis de Guntramo Rege:* (c) Data in manus Chil-
„deberti HASTA, *ait:* Hoc eſt indicium, quod tibi omne Regnum meum tradidi. Ex hoc nunc
„vade, & omnes ciuitates meas, tamquam tuas proprias, ſub tui iuris dominationem ſubiice.
„ *Aimonius* (d) *de eodem:* HASTAM, quam manu gerebat, nepoti tradidit, inquiens:
„Hoc amantiſſime nepos, indicio noueris, te mihi ſucceſſurum in Regno. *Fauſtus in Vita*
„*S. Mauri de Theodeberto Rege:* (e) Vocans ad ſe nepotem ipſius Flori, nomine Andrannum, de-
„dit ei per ſceptrum Regale, quod manu geſtabat, quæcunque Florus patruus eius ex Regali
„poſſederat dono. *Monachus Sangallenſis de Carolo M:* (f) VIRGAM AVREAM ad
„ſtatum ſuum (*id eſt ſtaturam ſuam*) fieri iuſſit. *Mox adfert verba eiusdem Caroli de illa-*
„*eadem virga:* Sceptrum noſtrum, quod pro ſignificatione regiminis noſtri, aureum ferre
„ſolemus. *Theganus de Ludouico Pio:* (g) Coronam auream auro fulgentem in capite ge-
„ſtans & BACVLVM AVREVM in manu tenens. *Haſta ergo, ſceptrum, virga & ba-*
„*culus aureus vnum atque idem inſigne Regium ſignificabant, per quod de manu in manum fiebat*
„*traditio, quam recentiores inueſtituram vocant.* Hactenus Chiffletius, cui vereor, vt in eo poſſim accedere, quod ſceptrum, virgam, haſtam & baculum pro eodem inſigni regio habet, quæ tamen accurate diſtinguunt Regum Francorum picturæ. Haſtas, quas antiquiſſimis temporibus

HASTA NON IDEM GESTAMEN CVM SCEPTRO ET BACVLO.

*) *TAB. I. n. 4.* a) CHIFFLET. *Anaſtaſ. cap. 7. p. 97. ſq.* b) Idem *l. c. p. 106.* c) GREG. TVRON. *l. 7. c. 33.*
d) AIMON. *lib. 3. c. 63.* e) *Ian. 14.* f) *Monach. S. Gall. lib. 1. c. 19.* g) THEGAN. *cap. 19.*

ribus a Regibus geſtatas tradit Iuſtinus, Trogi Epitomator,(a) etiam Franci adhibuerunt, quod docent effigies Carolomanni & Pipini apud Browerum, (b) quocum conferendus Biſſæus.(c) At quantum ab his haſtis ſeu bipennibus potius diuerſi baculi Regales, quales Carolus Caluus & Lotharius Imperatores geſtant in iconibus a Baluzio (d) editis? Quantum tum ab haſta, tum a baculo Regali differunt ſceptra in picturis aliorum Francorum Regum obuia apud Baluzium (e) & Tenzelium? (f) Ex quibus ſane conſequi exiſtimauerim, haſtas, ſceptra, & baculos Francorum Regum non plane eadem fuiſſe. Sed vt ad Childerici iaculum reuertar, non eſt dubium, quin Romanorum elegantiam in eo imitari voluerit cælator. Nam ſi numos inſpiciamus, eiusdem generis iacula ferunt non modo Herodianus, Seuerus Pertinax, Trebonianus Gallus, Valerius Probus, Carinus, Numerianus, Galerius Maximianus, Valerius Conſtantius, Maximinus Daca, Valerius, Maxentius, aliique plures, ſed & ipſo Childerici æuo Iulius Valerius Maiorianus, Fl. Anthemius, Leo Iunior, Flauius Baſeliſcus, Marcianus, poſt eumque non pauci. (g) Francos enim Romanorum Byzantinorumque gloriam & luxum æmulatos, Annales Fuldenſes produnt, de Carolo Caluo conqueſti: (h) *Conſuetudines Regum Francorum contemnens, Græcas glorias optimas arbitrabatur*, quod etiam teſtatur Sigebertus Gemblacenſis. (i) Idque ex hoc ipſo etiam Childerici Regis annulo adparet. Nam tunica, qua induitur, ad eundem modum eſt effigiata, quo per ea tempora Imperatorum orientalium in numiſmatibus thoraces, gemmis, veluti emblematis teſſellatis, diſtincti, manifeſto peregrini moris indicio. Certe non ignota Childerico fuiſſe Imp. Roman. numiſmata, in quibus horum *πρετομαὶ* iacula geſtent, adparet præcipue e numis aureis argenteisque, in eius ſepulcro inuentis, quos accurate Chiffletius explicauit. (k)

CHARACTERES QVIDAM SIGILLORVM MEROVINGICORVM.

V. Hic annulus Childerici Regis ideam quandam nobis ſiſtit ceterorum Merouingicorum ſigillorum. Nam, vt cetera omittam, hæc potiſſimum poſteros eius fuiſſe imitatos obſeruo. *Primo*, quod totam faciem antrorſum obuerſam exhibeant, non vero, vt Carolingi in ſiniſtrum aut dextrum latus conuerſam. *Secundo*, quod capillos aluerint prolixiores & viſu horridos. *Tertio*, quod litteras Romanas adhibuerint. *Quarto*, quod magnitudinem ſigilli non multo maiorem adhibuerint, quam Childericus, licet loco formæ oualis plerumque elegerint rotundam. Mabillonius quinque diuerſa exhibet Merouingorum ſigilla, in quibus parum artis, elegantiæ nihil conſpicitur. Primum (*) eſt ſigillum Theodorici Filii Chlodouei Iunioris. (l) In eo habetur caput Regis cum prolixa cæſarie inter duas cruces, cum titulo --- VS REX FRA--. Hoc eſt, vt ego interpretor, THEODORICVS REX FRANCORVM. Secundum (m) eſt Chlodouei III, non multum a primo diuerſum, niſi quod & colli pars capiti adnectitur. E litteris nulla legi poteſt præter ſequentes: ✝C-----ORV (**) Nemo tamen non videt, totam inſcriptionem ita ſupplendam eſſe: CHLODOVEVS REX FRANCORVM. Tertium (n) a ſecundo pæne non differt niſi magnitudine. (†) Siſtit hoc vultum Childeberti III Regis inter duas cruces cum hac perigraphe: ✝⊏HILDEbertus REX FRA⊏ORVM. Quartum (o) Chilperici II faciem exhibet plane horrendam, ſed non inter cruces poſitam, vt in ſigillis prioribus. (††) Inſcriptio ita ſe habet: ✝⊏---Rex ꟻRAN⊏. Suſpicor, legendum eſſe: CHILPERICVS REX FRANCORVM. Minimum pariter & elegantiſſimum eſt quintum (p) Childerici III, ſiſtens Regem iuuenem, qualis erat eo tempore Childericus. (†††) Inſcriptio nulla adeſt. Ipſa facies in ſiniſtrum latus converſa Carolingorum Regum ſigillis quidquam ſimile habet.

2) SIGILLVN THEODORICI.

3) CHLODOVEI III.

4) CHILDEBERTI III.

5) CHILPERICI II.

6) CHILDERICI III.

VI. Vtinam vero nobis liceret eſſe tam felicibus, vt genuinum Dagoberti ſigillum videre aliquando contingeret. Sed ea in re nec Mabillonius, nec alii nobis ſatisfaciunt. Diploma enim Dagoberti, cuius ſpecimen æri inciſum dedit Mabillonius, temporis iniuriis ſigillum amiſerat, ita vt ſola veſtigia ſupereſſent. Noui equidem Zylleſium (q) integrum edidiſſe Dagoberti Regis decretum pro cœnobio Sanmaximiniano Treuerenſi, in quo etiam ſigillum optime conſeruatum habetur, tum a Zylleſio, tum a Papebrochio, tum a Lambecio depictum

7) SIGILLA DAGOBERTINA SVSPECTA.

a) IVSTIN. *lib. 43. c. 3.* b) BROWER. *lib. 2. Fuldens. Antiqu. c. 15.* c) BISSÆVS *not. ad Vpton. p. 78. 79.* d) BALVZ. *tom. 2. p. 1276. 1279.* e) Idem *tom. 2. p. 1277. & 1307.* f) TENZEL. *dial. menſtr. anno 1690. p. 812.* g) *Vid.* OCTAV. DE STRADA *p. 60. 92. 125. 159. 163. 168. 224. 225. 252. 254. 258. & c.* h) *Annal. Fuld ad ann. 876. ap. Freher.* i) SIGEB. GEMBL. *ad eund. ann.* k) CHIFFLET. *Anaſtaſ. cap. 17. l. c. p. 251. ſqq.* *) *TAB. III. n. 1.* l) MABILLON *lib. 5. tab. 20. n. 1. p. 381. d. R. D.* m) Idem *l. c. n. 3.* **) *TAB. III. n. 2.* n) Idem *l. c. tab. 22. n. 1. p. 385.* †) *TAB. III. n. 3.* o) MABILLON. *ibid. n. 2.* ††) *TAB. III. n. 4.* p) MABILLON. *ibid. n. 3.* †††) *TAB. III. n. 5.* q) ZYLLES. *Part. 3. defenſ. Sanmaximin. p. 9. 10.*

pictum explicatumque. Noui etiam Antonium Matthæum (a) e Petri Franciſci Chiffletii diſſertatione ad Bedæ & Fredegarii Concordiam dare Dagoberti ſigillum, quod Sanmaximiniano eſt ſimillimum. Denique non ignoro bullam Dagoberti argenteam a Tenzelio primum editam ac ſupra a nobis deſcriptam, prorſus cum ſigillo Sanmaximiniano conuenire. Sed vt dicam, quod res eſt, habere mihi videor argumenta, quibus omnium horum ſigillorum γνησιότης in dubium vocari poſſit. Nam *primo* pleraque illa diplomata, quibus hæc ſigilla adhæſere, aut ſuſpecta ſunt, aut ignota. Bulla Tenzelii argentea nulli affixa diplomati eſt, incertumque relinquit ſpectatorem, quando aut a quo diplomate detracta ſit. Zylleſianum diploma, quod omnium Dagobertinorum ſpecimen putauerat Papebrochius, tot argumentis impugnauit Mabillonius, vt pauci hodie illud genuinum agnoſcant. *Secundo* nulli Regum Francorum conſtat plura ſuppoſita eſſe diplomata, quam Dagoberto, quem olim monachi, qui origines ſuas crepabant eſſe antiquiſſimas, certatim cœnobiorum ſuorum auctorem laudabant. Vnde non eſt dubium, quin plura etiam ſigilla conficta ſint, quæ nunquam e Dagoberti palatio prodierunt. *Tertio* omnes Francorum Reges e Merouingica ſtirpe annulo ſignarunt. Quo factum eſt, vt nullum exſtet eorum ſigillum, cuius diameter duorum digitorum latitudinem excedat. Pleraque etiam ſunt minora. At Sanmaximinianum ſigillum ſi ſpectes, triplo maius illud apparet, quantæ magnitudinis ſigilla ante ſæculum X vix adhibita conſtat. *Quarto* Mabillonius (b) ſpecimen Dagobertinum exhibens, etiam veſtigia annuli Regii circulo deſcripſit, cuius diameter ne duorum quidem digitorum eſt. *Quinto* nullum occurrit ſigillum, ſub prima ſtirpe, quod effigiem regis vmbilico tenus cum pallio, ſceptro regali & diademate exhibeat. In omnibus ſolum adparet caput cælatura ſimpliciſſima expreſſum. Vnde non immerito colligas, hæc geſtamina paullo recentioris ævi eſſe. *Sexto* litteræ in ſigillis Dagobertinis, quam in ceteris Merouingicis multo ſunt accuratiores, atq; elegantiores. Conferat quæſo lector veritatis amantior ipſius Dagoberti numos, a Domino le Blanc & Mabillonio editos: ſane eandem in ſcribendo incuriam obſeruabit, ac in ceterorum Merouingorum ſigillis. Qui factum igitur eſſet, vt ſolus ille cælator, qui horum ſigillorum typum ſculpſit, a communi ævi iſtius barbarie fuerit alienus? *Septimo*, quid ſibi vult formula *Dei gratia* in ſigillis tam antiquis? nunquam Merouingos illam lego nominibus ſuis adſcripſiſſe, ſiue in diplomatibus, ſiue in ſigillis. Ipſe Dagobertus diplomata ſua orditur: *Dagobertus Rex Francor.* Ceteris hæ formulæ in vſu fuerunt: *Chlodoueus Rex Francor. vir illuſter. Theudericus Rex Franc. V. incl. In XPI nomine, Theudericus Rex.* Nec vnquam formulam *Dei gratia* ante *Carolum Caluum* quendam video vſurpaſſe. Quæ quum ita ſint, nemo non videt, hæc ſigilla dubia ac ſuſpecta eſſe. Nec nos ab hac ſententia dimouet horum ſigillorum numerus. Experientia enim magiſtra conſtat, peſſimos etiam impoſtores ſigilla non ſuo arbitrio finxiſſe, ſed plerumque ex alio, quod genuinum putabant ea, formaſſe, ne dolus ſtatim in omnium oculos incurreret. Dudum hoc animaduerſum eſt ab aliis in diplomate Lindauienſi, cuius ſigillum ad genuinum quoddam ab artifice efformatum liquet. Quidni ergo etiam in Dagobertinis eadem acta ſit fabula? Quidni vnus alterum decipere potuerit?

8) SIGILLA DAGOBERTINA SPVRIA.

VII. Sunt etiam Dagoberti ſigilla tam abſurde conficta, vt fraus omnium oculos feriat, quod ideo hic monemus, vt magis appareat, quanta lèges olim Dagobertinorum diplomatum prodierit in lucem, quorum pauciſſima genuina eſſe veriſimile eſt. In diuturna illa controuerſia, quæ inter Archiepiſcopum Treuerenſem & Abbatem Cœnobii Sancti Maximini mota fuit, a parte Archiepiſcopali aliquando prouocatum eſt ad diploma eiusdem Dagoberti, ſex munitum ſigillis, vno aureo ipſius Dagoberti, exhibente campum liliis conſperſum, & quinque cereis, tribus nimirum epiſcopalibus, vno Arnulphi, ac vltimo demum Pippini. Sed nemo erat, quin ſigillum hoc primo ſtatim intuitu Dagoberto ſuppoſitum deprehenderet. Hinc ipſi Archiepiſcopales, referente Zylleſio (c) *cum Dagoberti ævo ſcuta eiusmodi non videantur fuiſſe vſitata, ſed poſterioribus demum ſæculis introducta, teſte du Tillet, Pariſienſis parlamenti graphiario, aliisque auctoribus (nam effigies Regum ſigillis imprimebantur, vti ex plu-*

9) VT ET THEVDERICI II.

rimis originalibus antiquis conſtat,) ſcuta illa tanquam ſuſpecta omiſerunt, vti in Dagobertino ſupra poſito eſt videre, & ſolum exhibuerunt textum pxtenſarum Dagoberti litterarum. Siſtit etiam Coccius in Dagoberto ſuo (d) diploma Theodorici II Regis Neuſtriæ, *datum Metis in cœnobio S. Arnulphi, eiusdem loci Epiſcopi, quod eſt conſtitutum in ſuburbio ſub die Kalend. Maji anno Dominicæ Incarnationis D CC XXIV. Indictione tertia, anno vero regni Theoderici quinto. Grimoal-*

a) MATTHÆI *lib. 4. de Nobilitate cap. 17. p. 1031.* b) MABILLON. *lib. 5. tab. 16. p. 375. l. c.* c) ZYLLES. *Part. 1. Defenſ. Sanmaxim. p. 59.* d) COCC. *in Dagob. f. 56.*

Grimoaldus Cancellarius recognouit. In eo ſigillum ita deſcribit Coccius: *Hactenus Theodericus, cuius autographo media membrana ſigillum erat liligerum Regis adpreſſum, hac verborum ſubſcriptione:* THEODORICVS DEI GRATIA REX FRANCORVM. Sed quod pæne verba, tot *vοθείας* characteres in hoc diplomate ſe offerunt. Quis enim ferat formulas *Diuina fauente clementia, & Dei gratia*, tum in diplomate, tum in ſigillo obuias? quis formulam inuocationis: *In nomine ſanctæ & indiuiduæ trinitatis* huic æuo familiarem agnoſcat? Quis vnquam audiuit, annum æræ Chriſtianæ Merouingorum diplomatibus additum? Quo iure in hoc diplomate Theodoricus Childebertum vocat parentem ſuum, qui filius Dagoberti iunioris aut potius III fuit? Denique quis ferat ſigillum Theoderici liligerum? Ipſi cordatiores Galli hodie agnoſcunt liliorum vſum non adeo antiquum eſſe. Tilletius (a) & Chiffletius (b) nulli Regum Franciæ hoc inſigne tribuere audent ante Philippum Auguſtum, qui anno M C LXXX vixit. Imo Spelmannus ante Valeſiæ ſtirpis Reges lilia Francorum Regibus inſignium loco fuiſſe negat. Faceſſat igitur hinc Coccius cum ſuis nugis.

VIII. Oppreſſa Meroueidarum ſtirpe rerum potitus eſt Pipinus, a quo Carolingorum Regum familia deinde deſcendit, coniuncta cum tot imperiis auguſta dignitate celeberrima. Huius diploma datum menſe Ianuario in publico palatio Maguntiæ decimo quarto Regni anno in lucem protraxit Nicolaus Zylleſius, (c) ſigillumque etiam laudando conſilio æri incidit, quod hic etiam intuebimur. Siſtit hoc Pipini imberbis *προτομὴν*, cum perigraphe: ✠ PIPINVS IMPERATOR. Non minima ſuſpicione & hoc ſigillum videtur laborare: Inprimis ſi cum aliis eiusdem Regis conferas, quæ ſuppeditat Mabillonius. (d) Iam ſolam perigraphen ſpectabimus. Mirum ſane, Pipinum ſe vocare Imperatorem, quum ad hanc dignitatem nunquam adſpirarit: mirum, plane omiſiſſe eum titulum REGIS FRANCORVM, quem ipſe Carolus M. Auguſta iam dignitate auctus, non dimiſit: mirum quoque, alio eum titulo in diplomate, alio in ſigillo vti. In ipſo enim diplomate ita ſcribit: *Proinde Ego Pipinus, gratia Dei Rex Francorum.* Scio equidem, Reges nonnunquam Imperatorum titulum affectaſſe, id quod de Bulgaris, Anglo-Saxonibus aliisque notum eſt & prouocatum. Scio, Francis quoque Regibus nonnunquam idem placuiſſe. Chlodoueum enim Imperatorem vocat Baltherus. (e) Nec ignoro denique, Pipinum etiam hunc ipſum Imperatorem ſalutari a Sugerio. (f) Sed rara hæc exempla nondum conficiunt, Pipinum ipſum titulum iſtum nomini adſcripſiſſe, ſed id tantum demonſtrant, iam tum gliſcente adulatione non defuiſſe homines, qui principibus titulis eiusmodi excellentioribus palpum obtruderent.

SIGILLA REGVM FRANC. STIRPIS II. 1) PIPINI.

IX. Pipini filius Carolomannus ſigillum elegantiſſimum adhibuit, quod niſi diplomati eius fuiſſet innexum, e Romana antiquitate ad nos peruenisse videretur. (*) E Mabilloniano ſpecimine (g) illud tibi accurate infra curauimus exprimendum, vbi tamen repetenda mihi eſt ipſius laudati Mabillonii annotatio, quæ ita ſe habet: *In ſpecimine errauit cælator noſter, in exprimenda icone Carolomanni, qui vultum ad læuam conuerſum habere debet, vt ſuo loco expoſuimus, contra quam alii paſſim Reges Carolini, quorum ſigilla vultum habent conuerſum ad dextram: Cum Meroueadæ aduerſum præferant. Carolomanni ſigillum, etſi titulo deſtitutum, Regem tamen indicat & diademate.* Vix ergo conſiſtere poterit Papebrochii coniectura, qui ſigillum Caroli M. Sanmaximiniano diplomati affixum, quoniam imberbem vultum ſiſtit, Carolomanni effigiem exhibere credidit. Sanmaximinianum enim ſigillum ſecus ac hoc Carolomanni in dextram conuerſam Regis faciem exhibet. Qua de re iam ſupra vberius fuit actum.

2) CAROLOMANNI.

X. Porro e Regum Galliæ ſigillis notari meretur illud Odonis, (**) quod e Mabilloniano (h) ſpecimine infra expreſſimus. Siſtit hoc caput circulo aureo redimitum, & omni quidem inſcriptione deſtitutum, cetera tamen tam elegans, vt ſæculi X ſimplicitatem multum videatur ſuperare. Vnde ipſe Mabillonius: *Specimen hoc*, inquit, *ex autographo cathedralis eccleſiæ Carnutenſis expreſſum eſt, cum ſigillo, quod neſcio an ODONIS repræſentet effigiem, an cuiusdam IMPERATORIS ROMANI.* Mihi vero neutrum videtur, quemadmodum enim habitus eſt elegantior, quam vt Odoni tribui poſſit, ita Imperatorum Romanorum facies longe

3) ODONIS.

a) TILLET. *Recueil des Royes de France.* b) CHIFFLET. *Anaſtaſ. Childer. c. 9. p. 140.* c) ZYLLES. *l. c. p. 3. p. 11. 12.* d) MABILLON. *lib. 5. tab. 23. n. 1. p. 387. de R. D. & lib. 2. cap. 16. n. 8. p. 158.* e) BALTHER. *in vita S. Fridolini Abbat. n. 30.* f) SVGER. *lib. 2. de adminiſtr. ſua. Conf.* CAR. DV FRESNE *part. 2. Gloſſ. p. 27.* *) *TAB. III. n. 7.* g) MABILLON. *lib. 5. tab. 23. n. 2. p. 387. l. c.* **) *TAB. III. n. 17.* h) MABILLON. *lib. 5. tab. 35. n. 1. p. 413. l. c.*

longe aliæ in eorum numis gemmisque adparent. Potius igitur eo adducor, vt sigillum hoc e gemma quadam veteri Ptolemæorum expressum credam. Eos enim tum cum circulo aureo, tum eodem fere capillo in monumentis antiquis adparere, perspicuum est ex eorum imaginibus, numisque a I. Vaillantio in historia Ptolemæorum delineatis. Habes hic & alia Regum Galliæ sigilla e Mabillonio delineata, veluti (*)Ludouici Balbi, Caroli Simplicis, Ludouici Transmarini, qui primus corona radiata vsus est, Zuenteboldi, Lotharii, qui primus baculum oblongum dextra gestat, sinistra sceptrum, instar clauæ Herculeæ, Hugonis, dextra præferentis manum iustitiæ. Rotberti, dextra lilium, aut sceptrum, sinistra globum gestantis, ac denique Henrici Regis, (**) de quo Mabillonius: *Primus*, inquit, *videtur in sigillo gestare coronam liliatam, licet eam iam Carolingi in effigiebus Baluzianis & tumulis gestent.* Recentiora, quum fere sint eiusdem generis, delineare piguit.

4) ALIORVM.

SIGILLVM S. LVDOVICI.

XI. Ex eadem tamen Capetingica Regum Francicorum familia hic repræsentare iuuat annulum Ludouici Sancti, a Chiffletio (a) depictum, exhibentem Ludouici Regis thoracatam effigiem, sapphiro cyanei coloris expressam. (†)Habes hic Regem coronatum, lunæ, lilio signatæ, insistentem inter duo lilia, dextraque gladium tenentem. Habitus simplex, qualem nobis describit Nangiacus vitæ Lndouici S. auctor: *Numquam indutus squaleto, vel panno viridi seu bruneto, nec pellibus variis, sed veste nigri coloris vel camelini, seu Persei.* Non temere suspicatur Chiffletius, eiusmodi annulo Regem vsum, quum afflictis Syriæ rebus opem laturus, in Orientem traiiceret. Id tamen nescio, quo pacto admitti queat, quod lunam bicornem supra quam eminet thoracata Regis effigies, Thraciæ symbolum interpretetur. Quo iure enim Byzantinorum tum Christianorum symbolum sibi vindicasset? Nec Saraceni tum lunam bicornem insignium loco tulere. Potius ergo eo adducor, vt credam, lunam hanc solius elegantiæ caussa additam esse. Idem enim frequentissimum est in numis tum Augustarum (b) tum illo spurio Heraclii Imperatoris, quem describit Carolus du Fresne. (c)

SIGILLA REGVM EXTERORVM.

XII. Quam ceteri Reges medio æuo sequuti sint rationem, nondum habeo compertum. Suspicor tamen, eorum sigilla cum nostrorum Cæsarum sigillis, quæ maiestatis vocant, fere coincidere. Sane enim eodem pæne schemate, quale in Imperatorum *sigillis deprehendimus*, Reges Hispaniarum Philippum I, Carolum I, Philippum II, Philippum *III*, & *Philippum* IV exhibent sigilla, quæ eleganter æri incisa sistit Oliuarius Vredius, (d) ex quibus exempli loco seligimus sigillum Philippi II, quod Philippum exhibet throno splendidissimo insidentem, dextra gladium, sinistra sceptrum tenentem, dispositis ex vtraque parte insignibus, cum hoc titulo: PHILIPPVS D. GR. REX. HISPAN. ANGL. FRANC. VTR. SICIL. &c. ARCHID. AVSTR. DVX BVRG. BRAB. &c. COMES FLANDR. &c. De Suecorum etiam Regibus id mihi constat exemplo Christophori Regis, qui anno M CCCC XL, emendatis a se regni legibus, bina adpendit sigilla, quorum in altero apparet Christophori effigies, cum Dacicis, Slauonicis & Bauaricis insignibus & titulo: SIGILLVM. MAIESTATIS. CHRISTOFERI D. G. DACIE. SCLAVORVM. GOTORVMQVE. REGIS. COMITIS PALATINI. RHENI. ET. DVCIS. BAVARIE. in altero sagatus Ericus Rex, cum tribus coronis & perigraphe: SANCTVS ERICVS. SVECORVM. GOTHORVM. REX. SIGILLVM. REGNI. SVECIE. (e) Idem de ceteris quoque regnis statuendum videtur, quorum Reges non minus ac Hispani & Sueci Imperii nostri sigilla maiestatis videntur imitati. Adparet hoc cum ex aliis, tum præcipue ex Wenceslai II Regis Bohemiæ elegantissimo sigillo, anno M CCC diplomati adpenso, cuius nitida delineatio est apud Antonium Weckium. (f) Habes & hic Regem coronatum, throno insidentem, dextraque sceptrum, sinistra globum præferentem, apparentibus vtrinque binis scutis cum leone & aquila coronato & titulo: ✠ WENCEZLAVS. SECVNDVS. DEI. GRACIA. REX. BOEMIE. DVX. CRACOVIE. ET. SANDOMERIE. MARCHIO: Q: MORAVIE: Contrasigillum vero sistit eundem equo eleganter strato tribusque scutis gentilitiis exornato insidentem, sinistra scutum cum aquila coronata, dextra vexillum cum leone tenentem. Titulus cum antecedente idem est. Videtur ergo ex hoc esse perspicuum, Reges Imperatorum nostrorum sigilla subinde esse imitatos,

*) *TAB. III. n. 15. 18. 16. 19. 20. 21. 22.* **) *TAB. VII. n. 6.* a) CHIFFLET. *c. 7. p. 97. Anastas. Child.* †) *TAB. I. n. 5.* b) OCTAV. DE STRADA *p. 89. 118. 124. 157. 270.* c) DV FRESNE *diss. de infer. æui num. n. 65. p. 43. sq.* d) VRED. *de sigill. Com. Fland. passim. & p. 270.* e) SCHEFFER. *de antiqu. Regni Suec. insign. c. 9.* f) WECKIVS *Part. 2. Chron. Dresd. tit. 1. p. 161.*

tatos, nec tamen abhorruisse etiam ab eiusmodi sigillis, in quibus ipsi equis insidentes, gladiumque vel vexillum gestantes apparent, vt plura exempla Caroli I. Philippi II, Philippi III & Philippi IV Hispanorum ab Olluario Vredio subinde allata, abunde testantur. Quo etiam spectat sigillum Premislai Regis Bohemiæ, ceræ albæ impressum, exhibens illum equo insidentem cum vexillo & scuto leonem exhibente: S. PRE---BOEMOR MARCHIO MORAVIE, quod attulit doctiss. Dn. Tenzelius, (a) qui etiam defectum quodammodo ex diplomate a Balbino (b) descripto suppleri posse credit, vbi hic titulus habetur: *Przemysl. Dei gratia Hæres Regni Bohemiæ Dux Austriæ, Dnus Stiriæ, Morauiæ Marchio.* Denique mos iste inualuit, vt Reges plerumque propriis imaginibus abstinentes sola insignia regni sigillis insculpenda curarent, quod hodienum in plerisque aulis curiisque regum obseruari constat.

SIGILLA REGVM ORIENTALIVM. 1) RVSSORVM.

XIII. Ab hoc tamen occidentalium more se distinguunt orientales, apud quos plerumque imaginum vsus non adeo frequens reperitur. Sane Moscouitarum Czari, vt auctor est Baro Sigismundus ab Herberstein, (c) olim tribus circulis triangulo inclusis pro sigilli imagine vsi sunt. Primo hæc epigraphe addita: DEVS NOSTER TRINITAS, QVÆ FVIT ANTE SECVLA, PATER. ET FILIVS ET SPIRITVS SANCTVS NON TAMEN TRES DII SED VNVS DEVS IN SVBSTANTIA. In vltimo circulo titulus Magni Ducis Moscouiæ erat, in quo se Regem ac Dominum totius Russiæ nuncupabat. In medio titulus Regis, ad quem scribebatur, addita inscriptione: FRATRI NOSTRO.

2) SARACENORVM ET BARBARORVM.

XIV. Sigilla Turcarum Imperatorum, vt & Persarum Regum supra descripsimus, (d) eaque non nisi certos linearum ductus variasque inscriptiones sine imaginibus diximus præ se ferre. Quod quam antiquum sit institutum, patet ex sigillis Chalifarum, de quibus Hottingerus: (e) *Symbolum*, inquit, *quisque suum ad pietatis speciem vtcumque compositum, sigillo insculpebat.* Ea symbola nobis ex *Elmacini Historia Saracenica* descripsit doct. Dn. Tenzelius. (f) Ipse enim Mahomed pseudopropheta & impostor delectatus est formula: IN DVPLEX TESTIMONIVM, quam etiam Abubecer & Omar retinuerunt. Otman vero siue Osman hoc symbolum in sigillis expressit: CREDO IN DEVM CREATOREM ET ADMINISTRATOREM. Alis siue Ali hanc elegit epigraphen: SOLI DEO FORTI DOMINIVM. Denique & Haseno alia placuit hunc in modum concepta: NON EST DEVS VLLVS PRÆTER DEVM REGEM VERVM ET MANIFESTVM. Ex quibus liquet, vera scripsisse Petrum de la Valle, (g) orientales in sigillis nulla insignia, sed titulos solum & symbola insculpere. Plura equidem eiusmodi sigilla orientalium tum publica, tum priuata descripsit *Andreas Mullerus in Notis ad Mosis Mardeni epistolas Syriacas.* Sed quum hoc libro, vtpote rariore, destituamur, lectori, cui licebit esse feliciori, istum consulendum commendamus.

DE SIGILLIS PRINCIPVM COMITVMQVE.

QVANDO PRINCIPES DIPLOMATA SIGNARE COEPERINT?

XV. Proximum est, vt ad Principum Comitumque sigilla transeamus, inquisituri, quibus potissimum imaginibus atque inscriptionibus vsi sint. Hic vero ante omnia videtur dispiciendum, quonam æuo Principes Comitesque cœperint sigillis in diplomatibus vti? Memini igitur iam supra, (h) me ex Thassilonis Boioariæ, Ludolphi Saxoniæ Ducum aliorumque Comitum tabulis a Frehero, Goldasto & Pistorio recensitis obseruare, Carolingorum temporibus plerumque in Principum diplomatibus subscriptiones sigillorum loco esse, nec vnquam fere sigillorum fieri mentionem. Mature tamen admodum cœpisse eos mutato antiquo more sigilla quoque adhibere, auctores meos sequutus statuo, quidquid aliis videatur. Egregie mihi placet Mabillonii (i) sententia his verbis concepta: *Fatendum est, sigillorum vsum saltem apud Francos, etsi ab æuo Gregorii Turonensis in chartis receptum, non tamen omnibus ante seculum XI conuenisse. Nam in multis, quæ vidimus, Magnatum primariis instrumentis, puta Giselæ, sororis Caroli M. pro cœnobio Dionysiano, Hugonis Ducis pro ecclesia Carnutensi & aliorum NVLLVM ADPARET SIGILLI VESTIGIVM. At in charta quadam venditionis Vulrado Abbati Dionysiano factæ, per Adelhardum extat paruum sigillum chartæ affixum.* Noui equidem, Io. Auentinum (k) istam gloriam vindicare Henrico VIII Regulo Boiorum,

a) TENZEL. *suppl. 2. Goth. p. 597.* b) BALBIN. *Miscell. Boh. dec. 1. l. 6. p. 18.* c) HERBERSTEIN *lib. 1. de Reb. Moscouit.* d) *cap. 3. n. 16.* e) HOTTINGER. *Archæolog. Orient. cap. 3. p. 185. & de num. Orient. p. 154.* f) TENZEL. *dialog. menstr. 1690. p. 828.* g) PETR. DELLA VALLE *Part. 4. Itiner. p. 184.* h) *cap. 3. n. 12.* i) MABILLON. *lib. 2. c. 18. n 3. p. 146. de R. D.* k) AVENTIN. *lib. 6. p. 492.*

de quo ita ſcribit: *Atque hunc Hainricum Octauum Regulum Boiorum, primum omnium, priuatis auſpiciis, donationem feciſſe, diploma dediſſe, hoc SVA IMAGINE SIGNASSE, id quod antea Imperatores, Reges & Cæſares DVNTAXAT FACTITARVNT, reperio. Initium & finem exemplum eius tabulæ ſubſcribo. In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Hainricus diuina fauente clementia, DVX BAVVARIORVM conſenſu Vulfhyldæ vxoris, decimas in pago Rannesbofen de nemore Willebart tradit ad aram diui Pancratii & alia quædam prædia. Actum Rannesbofen anno Chriſti MCXXV, præſente Ottone Palatino, Friderico de Regenesburc, Dei gratia Dux Bauariæ. Data Rannesbofen in palatio. III. KL. Aug. per manum Bernhardi notarii.* Hæc Auentinus, quem patet ſigillorum Ducalium originem ad ſæculi XII initia referre. At non ferunt noſtræ rationes, vt ei hac in re aſſentiamur. Quid enim fiet ſigillo Guaimari, Principis Salernitani, quod profert Mabillonius? (a) Quid ſigillo Geronis Marchionis, cuius meminit Hoppenrodius in annalibus Gernrodenſibus? (b) Quid ſigillis Arnulfi, Balduini, Roberti Friſonis, Roberti Iunioris, & Balduini Securis, Comitum Flandriæ, quæ eleganter delineata reperimus ab Oliuario Vredio? (c) Sane omnes hos Henrico Bauaro eſſe priores, & tamen ſua imagine ſignaſſe diplomata, videmus. Guaimarus enim floruit ſub Conrado II & Henrico III Imp. Gero imperante Ottone I. Arnulfus Comes anno D CCCC XVIII. Balduinus Pius anno MXXXIV Robertus Friſo anno M LXXI, Robertus Iunior anno M LXX XXIII. Balduinus Securis anno M C XII, quum Heinricus Bauarus demum anno MCXXV diploma iſtud dediſſe feratur. Immo Mabillonius (d) profert locum e teſtamento Heckardi Comitis, qui Richildi legat inter cetera *ſigillum de Amatixto*, (id eſt, Amethyſto,) *vbi aquila ſculpta eſt:* & Adanæ germanæ ſuæ *ſigillum item de Ametixto, vbi homo eſt ſculptus, qui leonem interficit.* At *ſigillum de Onychino* aliudque *de Berillo* aliis tradit. Quæ ſigilla ſi fuerint ad vſum Heckardi, etiam plura vni ſigilla nonnunquam tum adhibita eſſe demonſtrant. Non igitur eſt dubium, quin ſtatim a Carolingicæ ſtirpis interitu, quum ducum principumque potentia ſenſim adoleſceret, ſigilla cœperint vſurpare ii, quibus diplomata dare iure licuit. Quibus præmiſſis ad ipſas iam ſigillorum Principalium imagines progredimur.

SIGILLA ANTIQVISSIMA PRINCIPVM.

XVI. Primo igitur obſeruamus, antiquiſſima Principum Comitumque ſigilla referre principum imagines, vel ſellæ inſidentes in iudiciariæ poteſtatis ſignum, (e) vel *thoracatas, manu* alterutra plerumque ſceptrum præferentes, ſiue ſcutum, ſiue gladium ſtrictum, ſiue vexillum. Sic ſigillum Arnulfi M. Comitis Flandriæ, (*) quod ex Principum ſigillis vidi antiquiſſimum, ſiſtit inſidentem ſellæ Comitem, dextra & ſcutum & enſem tenentem, cum perigraphe: SIGNV ARNVLPHI FLANDRENSIS MARCHISI. Allegat hoc ſigillum etiam Mabillonius, (f) qui tamen auctorem non vidiſſe videtur. Tripliciter enim eum video hallucinari. Primo auctorem vocat *Oliuarium de Wræo*, cum ipſe ſe conſtanter ſcribat *Oliuarium Vredium.* Deinde diploma, cui ſigillum affixum eſt, datum exiſtimat anno D CCCC III, quum duodecim annis ante prodierit. Denique clypeum ait eſſe in ſiniſtro brachio, qui in dextro eſt. Waimari Ducis Salernitani ſigillum exhibet altera parte effigiem Principis thoracatam, corona clauſa redimitam, ſceptrumque dextra tenentem, cum inſcriptione: VVAIMARIVS PRINCEPS, altera manum protenſam, cuius digitus medius intra indicem latet cum eadem epigraphe. Binis his ſigillis addimus tertium Alberti VII Comitis Ballenſtedenſis, (**) qui itidem ſæculo XI floruit, annoque MLXXIV demum dicitur obiiſſe. Debemus id ſigillum diligentiſſimo Domino Chriſtiano Knauth, (g) qui illud fundationi Præpoſituræ Ballenſtedenſis annexum inuenerat. Siſtit imaginem comitis vmbilicum tenus palliati, galeaque acuta & multis globulis exornata tecti, dextra quoque vexillum, ſiniſtra umbellam præferentis cum perigraphe: ✠ADELBERTVS COMES.

SVNT SIMPLICISSIMA.

XVII. Ex tribus hisce ſigillis, quibus antiquiora non vidi, ſatis puto lectorem perſpecturum, quænam antiquitus fuerit Principalium ſigillorum facies. Summam nimirum in iis animaduertet ſimplicitatem, habitum Principum virilem, & ad maieſtatem compoſitum, inſignia ſimpliciora, & tantis viris digna, inſcriptiones denique ſine omni titulorum ſyrmate conceptas.

a) MABILLON. *ſupplem. lib. de R. D. c. 11.* b) *p. 424. ap.* MEIBOM. *tom. 2. Scr. Rer. Germ.* c) VRED. *de ſigill. Com. Flandr. p. 2. 4. 6. 7. 8. 9.* d) MABILL. *lib. 2. c. 18. n. 2. p. 146. de R. D.* e) MOLAN. *hiſt. S. imag. l. 4. c. 29. p. 451.* *) *TAB. X. n. 1.* f) MABILL. *lib. 2. c. 18. n. 3. p. 146. l. c.* **) *TAB. X. n. 2.* g) KNAVT. *Diſſ. de pagis Anhalt. n. 22. p. 8.*

conceptas. Ne tamen videamur ſigilla recenſere potius, quam explicare, hæc potiſſimum in his ſigillis lectori remoræ futura ſuſpicor:

I. Quid ſibi velit vox Marchiſi in ſigillo Comitis Flandrenſis?

II. Cur Waimarus corona ſceptroque, regum inſignibus, vti non dubitarit?

III. Cur gladium ſtrictum toties in ſigillis præferant Principes?

ad quæ breviter noſtro more reſpondebimus.

QVID SIBI VELIT TITVLVS MARCHISI.

XVIII. Titulus igitur Marchiſi, licet in ceteris Marchionum ſigillis non ſit adeo frequens, Flandriæ tamen comitibus antiquioribus admodum fuit in deliciis. Oliuarius Vredius, qui in ſplendidiſſimo opere de ſigillis Flandriæ Comitum, non modo ſigilla, ſed & inſcriptiones & ſubſcriptiones diplomatum magna diligentia notauit, non raro huius tituli meminit. Arnulfus I. diploma anno DCCCC XLI, ita orditur: ARNVLPHVS *adminiculante ſuperne Regis clementia*, MARCHISVS. In fine vero hunc in modum ſubſcribit: *Signum Arnulfi, clementiſſimi Comitis, atque MARCHISI.* Aliud eius diploma anno DCCCC LIII ita incipit: *Ego in Dei nomine ARNVLPHVS Flandrie comes & MARCHISVS.* Eodem deinde titulo vtuntur Balduinus Barbatus, anno DCCCC XLI Arnulfus II anno DCCCC LXXII. Balduinus Barbatus, anno DCCCC LXXXIIX. Balduinus Seeuris, anno MCXIX. Non alia hoc titulo dignitas indicatur, quam ea, quam vulgo Marchionatum, noſtra dialecto ein Marggrafſthum vocamus, eaque voce ad Gallicum Marquis propius accedente, vtuntur etiam Hincmarus, (a) Ordericus Vitalis, (b) Radulphus de Diceto, (c) aliique plures, quorum loca collegit Carolus du Freſne. Nec mirandum eſt, Marchiſos ſe vocare Flandrenſes Comites, qui poſterioribus temporibus licet fortunis aucti, comitum axiomate contenti erant. Magna enim apud eos antiquis temporibus reperitur titulorum varietas. Vnus idemque enim Balduinus Pius annis MXXXIIX. MLXV & MLXVII ſe vocat Flandrenſium Comitem, anno MLVI Flandrenſium Marchionem, anno MLXIII Flandrenſium Principem. (d) Adeoque quum in comitatu ſuo ſumma vterentur poteſtate, nec titulos ſubinde mutare ſibi religioni duxerunt. Imo Robertus iunior, qui & ipſe titulos ſæpiuſcule mutauit, teſtaturus, quanta gauderet in comitatu ſuo poteſtate, titulo hoc notatu digniſſimo vſus reperitur: (e) *Ego* ROBERTVS *vniuerſæ Flandriæ poſt Deum Princeps.* Quod quidem occaſione vocis MARCHISI in Flandrenſium ſigillis obuiæ, monere viſum eſt.

SCEPTRVM ET CORONA AN INTER INSIGNIA PRINCIPVM?

XIX. At Guaimari ſigillum, de quo altera quæſtio eſt propoſita, fateor aliquid habere ſingulare, nec illud tam inter Principum, quam Regum ſigilla puto referendum. Sane enim omnia Regum iura illum exercuiſſe, interque ſuos fuiſſe dignitate regia, quamuis careret nomine, ex eo etiam conſtare arbitror, quod, vt ſupra monuimus, aurea bulla vſus ſit, quam præter Imperatores & Reges ea ætate vſurpare auſus eſt nemo. In nullius quoque Principis ſigillo coronatum Principem memini me vidiſſe. Capitis enim tegmen eos vix aliud video vſurpaſſe, quam galeam, modo in acumen deſinentem, modo mitræ inſtar rotundam. Sæpius etiam nudo capite ſe offerunt. Nec tamen plane inconſuetum illis fuit, corona vti. Cl. Schlegelius (f) profert numum bracteatum, neſcio cuius Thuringiæ Landgrauii, in quo princeps equo inſidens in capite geſtat circulum coronæ admodum ſimilem. In Friderici Fortis Thuring. Landgrauii monumento, quod celeb. Tenzelius (g) delineauit, Landgrauius in capite geſtat coronam: Ein Krönlein, oder in ſolcher Geſtalt gefaltenes Nachthäublein. Nec deſunt auctorum loca, de quibus id facile demonſtrari poterit. Continuator Aimonii (h) de Carolo Caluo Imperatore agens ita ſcribit: *Romam exiens Papiam venit, vbi & placitum ſuum habuit, & Boſone vxoris ſuæ fratre Duce ipſius terræ conſtituto & CORONA DVCALI ornato ad monaſterium peruenit.* Rogerus Houedenus de Ioanne, Comite Moritaniæ, poſtmodum Rege Angliæ: *Accinctus eſt gladio Ducatus Normanniæ, in matrici eccleſia per manum Walteri Rotomagenſis Archiepiſcopi: & prædictus Archiepiſcopus poſuit in capite ducis CIRCVLVM AVREVM, habentem in ſummitate per circulum roſas aureas.* Ægidius de Roya: (i) *Rex Franciæ ſolennem Curiam Pariſiis tenuit, in qua omnes principes ſub CORONA fuerunt, demto Roberto Comite Flandriæ, vnde rex mirabatur.* Auctorem etiam habeo Bal-

a) HINCMAR. *epiſt. de ordine Palat. cap. 30.* b) ORDER. VITAL. *l. 3. p. 481.* c) RAD. DE DICETO *p. 680.* d) OLIV. VRED. *l. c. p. 4.* e) VRED. *l. c. p. 8.* f) SCHLEGEL. *de num. Iſen. tab 2. n. 5.* g) TENZEL. *biblioth. curioſ. anno 1704. p. 1160. ſq.* h) AIMON. *contin. cap. 32.* i) ÆG. DE ROYA *ad ann. 1313. conf.* DV FRESNE *Gloſſ. L. p. 1228.*

binum, (a) Duces Bohemiæ, antequam regia dignitate fulgerent, a Friderico I Imperatore istud priuilegium adeptos esse, vt aureo circulo a Pragensibus Episcopis redimiti prodirent. Cuius concessi iuris meminit etiam his verbis Carolus IV in diplomate: *Sicut litteræ Diui Friderici Romani Imperatoris Augusti testantur, qui de certa sua scientia in prima ipsarum claræ memoriæ Vladislaum Ducem Bohemiæ illustrem, dum viueret, heredes & successores suos, virtutis & excellentiæ ipsius industria poscente, antequam eundem ad Regnum Bohemiæ coronari contingeret, GESTANDO CIRCVLO decorauit, vt eodem insigni circulo ad instar Imperatorum & Regum Romanorum in Natiuitate Christi, & Saluatoris nostri, Paschæ & Pentecostes nec non beatorum Wenceslai & Adalberti, Patronorum Bohemiæ, festiuitatibus vteretur; qui tamen Circulus eidem Duci a nemine præterquam a Pragensi aut Olomucensi Episcopis, vel eorum altero, qui dum alterum ex iis abesse contingeret, vices suppleret amborum, in prædictis festiuitatibus fuerat imponendus.* Idem etiam insigne fuisse Ducum Burgundiæ, tum ex sigillis Maximiliani & Mariæ apud Oliu. Vredium, (b) tum ex Famiano Strada (c) liquet. Pertinent huc etiam monetæ Baronum Francicorum a Carolo du Fresne (d) delineatæ, in quibus subinde coronæ adparent, veluti in denariis Comitum Cenomanensium & Suessionensium. Quamobrem non multum equidem a more vulgari abiit Guaimarus, corona vsus; at quod coronam clausam suam fecit, id vero videtur paullo magis a principum consuetudine abhorrere, quum omnes hæ, quas recensuimus, principum comitumque coronæ apertæ sint, ac illi Guaimari dissimiles. Idem de sceptro sentiendum est, quod dextra gerit Guaimarus: Omnino olim id insigne non Imperatorum solum & Regum, sed principum etiam fuit, licet procedente tempore illis cœperit esse proprium. Adparet id ex Ordine creandi nouum Ducem a Paulo II Pontif. instituto, vbi ita legimus: *Posthac immediate dat ei SCEPTRVM in manu dextra dicens: Accipe virgam directionis & iustitiæ --- Et mox cum birreto & SCEPTRO osculatur pedem pontificis.* Fr. quoque Modius (e) ita de inuestitura Borsi Ferrariæ Ducis scribit: *Insertum est dextræ eius ab eodem SCEPTRVM siue PEDVM AVRATVM.* Denique & de Ducibus Lotharingiæ auctor est Ruellius (f) *eos manum iustitiæ*, hoc est sceptrum, cuius in extremitate manus eburnea, iustitiæ signum, eminet,) *gestare, perinde ac Reges Francorum.* Non igitur est mirum, si Guaimarus sceptro vti voluit, quod & alios principes vsurpare nouerat. Cuius rei exempla spectare licet tum in numo bracteato Ludouici V Thuring. Landgrauii a Cl. Schlegelio (g) delineato, tum in sigillo Ottonis & Henrici Comitum Aschariæ & Principum de Anehalt, infra a nobis proferendo, (*) in quo vterque illustrissimorum fratrum sceptrum liligerum gerit.

QVID SIBI VELIT STRICTVS ENSIS?

XX. Tertia quæstio spectat enses, quos sæpius in sigillis gestant Principes & Comites. Sane in sigillis Comitum Flandriæ ab Oliuario Vredio delineatis, vix aliter adparent Comites, quam strictum ensem vibrantes. Id quod etiam obseruare licebit in duobus sigillis Wilhelmi Comitis de Isenberch, & Vlrici Domini de Hainowe infra a nobis describendis. (**) Nec desunt numi bracteati, in quibus principes æque ac comites cum gladiis strictis occurrunt. Profert Cl. Olearius (h) numum bracteatum Balderici nescio cuius, quem ipse laudatus auctor Balderico, Thuringiæ Regi, vindicat. In eo stantem videmus principem paludatum, dextra ensem, sinistra vexillum præferentem, cum perigraphe BALDORIC. Habemus ibidem (i) numisma eiusdem generis Ottonis, Marchionis Brandenburgensis, elegantissimum, quod itidem sistit Marchionem paludatum, dextra ensem, sinistra clypeum gestantem cum hoc titulo: OTTO MARCHIO BRANDEBVRGENSIS. Cl. Schlegelio debemus numos tres Ottonis Marchionis Misniæ, (k) binos Alberti eius filii, (l) vnum Theoderici itidem Marchionis Misniæ, (m) vnum Comitis Palatini Saxoniæ nescio cuius, (n) & denique vnum Farmanni, Comitis de Lobdeburg, (o) qui omnes gladium strictum præferunt. Ex quibus id consequi puto, morem hunc ita pingendi principes comitesque, esse & frequentissimum & satis antiquum. Nec longe petenda videtur ratio, quamobrem isto gestamine adeo delectati sint Principes, quum ex ipsa scriptura rationem huius rei reddere possimus. Grauiter enim de

a) BALBIN. *Epit. Rer. Bohem. l. 3. c. 14. p. 261.* b) VRED. *l. c. p. 104. 106.* c) FAM. STRADA *Decad. 1. lib. 10. ad ann. 1528.* d) DV FRESNE *part. 2. Gloss. Lat. p. 650.* e) MOD. *Pand. Triumph. tom. 1. lib. 4. c. 15.* f) *pomp. funebr. Caroli III. Duc. Lothar. p. 161.* g) SCHLEGEL. *diss. de num. Isenac. tab. 2. n. 4.* *) *TAB. X. n. 6.* **) *TAB. XII. n. 1. 2.* h) OLEAR. *Spicileg. antiquit. 1. n. 12. p. 9.* i) OLEAR. *n. 14. p. 11.* k) SCHLEGEL. *de monast. Vet. Cell. n. 18. p. 31.* l) Id. *n. 21. p. 33.* m) Idem *n. 32. p. 43.* n) SCHLEGEL *in Epist. de numism. Blankenb. Tab. 1. n. 13.* o) Id. *tab. 2. n. 22.*

de Principum enſe loquutus Paulus: (a) *Quod ſi male*, inquit, *egeris, formida. Nec enim ſine cauſſa GLADIVM geſtat, quippe quum ſit Dei miniſter, ad irrogandas pœnas iis, qui male faciunt.* Quod ſi tamen ex ipſa antiquitate rationem audire malis, recte ad principum quoque gladios retuleris, quæ de Imperatorum enſibus cecinit Godefridus Viterbienſis:

Iudicii Signum GLADIVS monſtrare videtur,
Quo malefactorum feritas ceſſare iubetur,
Vt Latro fruſtretur, Rex tenet arma ſecus.
Præcipitur GLADIVS vibratus ſemper haberi,
Puniat vt ſubito, potuit quod culpa mereri,
Nam ſi tardus erit, pax viduata perit.

Hinc factum eſt, vt comites territorii ſui non alio, quam gladii oblati ſigno a regibus impetrarent dominium, cuius rei multa exempla collegit Carolus du Freſne, (b) qui & in multis diplomatibus obſeruauit phraſes: *Hic locus pertinet ad iuſtitiam GLADII mei. Comitatus Flint pertinet ad GLADIVM Ceſtriæ. Hunc locum poſſidet liberum ad GLADIVM.* Quibus imperium deſcribere antiquos voluiſſe, omni dubio caret. Facile ergo cuiuis licebit colligere, quamobrem iſthoc geſtamen tam frequenter in numis æque ac ſigillis prætulerint principes, ſiquidem ſummum ius territoriale non potuiſſent commodiore ſymbolo teſtari. Interea non deerant Principes, qui modeſtius de ſe ſentientes, non niſi in Dei ſeruitium gladium ſe præferre aſſerebant. Vnde Philippus Elſatius, Comes Flandriæ, diploma anno MCLXIV ita orditur: *Ego Philippus Flandriæ Comes, qui GLADIVM DEI porto, pro eccleſia eius ſtare & iura eius tueri debeo.* (c)

SIGILLA EQVESTRIA SIMPLICISSIMA.

XXI. Ita quidem antiquiſſima Principum ſigilla comparata eſſe videmus. Sæculo vndecimo aliud inualuit apud Principes comitesque ſigillorum genus, quod equeſtrium nomine notamus. Quum enim ſigilla antea Principes ſedentes aut eorum duntaxat effigies thoracatas ſiſtant: ex eo tempore equo incedentes ſe oſtentare maluere, ita tamen, vt ne hic quidem apud omnes eadem adpareat ratio. In ſigillis eiusmodi equeſtribus antiquioribus equi, quibus inſident, nihil habent ornamenti, adeo, vt plerumque & ephippia & fræna deſiderentur, quæ elegans eſt obſeruatio Oliuarii Vredii. (d) Galeæ porro acuminatæ ornabant equites nullis cimeriis, quæ vocant, excultæ, reliquus habitus lorica, quam deinde tunicis prolixis tegebant, id quod obſeruat etiam Dugdalus in antiquitatibus Warwicenſibus: *Tempore Regis* (Angliæ) *Ioannis erant in ſigillis dominorum TVNICÆ ſuper LORICIS, non autem ante, erant autem TVNICÆ LONGÆ ad talos.* Dextra denique plerumque vexillum, aut gladium, ſiniſtra vmbellam gerebant, nullis inſignibus gentilitiis, ſed ſtriis lineisque exornatam. Inſcriptiones fere nudum nomen & dignitatem, rarius prouinciarum nomina continebant. Quod vt eo dilucidius adpareat, en bina ſigilla comitum Flandriæ, nec enim antiquiora nunc ſuccurrunt, vnum Rodberti Iunioris anno MXCIII, alterum Guilielmi Normanni anno MCXXVII. In ſigillo (*) Rodberti (e) Comes equo, omnibus ornamentis deſtituto, vectus, galeaque acuta ornatus, dextra gladium vibrat, ſiniſtra vmbellam tenet. Perigraphe: RODBERTVS, ceteras literas vetuſtas detriuit. Alterum (**) ſigillum exhibet comitem equo, ephippiis quidem & ſtapedibus exornato, fræno tamen deſtituto inſidentem, veſteque mira admodum indutum, quippe cui galea vno nexu adhæret. Dextra præfert vexillum, ſiniſtra vmbellam. Inſcriptio iam ab antiquo more paullulum declinans ita ſe habet: ✠ SIGILLVM GVILIELMI COMITIS FLANDRIE.

MOX ORNAMENTIS VARIIS CONSPICVA.

XXII. Vt innoteſcat porro, quomodo cœperint ſenſim Principum ſigilla equeſtria magis magisque exornari, quatuor alia tibi ſuppeditamus, in quibus & equos multo comtiores, & ephippia longe elegantiora, & fræna ſtapedesque multo expreſſiora, quin & calcaria & inſignia gentilitia ſcutis impreſſa obſeruabis. Primum eſto Henrici Leonis (**) ſiſtens equitem, dextra vexillum tribus vicibus in ora exteriore inciſum, variisque reticulis exornatum, ſiniſtra ſcutum oblongum, cui leo inſculptus eſt, tenentem, cum perigraphe: HENRICVS. DEI. GRA.

a) *Rom. XIII.* 4. b) DV FRESNE *part. 2. l. c. p. 630.* c) VRED. *de ſigill. Com. Flandr. p. 20.* d) Idem *de ſigill. Comit. Flandr. p. 9.* *) *TAB. X. n. 3.* e) VRED. *l. c. p. 7. & p. 11.* **) *TAB. X. n. 4.* **) *TAB. X. n. 5.*

GRA. DVX. BAWARIE. > SAXONIE. Secundum ſuccedat (*) Friderici Comitis Palatini Sommerſenburgenſis e ſæculo XII, in quo itidem Comes Palatinus equo inſidens dextra vexillum, ſiniſtra ſcutum gerit, cum inſcriptione: FRITHERICVS DI GRA PALATINVS COMES. Tertium eſto Ludouici III. Thuringiæ Landgrauii iam a Cl. Schlegelio (a) delineatum, quod ideo commendare placuit, vt tintinnabula in phaleris obuia, qualia & in nonnullis ſigillis Flandricis & numis bracteatis conſpiciuntur, eo dilucidius lectorum oculis obuerſentur. Habes ibidem Landgrauium equo ornatiore vectum, dextra vexillum, ſiniſtra vmbellam geſtantem, cum inſcriptione: LVDEVVICVS LANTGRAVIVS. Agmen denique claudat ſigillum Henrici, Comitis Palatini Rheni & Ducis Saxoniæ, Henrici Leonis filii, cuius typum Tomis Scriptorum Germanicorum præfixit Meibomius, in hoc a ceteris diuerſum, quod quum in illis Principes plerumque galeati vexilla ferant, nullis certis imaginibus inſignita, in hoc Henricus mitram potius, quam galeam ferre videatur & non modo ſcutum, verum etiam vexillum gerat, leone inſignitum. Inſcriptio ita ſe habet. ✠. HEINRICVS DI GRA DVX SAXONIE. ET COMES PALATINꝰ RENI.

CIMERIA IN GALEIS, ET SCVTA GENTILITIA.

XXIII. Paulo poſt cœperunt principes non modo galeas multis cimeriis ac criſtis exornare, verum etiam easdem penitus claudere, equos etiam prolixis tegumentis veſtire, eaque tegumenta non minus, quam ſcuta & vexilla inſignibus gentilitiis illuſtrare. Cuius rei tria hic proferemus exempla. Vnum ex Domini Knauthii diſſertatione de pagis Anhaltinis (b) Bernardi, Comitis Aſcherleuienſis, qui poſtea Ducatum Saxoniæ obtinuit, cum inſcriptione: ✠ BERNHARDVS. DEI. GRATIA. COMES. ASCHERSLEVE. Alterum (**) ineditum Ottonis Principis Anhaltini, elegantiſſimum, in quo tum equi tegumenta, tum ſcutum inſignibus gentilitiis exornatum, tum criſtas galeæ innexas licebit obſeruare. Perigraphen hanc adiectam videmus: ✠ OTTO DEI GRA COMES ASCARIE. ET PRINCEPS DE ANEHALT. Tertium (*⁎*) denique denuo nobis ſuppeditabit Oliuarius Vredius. (c) Habes hic Robertum Betunienſem, qui ſeculo XIII exeunte vixit, atque anno M CC XCV. in ſigillo ſuo equo inſidet generoſo, tegumentisque, in quibus Leo Flandricus refulget, veſtito, ſiniſtra tenens ſcutum iisdem inſignibus exornatum, dextra vero, cuius in humero itidem leo apparet, gladium catenæ alligatum, in capite denique geſtans galeam vndique clauſam, cui draco loco criſtæ inſiſtit, qualis etiam capiti equi imminet. Id quod rectius ex elegantiſſimo Vredii typo, quem tibi damus, intelliges. Inſcriptio his abſoluitur: ✠ S. ROBERTI: PMOGENITI: COMITIS: FLANDRIE:

ORNAMENTA ALIA.

XXIV. Non deſiit hic ornandi ſtudium. Nam ne quid deeſſet ſplendori, galeis etiam inſignia gentilitia, cornua bubula, leones, alas aquilinas, aliasque huius generis res addidere, varia etiam ſcuta gentilitia per orbem diſpoſuere, terram, cui inſiſtunt equi, arboribus, canibus, floribusque exornarunt. Cuius rei cum plurima exſtent apud laudatum Vredium exempla, nos bina ſaltem hic conſpicienda commendamus, ex quibus omnia, quæ adhuc diximus, oculorum iudicio rectius cognoſces. Alterum (†) Ludouici Creſſiacenſis, Comitis Flandriæ anno M CCC XXIX, quod hanc inſcriptionem habet: ✠. LVDOVICI. COMITIS. FLNDRIE: NIVERNEN. ET REGISTESTEN. (d) Alterum Caroli Ducis Burgundiæ, qui anno M CCCC LXXVI, nonis Ianuarii ad oppidum Nanceium cum Heluetiis nimis animoſe pugnans occubuit, in quo hi tituli limbum implent: S. Karoli. dei. gratia. Burgundie. Lotharingie. Brabancie. Limburgie. et. Luxemburgie. ducis. flandrie. Arthesie. Burgundie. palatini. Hannonie. Hollandie. Zelandie. et. Namurci. Comitis. ſacri. imperii. marchionis. domini. Friſie. de Salinis. &. de Mechlinia. Quo ſigillo vix elegantius ſplendidiusque poteſt excogitari, nedum reperiri. (e) Huc pertinent etiam quinque elegantiſſima ſigilla Balthaſaris, Wilhelmi, Friderici, Wilhelmi & Friderici, Thuringiæ Landgrauiorum, quæ Antonius Weckius (f) Chronico ſuo Dresdenſi inſeruit. (††) In his notabis Landgrauios galeis miris veſtitos, cimmeriorumque loco & caput ſenile, Miſnenſi galeæ affigi ſolitum, & pileum acutum Saxonicum, vexillum ſingulare leone

*) *TAB. X. n. 7.* a) SCHLEGEL *diſſ. de num. Iſenac. tab. 2. n. 8.* b) KNAVT. *Diſſ. de Pag. Anhalt. n. 35. p. 17.* **) *TAB. X. n. 8.* *⁎*) *TAB. XI. n. 1.* c) VRED. *l. c. p. 51.* †) *TAB. XI. n. 2.* d) VRED. *l. c. p. 55.* e) VRED. *l. c. p. 94.* f) WECK. *Part. 3. Chron. Dreſd. tit. 3. p. 242.* ††) *TAB. XVII. n. 3.*

leone pictum, scuta præterea varia hinc inde disposita, aliaque singularia quamplurima. Vnde operæ pretium me putaui facturum, si vnum Balthasaris accurate delineatum tibi sisterem inspiciendum. Cum his conferre etiam poteris eiusdem generis sigilla Friderici II, Electoris Saxoniæ, Friderici, Marchionis Misnensis, Friderici Thuringiæ Landgrauii, aliorumque, ab eodem Weckio (a) delineata. (*)

SIGILLA PRINCIPVM IVVENTVTIS EQVESTRIA.

XXV. Sed a vulgari hoc more non parum discrepabant ea sigilla equestria, quæ principes iuuentutis præferebant. Eos enim quum non videretur consultum armis illis, quibus ceteri principes ornabantur, induere: maluerunt iis tribuere aliud gestamen, quod felicem eorum adolescentiam non minus indicaret, eosque a plebeia iuuentute statim distingueret. Quum igitur summi principes iam inde a pluribus sæculis falcones alere atque aucupia iis exercere solerent, certosque præterea haberent in palatio ministros, rei accipitrariæ præpositos, quos Falconarios adpellabant, (b) digna res illa visa est persona principum puerorum, eos veluti ad rem accipitrariam aucupiumque proficiscentes in sigillis repræsentare. Profert Cl. Tenzelius (c) ex diplomate Georgenthalensi anno MCCLV. sigillum Alberti Degeneris, Thuringiæ Landgrauii, adhuc iuuenis, in quo princeps hic iuuentutis equo vectus falconem gerit, cum perigraphe: ✠. S. ALBERTI. H. MARCHIONIS MISNENSIS. FILII. Tale etiam habet Oliuarius Vredius, (**) elegantissimum, Roberti Betuniensis adhuc pueri, anno MCCLXV, quod ita describit: (d) *Adeoque etiam tum sigillum habuit, figura equestri, tanquam ad venationem procedente: cuiusmodi esse plerumque solent iuuenum innuptorum sigilla.* Obseruo in hoc sigillo non modo canem venaticum principem comitari, & falconem portari, verum etiam minorem auiculam ante equum volitare, quam veluti persequuturus videtur comes. Inscriptio ita se habet: ✠. S. ROBERTI. P̄MOGENITI CŌIT. FLANDR. ATTR. ADVOC. BETH. ET TENR. DNI. Vt videas, quantum sibi isthoc gestamine placuerint principes iuuentutis, Henricus quoque Magnus Dux Bauariæ inter imagines a Bucelino (e) relatas dextra falconem cum tintinnabulo in pede gerit, quam effigiem ipse euoluere ac inspicere poteris.

QVÆSTIONES NONNVLLÆ.

XXVI. En igitur diuersa sigillorum equestrium genera, quæ tamen quum solum recensuerimus, exemplisque illustrauerimus, proximum iam est, vt & imaginum reddamus rationem. Quod spero nos facile consequuturos, si nostro more ad aliquas quæstiones, & quidem sequentes respiciamus:

1) Quid significatum voluerint principes, dum equitantes se in sigillis fingi voluerunt?
2) Cur vexilla plerumque prætulerint, & quæ fuerit olim vexillorum forma?
3) Quando primum inualuerit insignium gentilitiorum vsus?
4) Quam ob caussam canes, aues, flores ac spicas adiicienda putarint?

De quibus pauca ex instituto nostro monere consultum putamus.

1) CVR PRINCIPES EQVITANTES SE SISTANT?

XXVII. Primo igitur de equestribus sigillis obseruamus, eodem schemate principes non modo in sigillis, verum etiam numis conspici. Plures exstant numi bracteati Bernardi Ducis Saxoniæ, Ludouici & Hermanni, Thuringiæ, Landgrauiorum, Comitum Blankenburgensium, Mansueldensium, Palatinorum Saxoniæ, aliorumque, quorum iam inire recensum non vacat, in quibus omnibus equo insidere laudati principes videntur. Quæ quum ita sint, non dubito, quin hoc situ ac incessu summam dignitatem suam indicare voluerint. Quemadmodum enim olim, stante Romana re, statuæ equestres ceteris præstare credebantur, ita principes ad dignitatem suam pertinere arbitrabantur, vt equites potius, quam pedites in sigillis fingerentur. Id quod patet 1) ex priuilegiis quatuor aduocatiarum, Thuringis a Carolo M. vel alio potius subsequentium Imperatorum concessis, quorum meminit Legenda Bonifaciana, a doctissimo Domino Tenzelio (f) elegantissimis obseruationibus illustrata, vbi inter alia ita legimus: *Nemo debet in armis equitare, nisi legitime ad hoc natus, vti magnati & nobiles galeati, attamen Christiano licet per defensionem gladium portare.* Certe principum inter ornamenta præcipua relatos esse equos palliatos, phaleratos, coopertos seu stratos, plurima euincunt testimonia Arnoldi Lubecensis, (g) Sugerii, (h) Annalium Colmariensium (i) & Alberti Argentinensis. (k)

Quo

a) Id. *l. c. p. 22. 293. 297. & c.* *) *TAB. XVII. n. 4. & 5.* b) DV FRESNE *Gloss. L. part. 2. p. 349.* c) TENZEL. *biblioth. curios. anno 1704. repos. 1. plut. 4. p. 326.* **) *TAB. XI. n. 5.* d) VRED. *l. c. p. 48.* e) BVCELIN. *Hist. Agilolf. p. 385.* f) TENZEL. *Suppl. 1. hist. Goth. p. 355.* g) ARNOLD. *Lub. lib. 2. cap. 4.* h) SVGER. *in Ludou. VI.* i) *Annal. Colmar. passim.* k) ALBERT. ARGENTIN. *Chron. p. 131. ap. Vrstis.*

Quo pertinet 2) ritus sane antiquissimus, quo principum dextrarius equus armatus & phaleratus coram sepulcro adductus ecclesiæ solebat offerri, tanquam hereoti nomine &. principalis animalis vel caballi, cuius moris plura exempla ex ipsis principum testamentis collegit Carolus du Fresne: (a) quemadmodum & apud Germanos nostros patrum memoria equi bini, alter phaleratus, alter panno pullo obductus, (Trauer- und Freuden-Pferde,) tanquam præcipua principum symbola in funeribus consueuere deduci. 3) Id inde etiam quodammodo colligas, quod & Imperatores Regesque equitantes se in numis voluerint depingi. Ioannis & Caroli V, Regum Franciæ, & Henrici, Regis Angliæ, tres diuersos, in quibus Reges equis vestitis insident, collegit Carolus du Fresne. (b) Alium Caroli VII, maximi moduli, explicauit Tenzelius. (c) Exstant præterea Friderici Imperatoris denarius Mulhulsinus Lothariique & Ottonis numi bracteati, a Cl. Oleario editi, in quibus Imperatores non minus, quam principes, equo vehuntur. Quod argumento esse videtur, non alia de caussa, quam vt summum imperium in territoria sua testarentur, hoc schemate se voluisse a ceteris distinguere. 4) Id quoque argumento esse poterit, quod soli illi, qui ad prouinciarum regimen peruenere, principes equestribus eiusmodi sigillis vsi sint, ceterique solis insignibus gentilitiis fuerint contenti, cuius rei præclarum exemplum in sigillis trium fratrum Hermanni Landgrauii filiorum notauit Tenzelius. (d) Denique 5) vel inde id mihi iure videor colligere, quod in propatulo sit, in iis principatibus, qui in sequiorem etiam sexum hereditario iure deuoluebantur, nec feminas quidem equitantes in sigillis se sistere dubitasse. Quod quum in nostris regionibus, vbi intra digniorem sexum principatuum hereditas plerumque consistit, inusitatum sit, merito inde consequi puto, feminas istas, penes quas summa potestas fuit, hoc situ suum ius testari voluisse. Certe in Oliuarii Vredii opere equitantes obseruabis illustres feminas Margaretham Comitissam Flandriæ, (e) Ioannam Comitissam Flandriæ & Hannoniæ, Margaretham sororem Comitissæ Flandrensis, Mariam Ducissam Burgundiæ: Quod quidem tam diu pro summæ potestatis indicio licebit habere, donec aliud videro eiusdem generis sigillum equestre, a femina illustri, hereditatis paternæ minus participe, vsurpatum.

2) CVR VEXILLVM GESTENT?

XXIIX. Idem statuendum videtur de vexillo, Principum equitantium gestamine, quod Dn. Knauthius (f) hastam cum flammulo (einen Rennspieß mit einer Fahne) vocat. *Noui* equidem, Cl. Schlegelium (g) in ea esse sententia, quod vexilla ista symbola sint *rite ipsis ab Imperatore collati feudi, ac iustæ possessionis suorum principatuum.* Sed hanc coniecturam facile euertent numi bracteati Friderici I & Ottonis IV Imperatorum, ab ipso Domino Schlegelio editi, in quibus non minus ac in Principum sigillis & numismatibus Imperatores equo vecti vexillum vibrant. Iam vero nemo non videt, in hisce numis vexillum non posse signum esse collati feudi, quale Imperatores a nemine agnoscunt. Huc accedit, quod & alii Principes in sigillis eiusmodi vexilla gestent, qui neminem nisi ipsum Deum agnoscebant superiorem. Sane enim Comites Flandriæ, qui se *totius Flandriæ post Deum principes* vocabant, vexilla non respuerunt, quod non feciissent, si collati feudi hoc signum esse nossent. Cl. Otto Sperlingius (h) in alia omnia discedit. Explicans enim nummum Ludouici Prouincialis Comitis de Isenac, a Gudenio (i) exhibitum, eumque Ludouico V Hermanni Fratri tribuens, argumentum etiam sumit a vexillo, quod flammulum S. Georgii sacræque expeditionis insigne esse putat. Ita enim loquitur: *Vellem* (numum) *ad Ludouicum V. Comitem Prouincialem Thuringiæ, Fratrem Hermanni Palatini Saxoniæ referre, qui cum Friderico I. Imperatore in terram sanctam expeditionem susceperit, & in Syria ἄπαις occubuit circa ann. 1191, HINC quoque cum VEXILLO in hoc numo conspicitur, procul dubio S. Georgii, cuius Sancti insignia oppidum Isenacense retinet, eiusque effigiem inauratam in foro ciuitatis,* Mitwochen-Marckt *dicto, positam habet-----: Idem ille Ludouicus S. Georgii templum Isenaci erexit anno 1190. Vt Paulinus docet, erat enim ille Georgius & Sanctus & Martyr & Miles, Patronus Ludouici.* Summa verborum huc redit, quum S. Georgius mira religione cultus sit Isenaci, tempore Ludouici V., idemque princeps eum sibi patronum elegerit, credibile esse, illum eiusdem Diui vexillum tum Germaniæ sacrum, tanquam sacræ militiæ tesseram in numo præferre. Sed quum innumera alia exstent tum numismata caua, tum sigilla, in quibus principes vexilla ferunt, quum tamen neque S. Georgium

a) DV FRESNE *Gloss. Lat. part. 2. p. 734.* b) Id. *Gloss. L. part. 2. p. 630.* c) TENZEL. *dial. menstr. anno 1664. p. 952.* d) Idem *biblioth. curios. anno 1704. p. 1071.* e) VRED. *l. c. p. 23. 30. 35. 101.* f) KNAVT. *Antiqu. Ballensted. p. 137.* g) SCHLEGEL. *de numis Isenac. p. 7. sq.* h) SPERLING. *de num. bracteat. orig. p. 23.* i) GVDEN. *Ann. Erford. lib. 1. p. 31.*

orgium ſibi patronum aſſumſiſſe, nec militiam ſacram ex voto ſuſcepiſſe legantur: aliam oportet huius communis veluti geſtaminis fuiſſe rationem. Hinc potius eo adducor, vt credam, vexillis iſtis Principes ius ſuum territoriale, merumque & mixtum imperium voluiſſe indicare. Notum enim eſt & prouocatum, vexilli erectionem in caſtro ſiue turri ſupremi dominii ſymbolum ſemper fuiſſe. Cuius rei exempla quam plurima ſuppeditabunt Tudebodus,(a) Ordericus Vitalis,(b) Wilhelmus Tyrius,(c) Albertus Argentinenſis. (d) Nec quenquam latere puto, in ſolennioribus Principum pompis totidem præferri vexilla, quot prouinciarum dominum ſe eſſe Princeps nouit. Non autem putandum eſt, recentiorem hunc ritum ad antiquius ævum non pertinere. Auctorem enim habemus Ottonem Friſingenſem, (e) iam Friderico I. Imperatore, Henricum Auſtriacum in ſolenni inueſtitura cum ſeptem vexillis proceſſiſſe. En ipſa eius verba: *Henricus maior natu ducatum Boiariæ per* SEPTEM VEXILLA *reſignauit. Quibus minori traditis, ille* DVOBVS VEXILLIS MARCHIAM ORIENTALEM CVM COMITATIBVS AD EAM EX ANTIQVO SPECTANTIBVS *reddidit. Exinde de eadem Marchia, cum prædictis Comitatibus, quos tres dicunt, iudicio Principum, ducatum fecit: eumque non ſolum ſibi, ſed & vxori cum DVOBVS VEXILLIS tradidit.* Ex quo patet, tot Henricum Imperatori obtuliſſe vexilla, quot adhuc prouincias obtinuerat. Vt adeo vexilla nihil ſint aliud, quam ſymbola principatus magiſtratusque ſuperioris & dominii. Inde etiam factum eſt, vt vix aliter prodirent in militiam viri principes, quam vexillis eiusmodi armati. Hoc ipſo nimirum antiquiore ævo maxime ſe diſtinguebant milites, qui apud Germanos noſtros trium ordinum fuerunt. Sic enim Bruno Monachus: (f) *Similiter pacis oſcula dederunt ORDINIS SECVNDI ſeu TERTII partis vtriusque Milites.* Wippo: (g) *Quod omnes Epiſcopi Duces & reliqui Principes Milites PRIMI, MILITES GREGARII, quin ingenui omnes, ſi alicuius momenti ſunt, regibus fidem faciant.* Quæ loca allegans Carolus du Freſne (h) hanc addit explicationem: *Milites primi & primi ordinis ſunt barones ac bannereti, QVI EDVCENDI VEXILLA IN PRÆLIIS IVS HABEBANT: alii milites ſecundi & tertii ordinis & gregarii ſunt ii, quos Chevaliers, Bacheliers dicimus & qui milites ſimplices adpellantur in Conſtit. Sicul. lib. 1. Tit. 9. 10. lib. 2. Tit. 3. vbi Baronibus opponuntur.*

VEXILLORVM ANTIQVORVM FORMA.

XXIX. Ceterum ſingularis fuit medio ævo vexillorum forma, & ab antiquis pariter & recentioribus haut parum diſcedens. Binis conſtant partibus, haſtili ſiue lancea, & flammulo ſiue velo oblongo. Lancea plerumque nihil habet artis, ſæpe etiam cuſpis vix notatur. At velum in duas fere areas diſpeſcitur, quarum altera integra haſtili propior, antiquiore ævo nihil habuit in ſe aut pictum aut intextum, niſi aut areolas, aut rhombos, aut ſtrias ſeu colores variegatos aut punctula, aut aliud eiusmodi, aut omnino nihil: poſteriore vero tempore inſignia gentilitia, modo nuda, modo ſcuto incluſa: id quod innumeris fere exemplis illuſtrare liceret, niſi & numi & ſigilla equeſtria, quæ exſtant, ſatis ſententiam meam firmarent. Altera aliquoties inciſa modo in tres, modo in quatuor lacinias diſtinguitur. Quod in ſigillis præcipue tam eſt cognitu facile, vt nullo opus ſit perſpicillo. Miror itaque, Dominum Tenzelium explicatis numis Bernardi Ducis in altera area rhombos Ballenſtadienſes, in altera inciſa Aſcherslebienſes trabes ſibi videri inueniſſe. (i) Non enim Anhaltina ſolum, ſed & Thuringica ſigilla numique bracteati eiusdem generis vexilla præferunt. Præterea ipſe Dn. Tenzelius exhibuit ex Obrechti prodromo hiſtoriæ Alſaticæ ſigillum Friderici Ducis Sueuiæ, in quo & rhombi & lacinulæ tam accurate adparent, vt neſciam, quo pacto illa de inſignibus poſſimus interpretari. Imo exſtant ſigilla & numi, in quibus S. Georgius & S. Mauritius vexilla tenent, tam ſimilia illi Bernardino, vt vix ouum ouo poſſit eſſe ſimilius. Rectius igitur ſtatuere videmur, ea vexillorum ornamenta communia eſſe.

3) QVANDO COEPERINT SCVTA GENTILITIA SIGILLIS INSCVLPI?

XXX. Proximum iam eſt, vt de ſcutis gentilitiis eorumque origine nonnulla dicamus, quum ea res permultum ad dignoſcendam ſigillorum æque ac numorum ætatem facere videatur. Quare primo hoc eſt obſeruatione dignum, quod ſcuta inter primaria principum nobiliumq; arma locum olim habuerint. Sane in ſigillis numisque Caroli Craſſi, Arnolfi, Conradi I, Henrici I, Ottonis I, Cæſarum ſupra a nobis deſcriptis vmbellam etiam inter Imperatorum

 inſignia

a) TVDEBOD. *lib. 3. p. 802. 808. 8012.* b) ORDER. VITAL. *lib. 10. p. 773.* c) WILH. TYR. *lib. 13. c. 13. lib. 14. c. vlt.* d) *ap.* VRSTIS. *ann. 1349.* e) OTTO FRISING. *lib. 2. de geſtis Friderici p. 32.* f) BRVNO *de bello Sax. p. 133.* g) WIPPO *de vita Conr. Salici p. 428.* h) DV FRESNE *l. c. Part. 2. p. 543.* i) TENZEL. *dial. menſtr. anno 1691. p. 624.*

insignia vidimus, obseruauimusque, id in numis Imperatorum Byzantinorum fere esse perpetuum. Præterea tanti videbatur hoc scutum, vt eo amisso, aut in hostium potestate relicto nobilitas quoque perdita læsaque fama crederetur. Qua de re in lege Salica (a) quoque cautum est, cui addenda ea, quæ differit Spangenbergius. (b) Quod ideo monere visum est, vt appareat, cur in sigillis Germanorum clypei tanta cura alligati conspiciantur. In sigillis comitum Flandriæ a Vredio collectis, aliisque passim editis, scuta e loris satis amplis per collum & pectus transeuntibus dependent, ne ab hoste temere auelli aut eripi incautis possint. Cuius moris vestigium reperio etiam in statutis Castrensibus Friderici Barbarossæ, vbi hæc lego: (c) *Si quis sedens in dextrario SCVTVM habet IN COLLO, lanceam in manu.* Nec hic quidem eorum cura in seruandis clypeis substitit; siquidem, quod iucundum est adspectu, in iisdem Vredii sigillis etiam gladios, quos in manu tenent, firmioribus catenis scuto alligatos obseruamus, quo scilicet nemo scutum petere possit, nisi prius gladium extorsisset manu, aut a scuto auulsisset, quamuis nec desint sigilla, in quibus catena, cui gladius adhæret, non scuto, sed thoraci affigitur. Quum igitur tanti visa sint scuta principibus: factum inde est *secundo*, vt ea iam antiquis temporibus multis coloribus distinguerent variisque imaginibus exornarent. Non curamus iam exteros, aut Romanos, quorum clypeos variis resplenduisse imaginibus affabre pictis vel argumento esse poterit militis effigies in Traiani columna hodienum superstes, cuius in clypeo aquilam bicipitem reperiri testatur Lipsius. (d) Idque genus scuta poëtis vocantur *arma picta.* At Germani, quibus maior in bene vtendis, quam pingendis ornandisque scutis cura posita fuit, ab imaginibus quidem illis plerumque abstinuerunt, attamen id dederunt elegantiæ, vt aream clypei externam, Tacito (e) teste, *tantum lectissimis coloribus distinguerent.* Hinc in omni antiquitate nullum monumentum Germanorum præfert scutum, cuius imago habeat quidquam insignibus simile. In sigillis Caroli Crassi, Arnolfi, Conradi I, Henrici Aucupis & Ottonis M. supra descriptis Imperatores semper scuta tenent. Sed nullum ibi cuiusdam imaginis vestigium, nullus insignium vsus. Sed striæ saltem & colores variegati, quos lineis exstantioribus depressioribusque in sigillis numisque indicari oportebat. Idem quoque in antiquioribus principum sigillis numisque video obseruatum. Adparet id ex sigillo Ludouici III Landgrauii Thuringiæ eiusque vt & Friderici I. Imperatoris, Hermanni Landgrauii aliorumque principum & comitum numismatibus bracteatis, (f) quæ quo antiquiora sunt, eo simpliciora scuta præferunt. Inprimis hoc genere clypeorum antiquos delectatos esse video:



Quo pertinet Schubarti (g) elegans obseruatio: *E varietate colorum, quibus æuo Tacitì scuta Germani distinguebant, communiter arguunt hodierni moris primordia fluxisse, colores autem Germanorum lectissimi hodienum in areis clypeorum vsitati, non alio fine quondam adhibebantur, quam vt indicia virtutis & testimonia ostentarent.* At sequiore æuo, quum familiæ potentia opibusque magis, quam ante, Cæsarum indulgentia florere cœpissent, consultum existimabant eiusmodi sibi adsciscere insignia, quibus a ceteris distinguerentur, eaque primo scutis, deinde

a) *Lex Salica tit. 32. n. 6.* b) SPANGENB. *Spec. nobilit. p. 301.* c) RADEV. *l. 1. de gest. Frider. c. 26.* d) LIPS. *analect. ad milit. Rom. p. 18.* e) TACIT. *cap. 2. de mor. Germ.* f) SCHLEGEL. *diss. de num. Isen. & epist. ad Schmid. de num. Blankenb.* g) SCHVBART, *Exercit. de comit. Palat. p. 304. 305.*

deinde vexillis, poſtea galeis, ac denique ipſis equorum phaleris propriisque veſtibus illeuerunt, donec ſuccedente tempore res eo prolaberetur, vt integra ſcientia heraldica multisque regulis opus eſſe videretur. Sed ecquando id, quaque occaſione fieri cœperit, de eo diuerſimode ſentiri, *tertio* obſeruamus. Schefferus, rem ſatis accurate exſequutus, vel inde conſtare ait, inſignia gentilitia non caſu hominumque aliquot arbitrio, ſed conſilio inuenta eſſe, quod vno eodemque fere tempore ab omnibus moratioribus gentibus cœperint vſurpari. Atque ideo paſſagia, ſeu militias cruciatas occaſionem dediſſe putat. Quum enim tunc omnes fere Chriſtiani principes in Saracenorum perniciem conſpirauerint, neceſſario eligenda fuiſſe eiusmodi inſignia, quibus principes a ſe inuicem diſtinguerentur, quod etiam Schauenburgenſium exemplo probat Cl. Otto Sperlingius, (a) quorum primus *Adolohus III in memoriam arcis Schawenburgicæ, in monte Vrticarum exſtructæ, vrticæ folium, & in memoriam rei geſtæ in terra ſancta, tres clauos manuum ac pedum Chriſti inter inſignia ditionum ſuarum Schawenburgenſium & Holſaticarum coniunxiſſe cum corona ſpinea legatur.* Quum igitur hæc ſententia in antiquioribus ſigillis numisque genuinis magnum inueniat præſidium, non temere videtur reiicienda. Sane enim quam parce initio vſi ſint principes eiusmodi inſignibus, patet ex ſigillis comitum Flandriæ, in quibus primus leone vtitur Robertus Friſo anno M. LXXII, quem tamen deinde ſucceſſores omnes omiſerunt, vsque ad Philippum Elſatium, qui anno M.C. LXIII hæc inſignia denuo tum in ſcuto, tum in vexillo, tum in galea oſtentat. Quum igitur ſub cruciatæ demum militiæ initia mos iſte inualuerit, non temere ſtatuere mihi videor, omnia ſigilla, quæ ante iſtud tempus inſignia ad recentiores heraldicorum regulas compoſita adſcripta habent, ſequioris multo ævi cenſenda eſſe. *Quarto* & hoc licebit hic annotare, quod dudum obſeruauit Cl. Otto Sperlingius: (b) *Eccleſiaſticorum morem, his ornamentis & inſignibus vti apud Chriſtianos, quibus eccleſias ſuas diſtinguerent, antiquiorem eſſe, quam principum ſæcularium, quos vocant, eosque his præiuiſſe in illa inſignium hodiernorum materia.* Quod tamen aliter videtur Mabillonio, (c) qui ante medium ſæculum XIII nullum epiſcoporum ſymbolum eiusmodi aſſumſiſſe exiſtimat, quum ſæculares principes iam ab anno M C LXIV arma gentilitia contra-ſigillis impreſſiſſe obſeruet. Neque ſtatim clericos quantumuis nobiles familiæ ſuæ inſignia ſibi tribuiſſe refert, (d) teſte vſus Herueo de Monte Morentiaco, Decano Pariſienſi, qui pro inſignibus habeat monogramma nominis ſui anno MCLXXXIX quum conſanguinei eius arma gentilitia tunc præferrent. Sed puto vtrumque poſſe conciliari. Laudatus enim Sperlingius loquitur de inſignibus eccleſiarum, Mabillonius de armis gentilitiis, quæ ſequiore ævo in vnum ſcutum transferri ſolebant.

4) QVID SIBI VELINT CANES, AVES, FLORES IN SIGILLIS.

XXXI. Reſtat iam vltima quæſtio, de canibus, auibus, floribus, ſpicis aliisque eiusmodi rebus, quæ in ſigillis principum conſpiciuntur, paucis nunc expedienda. De auibus vero quum iam ſupra nonnulla dixerimus, nihil prohibet, quo minus iam ſtatim de canibus nonnulla moneamus. Edidi in antiquitatibus meis Goslarienſibus (e) monumentum in eccleſia SS. Simonis & Iudæ poſitum, quod vulgo Mechtildi Henrici III Imperatoris filiæ adſcribunt. Quod licet cum hiſtoria illius ævi conſiſtere non poſſit, aperuimus tamen ibi coniecturam noſtram de Giſela Henrici III matre, eique lapidem argumentis quibusdam vindicauimus. Quum vero in iſto lapide etiam canis ad pedes Imperatricis conſpiciatur, faſſi tum ſumus, *quid canis in imo lapide ſibi velit, nobis adhuc eſſe incompertum.* At poſtea pluribus monumentis collatis, reperimus, canibus iam olim adeo delectatas eſſe principes perſonas, vt & monumentis imaginibusque ſuis eos adpingi curarent. Inter imagines a Bucelino in hiſtoria Adelofingica delineatas canem dextra geſtat Vtha Vxor Guelphi VI, ſiniſtra Irmintruda vxor Gvelphi II, (f) in ſinu Irmintruda Welphonis I mater. (g) Quod imitati deinde ſunt principes, quibus ſæpius canes venaticos ſub equis currentes in ſigillis ſculpere in more fuit poſitum, eadem de cauſſa, qua ſupra falcones eos in manu nonnunquam tenere diximus. In ſigillis Flandricis iam Robertum Betunienſem canem venaticum anno M CC LXV ſculpſiſſe (h) obſeruamus, idemque deinde factitarunt Carolus Dux Burgundiæ, (i) qui totam venationem in ſigillo ſuo exhibuit, Maria eius filia, (k) Maximilianus & Maria coniuges, (l) qui etiam patrem ſequuti venationem exhibuere in ſigillis, (m) nec non Philippus Archidux Auſtriæ. (n)

a) SPERLING. *de num. bracteat. orig. p. 44.* b) Idem *de num. bracteat. orig. p. 27.* c) MABILLON. *lib. 2. c. 18. n. 6. p. 147. de R. D.* d) *lib. 1. p. 66.* e) *Antiqu. Gosl. p. 404.* f) BVCELIN. *p. 383.* g) Idem *p. 363.* h) VRED. *p. 48.* i) Id. *l. c. p. 94. 99.* k) Idem *p. 101.* l) Idem *104. 107.* m) Idem *p. 108.* n) Idem *p. 130. 135.*

Præterea in iisdem ſigillis ſæpe capellas & hœdos arbuſta depaſcentes, ſpicas agros replentes, flores ſuccreſcentes, auiculas aliasque id genus res deprehendimus, quibus quid ſignificatum voluerint iſti comites, non temere conieceris, niſi forte de fertilitate regionum deque rei pecuariæ vbertate velis interpretari.

PRINCIPES ETIAM STANTES EXHIBENTVR.

XXXII. Hæc de equeſtribus ſigillis Principum iam ſufficiant, quæ quamuis ſæculis X & ſequentibus ſint frequentiſſima, non deſunt tamen & alia, in quibus & Principes ſtantes ſe ſiſtunt, quorum vtpote non vbiuis obuiorum aliquot exempla hic dare, operæ pretium putamus. Primum igitur Boleslai II Ducis Sileſiæ diplomati anno MCCCXLI exarato adpenſum ex Io. Ge. Milichio (a) profert Reu. Dominus Fridericus Lucæ, (b) cuius hic verba iconis loco repetemus: Das an dieſem diplomate hangende Inſiegel iſt in grünes Wachs gedrücket, daran um den Rand gelbes Wachs, von ungemeiner Gröſſe. Mitten darinn ſtehet abgebildet Hertzog Boleslaus II in vollen Kyraß, und hat darüber, von oben her, biß auf die Knie einen Pantzer. Auffm Haupt trägt er einen Helm, der das Angeſicht bedecket, und auff demſelben einen breiten Huth, mit einem auffgeſtützten Feder-Buſch. Zu beyden Seiten ſiehet man einen Thurm, und ſoll der zur rechten **Schweidnitz**, der zur lincken das Schloß **Fürſtenberg** bedeuten. Wiederum hält er in der rechten Hand ein bloßes Schwerd, und in der lincken Hand ein kleines Schildlein, darinnen ein auffgerichteter Adler ſtehet, als das Schweidnitziſche Stamm-Wapen. Inſcriptionem etiam, quum illam ipſi diplomati ſubiecerit laudatus Dominus Frider. Lucæ, hic exhibeo hunc in modum conceptam: ✠ S. BOLCONIS DI. GRA. DVCIS. SLE. ET DNI. DE FVRSTEBHG. Addimus & alterum (*) Woldemari Marchionis Brandeburgi & Luſatiæ, quod e diplomate anni MCCCLXX delineauit Antonius Weckius. (c) Habes & hic Woldemarum Marggrauium ſtantem tunica ſtellis picta, ſupra quam pallium per humeros volitat, indutum, dextraque vexillum, ſiniſtra ſcutum, vtrumque aquila Brandenburgica inſignitum, tenentem, cum titulo: ✠. S. WOLDEMARI. DEI. GRACIA. MARCHIONIS. BRANDEBVRGENSIS. Accedat & illud, cuius iam in Antiquitatibus noſtris Goslarienſibus copiam exhibuimus, (**) Ottonis & Henrici Comitum Aſchariæ principumque de Anehalt anno MCCLXVII ſub tutela Matris *Mechtildis* adhuc viuentium. In cuius medio animaduertimus turrim, cui inſiſtit ſcutum *eorum gentilitium* diuiſum, ex alteraque parte aquila, ex altera quatuor trabibus notatum, eique denuo imminet gonfanon tanquam ſcutorum vmbraculum. Ex vtroque latere *adſtant* principes fratres togati & cincti, altera manu tenentes ſiue ſceptrum, ſiue lilium, altera tangentes ſcutum cum perigraphe: ✠ S. OTTO. > HĒRICVS COMITES DE ASCARIA. <. PRINCIPES DE ANEHALT. Meretur etiam cum his conferri ſigillum Meinheri Burggrauii Miſnenſis a Weckio (d) delineatum, in quo ſtat Burggrauius, dextra vexillum, ſiniſtra ſcutum, vtrumque cruce Andreana ſignatum tenens, cum titulo: ✠ SIGILLVM. MEYNHERI. BVRCRAVII MISNĒSIS.

QVID SIGNIFICENT TVRRES IN SIGILLIS?

XXXIII. In his itaque ſigillis præcipue notari merentur turres, quas medio æuo nonnunquam in ſigillis, at frequentius in numis bracteatis oſtentabant principes. Quod quo conſilio fecerint, eleganter explicauit ſumme reu. Io. Andr. Schmiedius (e) Abbas Mariæuallenſis: *In numis bracteatis* (adde & ſigillis) *quos inferior ætas nobis reliquit, vt haberemus ſubinde nouam materiam vel crucem, quæ eruditos exerceat, nihil frequentius eſt, quam vt perſonæ vel ſæculares vel eccleſiaſticæ inſideant vel ſellæ vel arcui ſiue ponti inter duas TVRRES poſito, ad indicandam maieſtatem, dominium & potentiam, quam in quibusdam regionibus, quorum characteres ſunt TVRRES, habuere.* Cuius etiam ſententiæ ſuffragatur Cl. Schlegelius (f) obſeruans præterea, turres iſtas plerumque notare metropoles, aut arces præcipuas, in quibus ſedem principes collocarint. Sic in ſigillo Sileſiaco ſupra a nobis deſcripto per turres intelliguntur Schweidnicium & Furſtenberga, in Anhaltino altero aut Aſcherslebia aut arx Aſcanienſis Anhalt. Idem Dominus Schlegelius diſcedit a coniectura Cel. Domini Tenzelii, (g) qui arces ac turres in numis Moguntinis Conradi, Chriſtiani & Aribonis de munitionibus vrbis refectis ac inſtauratis explicauerat, eique opponit alia numiſmata Colonienſium,

a) MILICH. *diſſert. de conſtit. &c. Bolconis II Ducis Siles. Svidn. p. 6.* b) LVCÆ *atr. Princip. part. 4. c. 10. p. 1381.* *) *TAB. X. n. 6.* **) *TAB. XVII. n. 6.* c) WECK. *Part. II. Chron. Dresd. tit. 1. p. 162.* **) *TAB. X. n. 6.* d) Idem *Part. II. Chron. Dresd. tit. 1. p. 158.* e) SCHMIED. *diſſert. de num. cathedral. p. 5.* f) SCHLEGEL. *diſſ. de num. Iſenac. p. 13.* g) TENZEL. *diſſ. de numis Mogunt. p. 5.*

nienſium, Treuerenſium, aliorumque Antiſtitum, in quibus itidem turres adparent; de quibus dici non poſſit, quod in refectarum munitionum memoriam cuſa ſint. Sed non contemnenda mihi videntur ea, quæ in hanc rem ſcribit Cl. Olearius: (a) *Dn. Tenzelius*, inquit, *Archiepiſcopo Moguntino hunc tribuit numum, qui TVRRES additas non inepte explicat in memoriam ſimul Erfordienſium murorum, (teſte hiſtoria,) ab ipſo reparatorum, dum dicit fuiſſe hunc numum ſingularem. Id quod Cl. Schlegelius explodere ſtudet argumentis a ruditate ſæculi & aliis hoc loco non ſufficientibus hinc inde deſumtis. Ipſo autem meliora non docente, ſtatuimus, non abſurdum, aut impoſſibile eſſe, numos quosdam bracteatos vſuales etiam ſimul eſſe memoriales, ſicuti & alii in memoriam conflati ſolidi.*

SIGILLA PRINCIPVM CVM SOLIS SCVTIS GENTILITIIS.

XXXIV. Sigilla hæc tamdiu in vſu fuere, donec hominum ſemper ad mutationem procliuis genius aliud excogitaret ſigillorum genus, nec ſplendore, nec elegantia cum antiquis comparandum. Quum enim antea equeſtri habitu incedere viderentur, poſtea omiſſa imagine ſua, ſola gentilitia ſcuta ceræ imprimere conſueuerunt. Quo tempore id primum factum ſit in Germania, non facile dixerim: id vero habeo compertum, ſæculo XIII & ſequentibus hunc morem præcipue inualuiſſe. Certe in Anglia ſcriptores chronographi etiam annum, quo hæc ſigilla primum inuenta fuere, accurate ſignarunt. Ita enim Dugdalus in Antiquit. Warwicenſib. ſub anno MCCCLXV: *Poſt captionem Ioannis Regis Franciæ, Domini atque generoſi, relictis imaginibus equitum, in ſigillis poſuerunt ARMA SVA in paruis ſcutis.* Quæ licet ad Germaniam haut ſpectent, vel eo tamen nomine videntur notatu digna, quod ex iis poſſimus coniecturam capere, apud Germanos eiusmodi ſigilla primum inualuiſſe ac iam ſæculo XIII ineunte in vſu fuiſſe, a quibus deinde ad alias regiones tranſierunt. Vnam enim gentem in eiusmodi rebus alteram plerumque imitari, notum eſt & prouocatum. Nec tamen putandum eſt, eandem ſtatim vbique ſigillorum huiusmodi rationem fuiſſe. In antiquioribus ſymbolum gentilitium non ſcuto, ſed toti orbi incluſum eſt. Idque præcipue in ſigillis Ducum Brunſuicenſium iam ſæculo XIII factum video. Profert Tenzelius (b) diploma Ottonis Ducis de Brunſuic anno MCCXXXIV ad monachos & moniales Northeimenſes directum, cuius ſigillum ex veteri libro copiali ita deſcribitur. *Huius priuilegii ſigillum eſt rotundum impendens de ſacco in ſerico. In cuius circumferentia ſtat ſcriptum litteris capitalibus: Sigillum Ottonis Ducis de Brunswich. In medio vero ſtat leo, habens caput & caudam eleuatas & pedes extentos.* Eiusdem generis eſt ſigillum Heinrici, Henrici Filii, adpenſum anno MCCCLI diplomati Walkenredenſi, quod ita deſcribit Maderus: (c) *in Sigillo eſt leo magnus gradiens. In perigraphe ſigilli:* SIGILLVM HENRICI DEI GRATIA. DVCIS BRVNSWICENSIS ET CETERA. Quum vero horum neuter ipſum typum delinearit, ſiſtimus tibi eiusdem commatis ſigillum (*) Henrici Mirabilis, diplomati Richenbergenſi anno MCCCXVI adpenſum, ac contraſigillo munitum. In illo hæc perigraphe circa leonem obſeruatur: ✠ SIGILLVM HINRICI. DVCIS DE BRVNESWIC. Ot omittam bina alia, licet paullo minora, Alberti & Magni, Ducum Brunſuicenſium, alterum anno MCCCI, alterum MCCCXLV vſurpatum, quorum ectypa curioſus Lector inueniet, in *Illuſtri Examine ſcripti Senatus Brunſuicenſ.* (d) Vt adeo eiusmodi ſigilla veluti propria huic celſiſſimæ Domui fuiſſe videantur. Quod eo probabilius eſt futurum, ſi addideris tres numos bracteatos, vnum Henrici Leonis, alterum Hainrici, neſcio cuius, (forte eiusdem Mirabilis, cuius ſigillum deſcripſimus,) tertium Ottonis de Luneburg, ſiue ſit Otto puer, ſiue Otto IV Imperator, quos deſcripſit Cl. Olearius. (e) In quibus omnibus non minus ac in ſigillis noſtris leonem eodem fere habitu expreſſum animaduertes, quo Brunſuici adparet in coloſſo Henrici Leonis.

VARIA HORVM SIGILLORVM GENERA.

XXXV. Nimis forte prolixum foret, omnia hic recenſere ſigillorum, inſignibus gentilitiis ornatorum, genera, tam a ſe inuicem diuerſa, vt eorum vix numerus iniri poſſe videatur, ſi minuta quæuis ſpectare velimus. Licebit itaque præcipua ſaltem hic nominare. *Primo* igitur haut pauca ſuperſunt ſigilla, in quibus præter galeam, cimeriis ſuis ornatam, nihil adparet. Tale eſt illud Heinrici, Alberti filii, Landgrauii Thuringiæ, a Cl. Schlegelio depictum (f) vulgo Heinrichs ohne Land, in quo ſola galea adparet, præferens cornua bubula in interiorem partem conuerſa. Tale etiam ſigillum IVDICIS ET CONSERVATORVM PACIS

a) OLEAR. *Spicil. 1. antiquit. n. 18. p. 13.* b) TENZEL. *dial. menſtr. anno 1692. p. 198.* c) MADER. *antiquit. Brunſ. p. 269.* *) *TAB. XI. n. 3.* d) *Illuſtre Exam. quæſt. 8. p. 175.* e) OLEAR. *ſpicil. 2. antiquit. n. 1. 3. 4.* f) SCHLEGEL. *de vet. Cell. p. 72.*

GENERALIS PER THVRINGIAM a Tenzelio (a) prolatum. Talia porro ſigilla Gunteri Comitis de Keuernburg & Guntheri Comitis de Schwarzburg e diplomate anni MCC XLIX ab Antonio Weckio (b) depicta, quorum in altero galeæ inſiſtit ramus nouem foliorum, in altero pecten & ramus, decem globulis ornatus. Inſcriptiones ita ſe habent: ✠. SIGILLV̄ COMITIS. GVNTERI. DE. KEVERNBERC. & ✠. SIGILLVM. COMTIS. GVNTHERI. DE SVARXBVRC. Nos diuerſas tantum galearum formas hic ex pluribus ſigillis colligere iuuat.

Secundo obſeruari meretur, dari ſigilla, (*) in quibus ſolum ſcutum gentilitium ſine galeis earumque cimeriis conſpicitur. Quorum exempla quum ſint innumera, hic non quærimus. Tertio loco ponimus ſigilla ea,(**) in quibus galeæ ſcutis obliquis inſiſtunt, ſuis cimeriis exornatæ. Quarto triangularia ſigilla, in quibus inſignia absque galeis & cimeriis ſe offerunt.(†) Quinto ſigilla oualia, in quibus nec ſcutum nec galea, ſed ſolæ illæ imagines, quibus inſignium loco vtuntur, adparent. Sic in ſigillo Hoyeri, (††) Comitis de Valkenſtein adparent tres falcones volantes, cum lemmate ✠ SIGILL COMITIS HOIGERI DE VALKENSTEIN. Vltimo denique loco ea reſpicimus, in quibus galea adparet, cui tamen non cimeria familiæ iſti gentilia, ſed roſæ, flores, rami, aliæque eiusmodi res inſiſtunt. Id quod etiam in ipſis ſigillis equeſtribus nonnunquam obſeruatur, veluti in ſigillo Friderici Marchionis, vt ſe vocat, de Dreſden, apud Antonium Weckium, (c) in quo Marchio loco cimeriorum florem neſcio quem galeæ infixum geſtat. Ad quæ genera cetera omnia facile retuleris, quum vix aliam armorum diſpoſitionem apud antiquos in ſigillis ſis obſeruaturus.

XXXVI.

a) TENZEL. *biblioth. curioſ. anno 1704. p. 1705. ſq.* b) WECK. *Part. II. tit. 1. Chron. Dreſd. p. 156.* *) *TAB. XII. n. 2. 8.* **) *TAB. XII. n. 10.* †) *TAB. XII. n. 12. 9. 6. 7.* ††) *TAB. XI. n. 4.* c) WECK. *Part. II. Chron. Dresd. Tit. 5. p. 193.*

INSCRIPTIONES IN SIGILLIS PRINCIPVM.

XXXVI. Vidimus hactenus imagines in sigillis Principum Comitumque conspicuas. Oportunum erit etiam de inscriptionibus nonnulla notare. Quum vero de cruce, a qua ordiuntur, deque vocibus & formulis: *Sigillum, signum, subscriptio sigilli, Dei gratia*, aliisque iam supra actum sit, atque obseruatum etiam, magnam apud antiquos deprehendi titulorum simplicitatem: hic quidem nihil est, quod addamus amplius. Potius vt generalem hic veluti ideam inscriptionem demus, apud antiquos, illæ cruce solum, nomine & dignitate absoluebantur, hoc modo: ✠ WAIMARVS PRINCEPS. ✠. ADELBERTVS COMES. Mox addebatur formula *Dei gratia*. ✠ FRITHERICVS DĪ GRA PALATINVS COMES. Porro accedebant prouinciæ, e. g. ✠. HENRICVS DEI GRA DVX BAWARIE ET SAXONIE. Denique & voces *secretum, sigillum*, aliæque huius generis sunt admissæ, licet eas & antiquiora nonnulla sigilla præferant. Id vero non possum non monere, dari sigilla, quorum in perigraphis etiam cognatorum fiat mentio, quod quum ad restituendam eorum genealogiam plurimum faciat, nonnulla hic exempla congerere consultum putamus. Sic Conradus Landgrauius Thuringiæ, is, qui postea Magister Ordinis Teutonici est renunciatus, anno MCCXXIX in litteris Reinhardisbrunensibus sigillo suo hæc inscripsit: SIGILLVM CVNRADI FRATRIS THVR. LANDGR. (a) Heinricus, Alberti Landgrauii Filius, vulgo Heinrich ohne Land, anno M CC LXXIV hac perigraphe in sigillo vsus est: S. HEINRICI FILII ALBERTI LANTGRAVII THVRINGIE. (b) Ne vero solos principes, ad quos prouinciarum regimen non peruenit, hunc morem obseruasse putes: etiam iis, qui prouinciis præfuerunt, hoc solenne fuisse deprehendimus, e. g. Carolo Bono, Comiti Flandriæ, qui hanc perigraphen adhibuit: S. CAROLI COMITIS FLANDRIE ET FILII REGIS DATIE, (c) Balduino, cuius anno M C XCIV hic est titulus: ✠. BALDVINVS FILIVS MARCHIONIS NAMVRCI COMITIS HANOIE, (d) Guidoni, anno M CC XLV ita se vocanti: S. GVIDONIS DE DAMPETRA FILII COMITISSE FLANDRIE ET HAINOIE, (e) Philippo Duci Burgundiæ, cuius sigillo anno M CCC LXXXIV ita inscriptum: ✠. SIGILLVM PHILIPPI FILII REGIS FRANCORVM DVCIS BVRGVNDIE. (f) Idque etiam factitarunt sequioris sexus Principes, veluti Margaretha, filia Balduini Imperatoris Constantinopolitani, cuius sigillo anno M CC XXV hæc insculpta: ✠. S. MARGARETE SORORIS COMITISSE FLANDRENSIS. (g)

SIGILLA PRINCIPVM FOEMINARVM.

XXXVII. Progredimur iam ad sigilla principum feminarum, quæ iterum non eiusdem generis inuenimus. De equestribus earum sigillis iam ante diximus, quæ tamen iis solummodo Principissis propria esse obseruauimus, ad quas prouinciarum hereditas fuit deuoluta. In Germania vero, vbi hoc jus paullo parcius valuisse constat, non temere reperies Principem feminam, quæ se equo insidentem in sigillis ostenderit. Antiquiore æuo plerumque sellæ insident, palliatæ, id quod adparet ex sigillo oblongo Sophiæ Landgrauiæ Thuringorum, in quo hæc Princeps elegantiori sedili insidens dextra lilium præfert, cum perigraphe: ✠ SOPHIA LANTGRAVIA. Quod sigillum diplomati Georgenthalico anno MCCXXIV adpensum eleganter delineatum exhibet Dominus Tenzelius. (h) Tale etiam est sigillum Elisabethæ Landgrauiæ, quod ita describit laudatus Tenzelius: (i) *Elisabethæ sigillum exhibet eam sedentem, vtroque brachio extenso, & dextra manu galeam Thuringicam, sinistra scutum cum leone tenentem hac perigraphe:* ELIZABET. DEI. GRACIA. TERRE. THVRINGIE. LANTGRAVIA. Nec desunt tamen sigilla, in quibus stantes adparent illustres feminæ. Tale iam exhibuit Cl. Schlegelius in Chronico Cellensi (k) Iuttæ Marchionissæ Misnensis, Thodorici viduæ, in quo stanti Principi & veluti ad luctum compositæ hæc addita est inscriptio: ✠ IVTTA DI GRA MARCIONISSA MISNENSIS. Hisce tribus quartum addimus ex Oliuario Vredio (l) sigillum Margarethæ, in quo Comitissa inter dŭos leones stans dextra lilium præfert hoc lemmate: ✠. S. MARGARETE COMITISSE FLANDRIE ET HAINOIE. Quintum, quod hic locum inueniet, esto Agnetis Ducissæ Silesiensis & Schweidnicensis, adpensum diplomati anno M CCC exarato, quod ex Millichii dissertatione de constitutione Bolconis II Ducis Silesiæ, (m) ita descri-

a) TENZEL. *bibliothec. curios. 1704. p. 1073.* b) SCHLEGEL. *de vet. Cell. p. 72.* c) OLIV. VRED. *l. c. p. 10.* d) Id. *p. 25.* e) Id. *p. 40.* f) Id. *p. 63. 65. 66. 67. 68.* g) Id. *p. 35.* h) TENZEL. *bibliotb. curios. anno 1704. p. 292.* i) TENZEL. *Supplem. 2. Hist. Gothan. p. 73.* k) SCHLEGEL. *Chron. Cell. n. 31. p.* l) VRED. *de sigill. Com. Fl. p. 36.* m) MABILLON. *sect. 1. c. 1. §. 7. p. 13.*

describit Fr. Lucæ: (a) Das ungemeine grosse Insiegel samt der titulatur (perigraphe ita se habet: AGNES. DEI. GRA. DVCISSA. SIL. DE FVRSTBEG. IN SWYDNITZ, ET. IN. IAWOR.) in gelbes Wachs gedrucket, præsentirt der Hertzogin Agnes Bildniß, in der Gestalt des uhralten Frauenzimmers. Sie stehet auff einem steinern Gestelle, so daß ihr Leib-Rock biß über die Fußsolen reichet. Denselben bedeckt von gleicher Länge von den Schuldern herab rückwarts ein Mantel, beyde Hände hat sie gefalten, gleichsam stünde sie in Andacht, rings um das Oberhaupt hat sie eine gegreisselte und etwas erhabene Haube, von der zu beyden Seiten die langen Haarlocken bis auf die Achseln gehen. Das gantze inwendige Feld, darinnen sie stehet, ist gleichsam gefenstert und mit Sternlein, oder sind es Creutzlein, besetzet. zu ihrer rechten Hand liegt ein Schild, darinnen ein Adler, und über denselben ein Stück von einem Helm, und über denselben noch ein Adeler, welcher die Flügel empor schwinget, gleichsam fertig zum fliegen. Lincker Seit stehet ein Schild angefüllet mit einem Schach, und über denselben ein Casqvet, mit einer herab hangenden Binde, und auf denselben ein grösserer Huth, auff welchen ein Busch Pfauen-Federn auffgestutzt. Und diese Schilde bedeuten das Schweidnitzische und Jaurische Wapen. Oben auff dem Rand des Insiegels zwischen dem Haupt der Hertzogin und der Titulatur, siehet man ein kleines Schildlein, und in denselben einen durchgezogenen Strich oder Balcken. Davon machet Herr Millichius folgende Erklärung: *Adest præterea ad capitis sinistram partem alia insignium species, quam quum Austriaca Agnes fuerit, & aliquam similitudinem cum Austriæ armis habeat, ferme affirmauerim, Austriacorum esse, qui area rubra cum fascia alba medium dirimente vtantur.* Hactenus elegantissimi sigilli elegans descriptio, cuius vtinam typum quoque dare possimus! quod quum nobis non liceat, lectori alia tria eiusdem generis delineabimus: vnum Principis, bina Comitissarum. Primum (*) est Machtildis Principis Anhaltinæ, quæ anno MCCLXVII, vna cum Volrado Halberstadensi Episcopo, vt & Ottone & Henrico filiis ecclesiæ SS. Simonis & Iudæ Goslarienſi restitutionem quandam aduocatiæ Reinstedensis, a fratribus de Wedestorp adhuc possessæ, confirmat. Sigillum hoc est rotundum, in eoque se sistit Mechtildis elegantissime vestita, pallio prolixo amicta, extenso vtroque brachio, dextra tenens scutum gentilitium Anhaltinum, sinistra Brunsuicense. Ex vtroque latere duæ turres conspiciuntur, ipsumque orbem intra binas corollas hæc ambit inscriptio: ✠. MECHTILDIS. DEI. GRA. COM. ASCH. ET. PRĪCEPS. DE ANEHALT. Secundum (**) est Lutgardis, filiæ Henrici Comitis de Sladem, adhuc puellæ, diplomati parentis anno MCCCXXXIV adpensum. In eo Lutgardis itidem stans exhibetur, dextra gestans scutum, cui leo Slademensis insculptus est, cum hoc lemmate: ✠. S. FILIE COMITIS DE SLADEM. Tertium (†) esto sigillum Margarethæ Dominæ de Waulaincour, quod exhibetur in probatione genealogiæ familiæ de Sohier. (b) Sistit se hic Margaretha coronata, sinistra auem, dextra cornu, aut aliud quidquam eiusmodi præferens, ad dextram stella, ad sinistram aranea conspicitur, cum perigraphe: MARG ---WAVLAINCOVR. Omnia, quæ adhuc vidimus, Principum feminarum sigilla, ipsas earum imagines, siue sedentes siue stantes exhibent. At sequiore æuo imaginibus suis pepercere, earum loco substituentes insignia gentilitia, & quidem, si innuptæ essent, insignia paterna, sin iam nupsissent, tum parentis, tum mariti. Plura eiusmodi sigilla penes me sunt, quorum bina iterum subnecto, alterum Sophiæ, Abbatissæ Gandersheimensis, in quo scutum Brunsuicense, alterum Sophiæ, Comitissæ Blankenburgensis, in quo non modo scutum Blankenburgense, sed & Woldenbergense adparet, cum hoc titulo: ✠. S. SOPHYE DE BLANKENBORG. Alia sigilla feminarum illustrium describit ὁ πάνυ Mabillonius, (c) in quibus iam stantes depinguntur cum caduceo in dextra, & libro in sinistra, iam equis insidentes, partim muliebri more, partim virili, iam auem tenentes, iam lilium, iam ramuscu-lum floridum. Sane & hic

Varium & mutabile semper
Femina.

OBSERVATIONES DE HARVM SIGILLIS.

XXXVIII. In his ceterisque principum feminarum sigillis pauca hæc obseruatione digna occurrunt:

1) quod

a) LVCÆ *atr. Princip. p. 4. c. 10. p. 1383.* *) *TAB. XII. n. 3.* **) *TAB. XII. n. 5.* †) *TAB. XII. n. 11.* b) *Probatio Geneal. de Sohier. p. 95.* c) MABILLON. *lib. 2. c. 18. n. 9. & 11. p. 148. 149. de R. D.*

I. Quod illæ plerumque se sistant habitu ad religionem composito, & veluti orantes, id quod ex sigillis Iuttæ Marchioniſſæ, Margarethæ Flandrensis, & Agnetis Silesicæ ad oculum patebit.

II. Commune earum gestamen esse siue lilium, siue scutum gentilitium. Datum id enim est feminarum genio, ad flores gestandos, odoremque illorum hauriendum procliui, quamuis etiam obseruem, in sigillis Comitissarum Flandriæ ab Oliuario Vredio depictis vix quidquam aliud gestare illustres feminas, quam Falcones, more istis temporibus frequenti, quippe quo eiusmodi aucupia, vt paullo ante monuimus, personis in dignitate constitutis, maxime erant in deliciis. Sed forte vberius hæc omnia explicata essemus habituri, si voto satisfieret Tenzelii, (a) ita scribentis: Es wäre zu wünschen, daß Herr Schlegel einen Commentarium de sigillis feminarum illustrium schriebe, deren er viele in seinem grossen volumine insignium abgezeichnet hat, und durch guter Freunde Vorschub leicht mehrere bekommen kan. Quo opere, vt litterarium orbem augeat, cl. Schlegelium etiam nos sub finem huius capitis pro amicitia nostra publice obtestamur.

CAPVT VNDECIMVM.

DE SIGILLIS NOBILIVM ET CIVITATVM.

I. Nobilium alii Milites, alii Famuli. Illi se ipsi vocarunt Dominos.
II. Nobiles sigilla sero adhibuere. Ea qualia fuerint?
III. Sigillum Hildebrandi de Goslaria expenditur.
IV. Sigilla ciuitatum varia.
V. Turres & Diui tutelares in sigillis ciuitatum.
VI. Sigillum Ciuitatis Leodiensis recentius esse probatur contra Baronium.
VII. Aliæ ciuitates in sigillis ad nomen alluserе.
VIII. Sigilla ciuitatum Rhenanarum.
IX. Ciuitates multæ insignia Principum suorum imitantur.
X. Sigilla ciuitatum secreta.
XI. Sigilla diuersorum vnius ciuitatis Weichbildorum.
XII. Treiberi schediasma de Ciuitatis sigillis.
XIII. Sigilla Priuatorum.

I.

NOBILIVM ALII MILITES, ALII FAMVLI.

PRoximos iam Principibus Comitibusque statuimus nobiles, de eorum quoque sigillis nonnulla commentaturi, quæ præcipue notanda videbuntur. Iam vero statim ab initio obseruamus, alios ex nobilium ordine *Milites*, Rittere, alios *Famulos*, Knapen, siue Knechte esse adpellatos. Quod quum apud plerasque gentes olim fuerit vsitatum, sola hic Meibomii (b) verba repetemus: *Sunt nostri equites* die Ritterschafft, *Saxonibus* die ehrbare und gute Männer, *a ministerio, quod ratione clientelæ Principibus debent* Knapen oder Knechte. *Ex his torque donati MILITES* Ritter, *reliqui FAMVLI vel SERVI adpellati fuere.* Quamuis vero neutri quidquam habeant, quod magnam inuoluat differentiam, ideo tamen hoc præmonendum fuit, vt constet, cur in quibusdam sigillis vox Domini occurrat, quæ in aliis eiusdem temporis familiæque desideratur. Nimirum video milites plerumque se ipsos vocare *Dominos*, ceteros vero nec ab aliis quidem hoc honoris titulo fuisse compellatos. Hinc frequentes in diplomatibus formulæ: Eck Her Borchard de Lange, gheheten van der Aßeborg, Ridder, un we Borchard Dom Here to Halberstadt, un Borchard de jüngste, Broedere, des vorbenomten Ridders Söhne ꝛc. Eck Her Borchard de Lochte, Ritter van der Aßeborg---- Mynen Brodere Her Borcharde dem langen van der Aßeborg, dem Riddere. Eck Her Hinrick geheten van Schwichelt ꝛc.

NOBILES SIGILLA SERO ADHIBVERE.

II. Frustra autem a me exspectabis, vt antiquiora tibi Nobilium sigilla hic describam. Paullo serius enim priuatos sigilla adhibere cœpisse, dudum obseruauit Ioachimus Vadianus: (c) *Et notandum est* (ita inquit) *veteres cartas priuatorum hominum non adpensis signis sigillisue, sed tantum crucibus ad nomina testium inscriptis confirmatas fuisse.* Hinc plura se mihi obtulerunt diplomata sæculo duodecimo exarata, in quibus viri nobiles ad ecclesias & monasteria nonnihil se elargitos testantur, quæ tamen non ipsi, sed episcopi ordinarii, aut principes suis sigillis con-

S

a) TENZEL. *l. c. p. 292.* b) MEIBOM. *Scriptor. Germ. tom. 1. p. 413.* c) VADIAN. *lib. 2. de collegiis & monast. Germ. p. 32. ap.* GOLDAST. *tom. 3. Rer. Alam.*

EA QVALIA FVERINT.

confirmarunt. Ex quo vero propria ſigilla vſurparunt, duo præcipue eorum genera deprehendo. Aut enim ſigillis triangularibus, ſcuta gentilitia inſculpere ſunt ſoliti, aut, quod recentiore factum eſt ævo, eadem arma gentilitia ſigillis rotundis & quidem ceræ plerumque viridi impreſſere, cuius rei quum plura vbique exempla exſtent, non eſt, vt hic diutius illi immoremur.

SIGILLVM HILDEBR. DE GOSLARIA EXPENDITVR.

III. Sed quid ſtatuendum erit de ſigillo equeſtri Magiſtri Hildebrandi de Goslaria, cuius ectypon iam in Antiquitatibus noſtris Goslarienſibus ex diplomate Siffridi Hildesheimenſis Epiſcopi anno MCC XCVIII eccleſiæ SS. Simonis & Iudæ conceſſo delineauimus? Fateor me hic hæſiſſe. Nondum enim poteram excogitare, quid in ſigillo, non dicam nobilis, ſed viri eccleſiaſticis dignitatibus conſpicui ſibi velit eques cataphractus, quum in aliis eiusdem familiæ ſigillis, quæ in iisdem antiquitatibus exhibui, nihil aliud reperiatur, quam inſignia gentilitia. Sed iam expeditam rem habeo. Siſtit enim hoc ſigillum S. Martinum equitem pallii diuiſi partem pauperi exhibentem, quod adparebit dilucidius, ſi quis *illum* ſigillo Vltraiectinorum conferre voluerit, vbi S. Martinus eodem ſchemate depingitur. Cur vero S. Martino vſus ſit Volcmarus noſter, non facile dixerim. At quis ſæculi iſtius religionem ignorat?

DE SIGILLIS CIVITATVM.

SIGILLA CIVITATVM VARIA.

IV. Plura ſigillorum genera a ciuitatibus adhibita reperimus, quas a ſæculo demum XII vſurpaſſe ſigilla, cenſet Mabillonius. (a) Alia enim vſurparunt ciuitates Imperiales, alia municipales, alia ſenatus, alia Burgenſes. Sæpe etiam vna eademque ciuitas in plures Weichbildos ſeu curias diſtincta totidem etiam ſigilla habuit. De ſingulis igitur aliquot exempla in ſequentibus paragraphis ſumus prolaturi.

TVRRES ET DIVI TVTELARES IN SIGILLIS CIVITATVM.

V. In eo igitur omnes fere ciuitates antiquitus conſenſiſſe video, quod ſigillis maioribus impreſſerint aut *turres*, vel *caſtella*, aut *diuos tutelares* aut vtrumque. Quemadmodum enim turres commune ciuitatum ſymbolum, ita Diui tutelares veluti differentiæ ſpecificæ loco erant, quibus a ceteris ſe diſtinguebant. Luculentiſſimum iam exemplum huius rei ſigillum Goslariæ exhibuimus in *Antiquitatibus Goslarienſibus* & in peculiari Diſſertatione *de Diuis tutelaribus antiquæ Goslariæ*, quod ob elegantiam hic repetimus:

a) MABILLON. *lib. 2. c. 18. n. 9. & 11. p. 148. 149. de R. D.*

Habes

Habes hic mœnia ciuitatis, porta elegantiore atque aliquot turribus distincta, inter quas eminent duo sancti, quos inscriptiones in manibus gestatæ SS. Simonem & Iudam Apostolos esse indicant, vtpote antiquos, vt e numis etiam aliisque monimentis probaui, ciuitatis illius tutelares. Perigraphe his concepta verbis est: ✠. SIGILLVM BVRGENSIVM IN GOSLARIA. Huic geminum est sigillum ciuitatis Quedlinburgensis, (*) in quo itidem mœnibus inter duas turres insistit S. Seruatius Quedlinburgensium patronus, cum perigraphe: SECRETVM CIVITATIS QVEDELINGEBORCH, aliudque maius, eiusdem quidem generis, hac tamen perigraphe notatum: SIGILLVM BVRGENSIVM IN QVEDELINGEBVRCH. Eodem pacto Treuerenses S. Petrum, Gothanos S. Gothehardum Hildesienſium Episcopum, (a) Ienenses & Ordruffenses S. Michaelem Archangelum, (b) Isenacenses & Bambergenses S. Georgium, (c) Fuldenses S. Bonifacium, (d) Coburgenses S. Mauritium, (e) Saalfeldenses S. Iohannem Baptistam, (f) alias ciuitates alios patronos in sigillis adhibuisse constat, quod tam est notum prouocatumque, vt res omni careat ambiguitate. Atque hic denuo cum sigillis conueniunt numi bracteati, de quibus Otto Sperlingius: (g) *Patroni*, inquit, *ecclesiarum & vrbium sæpius in numis adparent χθὲς ἢ πρώην percussis, vt ex variis hodiernis numis demonstrari posset, si opus esset. Neque enim mos ille vbique desiit, viget adhuc, inprimis vbi pontificia religio animis, ibi numis, quoque insidet.*

SIGILLVM CIVITATIS LEODIENSIS RECENTIVS ESSE PROBATVR CONTRA BARONIVM.

VI. Omnium, quæ eiusmodi Diuos tutelares præferunt, sigillorum notatu digniſſimum est Leodiense, quippe quo non solum vanam fiduciam in Sanctorum meritis locatam, verum etiam Romanæ ecclesiæ venerationem & cultum ciuibus testatum esse voluit Humbertus, qui primus eis hoc sigillum dedisse fertur, quum ossa S. Lamberti transtuliſſet Leodium. Describunt id Miræus, (h) Molanus, (i) Bucelinus, (k) Pallatius (l) aliique plures. Sed quum maximos in eo triumphos agat Baronius, (m) eius potiſſimum verba audire iuuat: *S. Humbertus Leodiensis episcopus inter alia monumenta, quibus suam ecclesiam illustrauit, illud quidem edidit haut mediocris gloriæ & vtilitatis, quo posteris omnibus bene voluit esse consultum, ne fidem catholicam, quam purissimo e latice haustam bibissent, aliquando nouatoribus suadentibus permutarent. Quo igitur subditos in catholicæ fidei obseruantia & S. Romanæ ecclesiæ obedientia, a qua sanctum euangelium accepissent, cultu perpetuo firmiter contineret, & posteris eodem vinculo obligaret, tradidit publicum sigillum vrbi S. LAMBERTI MARTYRIS IMAGINE sculptum, atque huiusmodi inscriptione notatum:* SANCTA LEGIA ROMANAE ECCLESIAE FILIA. Hæc Baronius, inueniſſe se putans, non quod pueri in faba. Quemadmodum enim huic *παπομανῆντι* annalistæ nihil est solennius, quam reuocato Gibeonitarum actu nouis antiquitatem induere, ita & Germanicarum ecclesiarum subiectionem antiquiſſimam facturus, sigillum nobis finxit antiquum, quod procul dubio est recentius. De illo iam non disputabo. Abunde enim a viris doctiſſimis est demonstratum, Germanorum ecclesias ante S. Bonifacii aduentum sui iuris fuisse ac papam Romanum non magis, quam Antiochenum aut Alexandrinum patriarchas suspexisse. Id modo notare conuenit, sigillum istud, quod tantopere commendat Baronius, longe recentioris æui esse. Omnes enim, qui hanc S. Lamberti translationem descripsere, quorum præcipuus videtur Auctor coætaneus apud Surium, (n) nihil de hoc sigillo dicunt, vnde miror, ex quo fonte id post tantum temporis interuallum hauserit Molanus, quem Baronius exscripsit. *Deinde* non temere reperies isto æuo hanc vrbem Legiam, sed semper Leodium vocari. *Tertio* res est omni exceptione maior, Episcopos sub Francorum Regibus iura territorialia non exercuisse, atque adeo non integrum fuisse S. Humberto, tali sigillo ornare ciuitatem Leodiensem, quippe quod Francorum potius Reges decuisset. *Quarto* in confesso est, sæculo VIII ineunte, quo translatio S. Lamberti facta est, (o) sigilla multo fuisse rariora, quam vt iis vterentur ciuitates.

*) *TAB. XIV. n. 7. & TAB. XVI. n. 2.* a) TENZEL. *Supplem. 2. Gothan. p. 24.* b) BEIER *Geogr. Ienens. c. 6. p. 88.* c) OLEAR. *Syntagm. Rer. Thur. p. 60.* d) *Ex* BROWER. *antiquit. Fuldens.* SAGITTAR. *gentilism. Thur. l. 3. c. 25. p. 330.* e) *Quum in insignibus Coburgensibus solum caput conspiciatur, quale etiam in sigillis Friderici strenui occurrit, alii id vocant caput æthiopis, alii caput ipsius Friderici Principis, a quibus tamen discedens* HOENNIVS *Chron. Coburg. part. 1. p. 129. S. Mauritium Coburgensium Patronum intelligere mauult.* f) SAGITTAR. *gentilism. Thur. l. 3. c. 25. p. 330.* g) SPERLING. *de num. bracteat. Orig. p. 9. 10.* h) MIR. *Annal. Leodiens.* i) MOLAN. *indic. SS. Belg. & in natal. eorum d. 3. Nouembr.* k) BVCELIN. *Germ. S. part. 1. p. 36.* l) PALLAT. *tom. 1. de gest. pontif. p. 340.* m) BARON. *ad ann. 699. p. 633. Tom. 8.* n) SVR. *d. 3. Novembr. p. 14.* o) *anno 1710. Hunc annum contra Bucherium defendit* OLIVAR. VRED. *Flandr. Christian. p. 285.*

tates. Sane enim quum nondum ciuitates administrarent consules & senatus, qui mos sub imperatoribus demum Saxonicis Salicisque obtinuit, sed Comites, Duces, missique Dominici, ab his quoque, non vero a ciuitatibus, chartas publicas expediendas fuisse sequitur. Cui vsui itaque fuisset sigillum a S. Humberto datum? quid sigillo opus, vbi chartarum expediendarum non conceditur potestas? *Quinto* aliæ ciuitates ante sæculum XII propriis sigillis, Mabillonio (a) teste, vsæ non fuerunt. Cur ergo soli ciues Leodienses eiusmodi prærogatiua essent gauisi? Quæ argumenta si quis paullo accuratius considerarit, non dubito, quin mecum hoc sigillum multo recentius sit crediturus. Laudo itaque Oliuarii Vredii (b) iudicium ac candorem, qui quum in sigillis antiquis non mediocriter esset versatus, hoc Leodiense tam antiquum venditare noluit, sed famam saltem de ea re esse meminit. Sed valeat cum suis strophis Baronius.

ALIÆ CIVITATES IN SIGILLIS AD NOMEN ALLVSERE.

VII. Aliæ ciuitates, quibus ista superstitio minus fuit in deliciis, eiusmodi adhibuere in sigillis imagines, quæ nomen quodammodo eiusque etymon referrent. Dudum id obseruauit B. Rhenanus: (c) *Solenne fuit plerisque ciuitatibus, vt insignia effingerent ad* SVVM QVÆQVÆ NOMEN *in propria lingua alludentes.* Cui adstipulatur Beatus Spenerus: (d) *In Ciuitatum*, inquiens, *clypeis nihil frequentius, quam* FIGVRÆ PARONOMASTICÆ. Multa exstant huius rei exempla. Ipse laudatus Spenerus profert Mulhusam, quæ ferrum molendinare, Isnam, quæ soleam equinam, Monachium, quod monachum, Schafhusam, quæ ouem, Bernam, quæ vrsum sigillis inprimere consueuerint. (*) Quibus Cl. Olearius (e) addit Magdeburgenses, qui virginem burgo, seu castello insistentem, Auerspergenses, qui vrum in monte gradientem, Sternbergenses, qui stellam in monte, Hennebergenses, qui gallinam in monte insignium loco habuere, ac denique ipsos Arnstadienses, quorum in sigillo antiquo aquila (veteri Franconica dialecto Arn vocata,) inter turres vrbis volitat, hac perigraphe: ✠. SIGILLVM ARINSTETENSIS CIVITATIS. Eandem rationem & aliæ ciuitates sibi putarunt ineundam, veluti Argentina, quæ rubram stratam in albo scuto, Bienna, vulgo Biel, quæ securim, Eimbeca, (**) quæ præter turres istas leonemque amnem etiam per portam defluentem, Francofurtum ad Oderam, quæ Gallum, Antwerpia, quæ tanquam vocaretur *Handwerpen* binas manus in sigillis exhibuit. Nos exempli loco tibi depingimus sigillum oppidi Scheppenstedensis, (†) (f) cui, quod aliæ magno sæpe ambitu frustra affectant, inuitæ fama beneficium hoc obtrusit, vt volet per ora virum. Habes hic nauem, vt scias, vnde nomen sit oppido natum, cui insistit leo, cum hac perigraphe: SCHEPPENSTEDE.

SIGILLA CIVITATVM RHENANARVM.

IIX. At Rhenanas ciuitates haut parum hac in re ab aliis discrepasse video, quippe quarum sigilla quo simpliciora sunt, eo maiorem præ se ferunt antiquitatem. Obseruauit id iam Iacobus Curio, (g) qui ex hisce insignibus admodum simplicibus Francos iis imperasse colligit, ita inter alia loquutus: *Franciæ Ducum imperio, vt annales referunt, circa hæc tempora subiectas fuisse Rhenanas ciuitates, clypeorum signa, quæ adhuc ferunt, non obscure indicant. Agrippinates in militaribus signis suis acies triangulares, parum a Wirzburgensibus aciebus discrepantes, initio habuerunt. Cæterum vbi Magorum corpora accepissent, acies mutatæ eis sunt in tres coronas, seruato FRANCORVM COLORE ALBO ET RVBRO. Sic suis signis Francos aliquando se Moguntini, Wormatienses, Spirenses, Argentoratenses & multi alii testantur. Moguntia duas rotas albas in rubro folio, Spira Conradinam id est FRANCICAM Ecclesiæ structuram in folio albo. Argentoratum rubram stratam in albo.* Hactenus curiosa Curionis coniectura, quæ non videtur de nihilo esse. Sane enim si tres coronas Colonienses, turres Spirenses, rotas Moguntinas exceperis, quas recentiore æuo constat accessisse, nihil poterit excogitari his sigillis antiquius, nihil Francico scuto, quod Wurzburgenses episcopi retinuere, similius.

CIVITATES MVLTÆ INSIGNIA PRINCIPVM IMITANTVR.

IX. Nec id quoque videtur hic prætereundum, multas ciuitates in sigillis suis sequi insignia suorum principum, quippe a quibus eorum vsum accepisse præsumuntur. De numis suo tempore cusis iam id animaduertit Georgius Agricola. (h) Quum vero inter numos & sigilla magnam ostenderimus esse affinitatem, de his quoque idem videtur statuendum. Plerasque

a) MABILLON. *R. D. lib. 2. c. 18. n. 11. p. 149.* b) VRED. *Flandr. Christian. p. 285.* c) B. RHENAN. *lib. 3. rer. Germ. p. 150.* d) SPENER. *Op. Herald. part. general. c. 9. n. 10. p. 365.* *) *TAB. XVI. n. 1.* e) OLEAR. *Histor. Arnstad. cap. 2. p. 9.* **) *TAB. XVI. n. 5.* †) *TAB. XVI. n. 4.* f) *Exam. illustr. script. Brunsuic. ciuit. quæst. 8. p. 172.* g) CVRIO *epist. de orig. Francor. f. 170.* h) G. AGRICOLA *de pretio metallor. & monet. p. 268.*

rasque sane ciuitates imperiales aquilam sigillis suis præcipue secretis imprimere olimque id feciſſe, experientia docet. E municipalibus ciuitatibus, tantum non omnes illæ, quæ vnquam in Ducum Brunſuico-Luneburgenſium ditione fuerunt, leonem in ſigillis circumferunt. (*) Id quod Scheppenſtedenſium, Scheningenſium, Lotharienſium, Seſenſium, Northeimenſium, Gottingenſium, Hanoueranorum, Mundenſium, Vslarienſium, Mœringenſium, Dransfeldenſium, Pattenſenſium, Eimbeccenſium, Oſterodenſium, Bodenwteranorum, Duderſtadenſium & Luneburgenſium inductis exemplis probatum iuit Celſiſſimus Examinis illuſtris Auctor. (a) Poſſem id ciuitatum quoque Marchicarum, Saxonicarum, aliarumque municipalium exemplo probare, niſi res omnibus eſſet in propatulo.

SIGILLA CIVITATVM SECRETA.

X. Diximus iam ſupra, non vnius generis in vna eademque ciuitate adhibita eſſe ſigilla, aliaque Burgenſium, alia ſenatus, alia authentica, alia ſecreta, alia ſigilla ad cauſſas, imo tot ſigilla fuiſſe recepta, in quot curias ſeu Weichbildos ciuitas deſcripta fuerit. De quibus tamen omnibus quum certæ regulæ ſuppeditari vix poſſint, id modo notare conſultum putamus, ſigilla ſecreta ciuitatum potiſſimum cœpiſſe ſæculo XV. Quod perſpicuum erit ex hac Sigismundi Cæſaris conſtitutione: (b) Ein jegliche Reichsſtadt ſoll zwey Inſiegel haben, das ein ſoll beſonder das Reich angehören, und das heiſt ſigillum ſecretum, darum daß man diß mit verſiegelt, das heimlich in dem Reich gehöret zu thun, als ein Reichsſtatt der andern ſchreiben würdt in des Reichs Sachen: Das ander Inſiegel ſoll der Stadt Zeichen haben, und damit ſoll man der Stadt Sachen ſiegeln und des Reichs Sachen. Quod tamen non vsque quaque obſeruatum eſſe multis exemplis compertum habeo, plures ſiquidem ciuitatum Imperialium tabulas vidi, ſigillis ſecretis communitas, quæ tamen nullas res imperium ſpectantes continuere.

SIGILLA DIVERSORVM VNIVS CIVITATIS WEICHBILDORVM.

XI. Ceterum ſi ſigillorum a diuerſis vnius ciuitatis curiis adhibitorum exemplum requiris, adeundum tibi erit ſæpe laudatum Examen illuſtre, (c) vbi quatuor Weichbildorum Brunſuicenſium ſigilla antiqua delineata videbis. Quum enim in quatuor regiones magna iſta vrbs quondam deſcripta fuerit, quarum ſingulæ ſuo iure vſæ ſunt, totidem etiam ſigillis ſe diſtinxere. (**) Primum exhibet leonem gradientem cum anchora in pectore & perigraphe: NEWEN. STADT. Secundum Leonem eiusdem generis cum rota in pectore & perigraphe: HAGEN. Tertium leonem coloſſo inſiſtentem cum titulo: SACK. Vltimum denique leoninum duntaxat caput, cui circumſcriptum: ALTE. WEIG.

TREIBERI SCHEDIASMA DE CIVITATVM SIGILLIS.

XII. Ne tædium lectori pariamus, hic quidem ſubſiſtimus, plura de ciuitatum ſigillis deſiderantem ablegantes ad Cl. Treiberi, Rectoris Arnſtadienſ. Schediaſma *de nonnullis iudiciorum ciuitatumque inſignibus ac ſigillis*, (d) quod a Cl. Oleario laudari video, licet mihi diligentiſſime quærenti eius copia nondum facta ſit.

SIGILLA PRIVATORVM.

XIII. Priuati licet iam antiquitus donationes ſuas perſonis eccleſiaſticis collatas in chartas referrent, ſigilla tamen aut nunquam, aut rariſſime adhibuerunt. Teſtantur tot traditiones Fuldenſes a Piſtorio editæ, teſtantur chartæ Alamannicæ a Goldaſto collectæ, in quibus nulla ſigilli mentio. Nec in autographis vllum reperiri ſigilli veſtigium, teſtis αὐτόπτης eſt Ioachimus Vadianus, cuius verba iam ſupra attulimus. Verum a ſæculo XIIII, quo primum priuati ſigillis vti cœperunt, ſuo quisque animo obſequutus eſt, inſculpſitque quicquid lubuit. Hic caput quoddam, ille animal aliquod, iſte ſanctum quendam, alius ſupellectilem domeſticam, alius aliud. Tædioſum enim eſſet, tot ingeniorum male curioſorum recenſere εὑρήματα.

CAPVT DVODECIMVM.

DE SIGILLIS PONTIFICVM, CONCILIORVM ET CARDINALIVM.

I. Sigilla Pontificum triplicia.

II. Pontifices primo ſolum nomen bullæ inſcripſerunt.

III Leo IX & antiquas bullas retinuit & nouas inuenit.

Victor II ſua imagine ſignauit.

IV. Poſtea SS. Petri & Pauli capita conſtanter bullis impreſſa.

*) TAB. XVI. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. a) Examen illuſtre quæſt. 8. p. 172. 174. b) lib. 2. c. 16. c) Examen illuſtre l. c. p. 177. **) TAB. XVI. n. 10. 11. 12. 13. d) edit. Arnſtad. anno 1690.

A quo id primum factum?
V. Cur S. Paulus ad dextram, S. Petrus ad sinistram collocetur?
VI. Bullæ Græcis litteris inscriptæ.
VII. Bullæ Papales subinde mutatæ.
VIII. Annulus Piscatoris.
IX. Pontifex nondum coronatus bullæ dimidia vtitur.
X. Bullæ Conciliorum.
XI. Sigilla Consistorialia.
XII. Sigilla Cardinalium.
XIII. Sigilla indulgentiis Tezelianis adpensa.

I.

SIGILLA PONTIFICVM TRIPLICIA.

EXpensis iam eorum sigillis, qui vel imperium gessere, vel in dignitate aliqua natalium beneficio fuere constituti, proximum est, vt per statum etiam ecclesiasticum euntes, pari cura personarum sacra dignitate effulgentium sigilla contemplemur. Quum vero in medio potissimum æuo versemur, quo pontifices Romani sacrum totius ecclesiæ imperium inuasere, nihilque fuit isthoc nomine per terrarum orbem venerabilius: merito ab eo tractationem hanc ordimur. Ceterum iam supra monuimus, tria esse sigillorum papalium genera, aliis quippe ad diplomata publica, aliis ad breuia, aliis denique ad priuatas litteras & epistolas pertinentibus, atque ita inter se discernendis, vt primi generis sigilla *bullarum*, secundi *annuli piscatoris*, tertii *signorum* nomine veniant. Quandoquidem vero iam supra (a) de signi imagine ex Dominico Macro, (b) & Mabillonio (c) egerimus: -solæ bullæ plumbeæ annulusque piscatoris in præsenti erunt considerandi.

PONTIFICES PRIMO SOLVM NOMEN BVLLÆ INSCRIPSERVNT.

II. De bullarum igitur antiquitate iam non quærimus, quam iam supra *adductis* variorum sententiis considerauimus. Sed quæstio est de sculpturis, quæ in illis adparent, quas iterum quadruplices reperio. Aut enim sola Pontificum nomina, aut eorum simul imagines, aut Petri Paulique capita, aut insignia denique Pontificum in illis conspiciuntur. Ac primo quidem plumbo vetustissimorum Pontificum non impressas fuisse imagines Petri & Pauli, sed tantum in antica illius Pontificis nomen, cuius litteræ obsignabantur, in postica Papæ vocabulum, obseruat etiam Dominicus Raynaldus, (d) cuius sententiam longo deinde veluti agmine facto sequuntur Mabillonius, (e) Du Fresne, (f) Thulemarius (g) aliique *plures*. *Vnde* ea signa plumbea, quæ sola Pontificum nomina ac crucem aliquam præferunt, *merito antiquissima* videntur censenda. Dolendum vero est, tam pauca adhuc vetustissimorum Pontificum diplomata ex ipsis autographis esse edita, iis vero, quæ in lucem prodierunt, non addita fuisse signa plumbea, quæ tamen curiosis fuissent gratissima futura. Hinc iis contenti esse iubemur, quæ collegit Pallatius, quæ tamen quum pleraque ex Romanis cimelarchiis, non autem ex ipsis diplomatibus sint petita, vel eo nomine minus se commendant, quod incertos plerumque nos destituunt ac ambiguos, ad quemnam huius nominis Pontificem præcipue sint referenda. Vt habeas tamen, quo te exerceas, missis illis Pallatii, aliquot bullas tibi ex Mabillonii operibus delineauimus. (*)

LEO IX. ET ANTIQVAS BVLLAS RETINVIT ET NOVAS INVENIT.

III. Hunc morem sæculo XI adhuc viguisse, compertum mihi est exemplo Leonis IX, Pontificis Maximi, cuius bullam (**) exhibet Zyllesius. (h) In altera facie numerus nouenarius apparet hunc in modum dispositus:

IIII
V

cum perigraphe ⚜L⚜E⚜O⚜N⚜I⚜S in altera rosa octo foliorum cum lemmate: ⚜ P ⚜ A ⚜ P ⚜ A ⚜ E. Datum est hoc diploma anno MLII. quum iam antea anno MXLIX aliam adhibuisset bullæ figuram. Edidimus eius diploma in Antiquitatibus nostris Goslarienſibus. (i) Huic adpensa est bulla plumbea, (†) in altera parte sistens B.B. Apostolorum Petri & Pauli capita, cum lemmate SPA. SPE. In altera

LEO PP. Quæ bulla nobis eo gratior esse debet, quod ex illa licet cognoscere; quisnam primus bigam hanc Apostolorum plumbo impresserit? Qua de re paullo post vberius erit dicendum.

a) *Cap. VI. n. 6.* b) MACER. *Hierol. p. 38.* c) MABILLON. *l. 2. c. 24. de R. D. p. 186.* d) *ap.* ALLAT. *lib. 1. de consens. vtriusque eccl. c. 6.* e) MABILLON. *lib. 2. c. 14. n. 10. p. 128. de R. D.* f) DV FRESNE *Gloss. Lat. part. 1. p. 643.* g) THVLEMAR. *cap. 4. de bull. plumb. p. 19. sq.* *) *TAB. III. n. 23. TAB. V. n. 5. 9. 11.* **) *TAB. II. n. 3.* h) ZYLLES. *Defens. S. Maxim. part. 3. p. 38. l. c.* i) *lib. 1. p. 49.* †) *TAB. II. n. 7.*

cendum.(*) Neque tamen putandum eſt, hunc morem ſtatim poſteris placuiſſe omnibus. Qui enim illum ſequutus eſt, Victor II, aliam excogitans bullarum rationem, plumbo impreſſit aut ſuam, aut, vt Mabillonio videtur, S. Petri imaginem vmbilicum tenus, ita vt ſiniſtram extendat, prehenſurus clauem, a manu e nubibus porrectam, cum perigraphe: (*) TV PRO ME NAVEM LIQVISTI SVSCIPE CLAVEM. In poſtica vero expreſſit caſtrum, cui adſcriptum: AVREA ROMA. Et in limbo: VICTORIS PAPA II. Delineauit iam nobis bullam iſtam Pallatius, (a) ſed quum eius typum autographo non vsquequaque deprehenderim conuenire, ipſe in Antiquitatibus Goslarienſibus (b) multo accuratiorem dedi, quem hic denuo adiiciam. Victorem hunc II aliquot deinde imitati ſunt eius ſucceſſores, veluti Nicolaus II, cuius bullam pro cœnobio Virdunenſi Sancti Vitoni allegat Mabillonius, (c) dependentem ex vinculo coriaceo, ex alteraque parte præferentem effigiem S. Petri, de manu ſuperne efficta clauem accipientis, cum hac inſcriptione: ✠. TIBI PETRE DABO CLAVES REGNI COELORVM. Ex altera Romam cum his verbis: AVREA ROMA. Videtur ergo Pallatius (d) ectypon tantum huius bullæ vidiſſe, quum poſticam tantum faciem illius dederit, eique paullo aliam tribuerit inſcriptionem, hanc nimirum ✠. NICOLAI PAPÆ SECVNDI. Idem Pallatius (e) profert etiam bullam Alexandri II, qui itidem imaginem ſuam eodem ſchemate plumbo impreſſit, variata licet non nihil perigraphe: QVOD NECTES NECTAM, QVOD SOLVES IPSE RESOLVAM. Cur auream Romam, quam ſupra Imperatoribus veluti propriam vindicauimus, Pontifices quoque vſurpare auſi ſint, iam in Antiquitatibus noſtris diximus. Eo nimirum progreſſus fuerat Præſulum Romanorum faſtus, vt potiſſima Imperatorum iura inuolare minus ſibi religioni ducerent. Verum id potius mirandum eſt, cur Victor II ab anteceſſorum more abeundum ſibi putauerit, nouumque induxerit bullarum genus? Cuius rei non alia ſuccurrit ratio, quam quod hic Pontifex Germaniam noſtram patriam agnouerit, Comes quippe Calbenſis, &, antequam ad Pontificatum adſpiraret Eiſtatenſis Epiſcopus. Iam vero conſtat, pleraque Germanorum Principum æque ac Epiſcoporum ſigilla ipſas eorum imagines continere, vnde procliue eſt diuinare, Victorem iam Pontificem factum, miratum antiquiorum Pontificum ſimplicitatem, patriæ ſuæ mores ſequi maluiſſe, ſapiente profecto conſilio, ſiquidem diplomatum ſuorum fidei hoc ipſo non parum conſuluit. Facilius enim erat impoſtoribus aliquot litteras, quam eiusmodi imagines effingere, tabulisque appendere ſuppoſititiis.

VICTOR II. SVA IMAGINE SIGNAVIT.

IV. Hæc tamen vtilitas perſuadere non potuit Pontificibus Romanis, vt hoc Victoris II inuentum imitarentur. Paucos enim Victoris ſucceſſores ſe ipſos in bullis effingere video eo ſitu, vt clauem cœlo porrectam peterent. Sed ſtatim inualuit alia ratio, Petrum & Paulum apoſtolos, tanquam præcipuos Romanæ eccleſiæ patronos, plumbo imprimendi, quo quid ſibi velint, explicat Felix Faber: (f) *Caput Petri ſignificat cœlum clauibus Petri aperiri obſeruatoribus bullæ. Pauli caput ſignificat, gladio Pauli neglectores bullæ pulſum ad inferos iri. Hanc Papæ ſententiam eſſe ſignificatur eius in altera parte ſigilli nomine.* Sed præcipue quæri ſolet, quisnam Pontificum primus hos apoſtolos in bullis ſuis vſurparit? Qua de re magnopere video inter ſe contendere auctores. Raynaldus (g) non antiquiorem huius generis bullam vidiſſe ſe fatetur, quam Adriani IV, qui circa annum M. C. LIII cathedræ Romanæ inſedit, quamuis neget, eſſe veriſimile, quod iam Honorius II & Innocentius II iſto more ſint vſi. Dubletus, (h) cuius præcipua laus in luſtrandis monaſterii S. Dionyſii chartis exſtitit, mauult originem huius generis bullarum tribuere Paſchali II. Mabillonius (i) denuo aliam viam ingreſſus inuentorem ſchematis ſtatuit Vrbanum II. Caracciolus denique, (k) licet nihil certi definiens, morem tamen hunc facit antiquiſſimum, eumque inuentum putat ſæculo IIX vel IX. Horum igitur diuerſas ſententias diiudicare non licebit, niſi ipſas Pontificum bullas ſiue in autographis diplomatibus, ſiue in libris occurrentes ſpectemus. Ac Adriani quidem IV bullas plumbeas, quæ viſæ Raynaldo, præferre apoſtolos Petrum & Paulum, ipſe in quodam eius diplomate vidi. (**)

POSTEA SS. PETRI ET PAVLI CAPITA BVLLIS IMPRESSA.

A QVO ID PRIMVM FACTVM.

De

*) *TAB. II. n. 8. 9.* a) PALLAT. *tom. 2. de geſt. Pontif. p. 292.* b) *lib. 1. p. 64.* c) MABILLON. *lib. 2. c. 14. n. 10. p. 128. de R. D.* d) PALLAT. *l. c. p. 316.* e) *l. c. p. 348.* f) *ap.* CRVSIVM *Annal. Sueu. l. 9. part. 3. c. 10.* g) *ap.* ALLAT. *lib. 1. de conſens. eccl. c. 6. p. 88.* h) DVBLET. *p. 475.* i) MABILL. *lib. 2. c. 14. n. 10. p. 128. de R. D.* k) *ap.* ALLAT. *l. c. p. 728.* **) *conf. TAB. IV. n. 20.*

De Paſchali quoque non falſo retuliſſe Dubletum, conſtat mihi ex typo eo, quem dedit Pallatius, (a) addita hac deſcriptione: *Anno 1103 nobili monaſterio Bautino in Apulia, quod a Northmannis exſtructum, & ſpeciali regimini ſedis Apoſtolicæ reſeruatum erat, dedit priuilegium bullatum cum ſigillo plumbeo, in quo EFFIGIES ſunt B. PAVLI & PETRI ab vno latere, ab alio deſcriptum nomen Paſchalis II in ſigilli autem crepidine verba leguntur: Verbo Domini cœli firmati ſunt.* Recte igitur vterque horum allegauit pontifices, qui eiusmodi bullas vſurparint. Sed ſane non hi fuere primi, ſiquidem & Vrbani bullas Apoſtolorum imaginibus nominibusque exornatas proferunt Baronius, (b) Mabillonius, Ciacconius, Pallatius, (c) cuius ſimul verba adſcribere iuuat: *Vrbanus II, rogatus in Apuliam ſe contulit ad conſecrandam eccleſiam S. Mariæ. Monachis priuilegium conceſſit, quod ſubſcripſit & ſigillo ſignauit, in quo Apoſtolorum nomina & a tergo IMAGINES plumbo fuſæ ſequentibus inſcriptis circulo:* Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Huic ſimilia Ciacconius edidit*

Vid. TAB. II. num. 6.

ab eo, quod Baronius pingit, diſſimilia, quia in illo imagines Apoſtolorum plumbo fuſæ eſſent, non hic --. Quæ vt rectius capiat Lector, Baronii etiam verba adſcribimus: *Porro Pontificium ſignum, in quo Apoſtolorum nomina & a tergo IMAGINES plumbo fuſæ habentur cum eiusmodi in extimo circulo inſcriptione legitur: BENEDICTVS DEVS ET PATER DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.* Quæ quum ita ſint, non dubium, quin Mabillonii ſententia propius abſit a veritate, quam ceterorum. Quo minus tamen & huic calculum adiiciam, diſſuadet mihi bulla (*) Leonis IX Goslarienſis, ſupra a nobis allegata, quippe quæ iam anno M XLIX capitibus SS. Pauli & Petri eſt inſignita. Licet enim Zylleſius aliam proferat cum ſolo Pontificis nomine, (**) non vereor tamen aſſerere, etiam noſtram hanc genuinam, & Leoni ſolennem fuiſſe. Conſtat enim inter omnes, hunc Pontificem nonnulla in diplomatibus Papalibus immutaſſe. Obſeruat Mabillonius, (d) eum primum e Romanis Pontificibus æram Chriſtianam adſcripſiſſe. Idem auctor eſt, (e) eundem Pontificem formulam BENE VALETE, quam prædeceſſores eius integris litteris, ſcilicet maiusculis Romanis, exhibuerant, in monogramma contraxiſſe, præmiſſo circulo maiori, exhibente in medio crucem, cum nomine Pontificis; & in ambitu eiusdem ſententiam ſeu dictum: MISERICORDIA DOMINI PLENA EST TERRA. Quod vt rectius cognoſcas, Mabillonianam figuram (f) hic ſubiicere placet cum noſtro ſpecimine fere coincidentem.

Quidni

a) PALLAT. *tom. 2. p. 456.* b) BARON. *ad ann. 1088. tom. XI. p. 607.* c) PALLAT. *tom. 2. de geſt. Pontific. p. 423.* *) *TAB. II. n. 7.* **) *TAB. II. n. 3.* d) MABILLON. *lib. 2. c. 25. n. 7. p. 184. de R. D.* e) Idem *lib. 2. c. 14. n. 10. p. 129. l. c.* f) Idem *lib. 5. tab. 50. p. 445.*

Quidni igitur idem Pontifex, qui diplomata in aliam plane formam redegit, etiam in bullas noui quidquam inuexiſſe credendus ſit? Nec obſtat bulla Treuerenſis. Quum enim hic Pontifex bonam vitæ partem peregrinando exegerit, non erit abſonum ſtatuere, illum aliquando in itinere bulla noua deſtitutum veterem adhibuiſſe. Leonem deinde ſequuti ſunt alii, ac initio quidem, vt ſolet fieri, paullo parcius, ita vt nonnunquam ſola Apoſtolorum nomina bullis inſcriberent, donec tandem poſteris temporibus omnes pontifices iſtis inſignibus ſibi vtendum exiſtimarent.

V. In hisce ſigillis id maxime mirum ac notatu digniſſimum videtur, quod eccleſiæ Romanæ præſules in locandis ad ſe inuicem apoſtolis primatum Petri & προεδρίαν, pro qua hodie tanquam pro aris & focis contendunt, non adeo ſcrupuloſe attenderint. Vix enim aliter Petrum in hiſce bullis pontificum poſitum reperies, quam ad Pauli ſiniſtram, cum inſcriptione: S. PA. S. PE., hoc eſt, *S, Paulus, S. Petrus*, aut vt alii malunt, *S. Paulus Apoſtolus, S. Petrus Epiſcopus*. Quod quum ipſis Pontificiis monſtro videatur ſimile, ſemper dedere operam, vt rationem aliquam excogitarent, qua Petro, etiam oculorum reclamante iudicio, προεδρία in ſigillis Pontificum vindicaretur. Operoſi admodum in hac re ſunt Leo Allatius,(a) Nicolaus Alemannus, (b) Vghellus, (c) Pallatius (d) & Ioannes Mabillonius. (e) Immo iam olim hæc cura coxit S. Maximum (f) & Petrum Damianum,(g) quorum iam coniecturas præcipuas male plerumque curioſas & inuita Lucina natas hic colligemus. S. igitur Maximus animaduertens Petrum in numis dextrum, in diplomatibus ſiniſtrum occupare locum, eo voto id concludit factum, quod Petro data ſit clauis potentiæ, Paulo vero clauis ſapientiæ, & vterque altero præſtet, ſed in genere ſuo. At Raynaldus, aut potius Leo Allatius longe ſubtilius huius moris originem repetit ex varia poſitione templorum, quorum alia primitus occidenti, alia orienti obuerſa fuiſſent. Quum igitur in illis porta ad orientem, altare vero ad occidentem fuerint ſita, factum inde eſſe, vt horum Apoſtolorum imaginibus ad altare locatis, Petrus quidem ad auſtrum, Paulus vero ad aquilonem ſteterit; atque adeo omnino locus honorarior datus ſit Petro: Poſtea vero quam iſta templorum diſpoſitio mutata eſſet in eam, quæ hodie per orbem Chriſtianum communis eſt, altare quidem translatum eſſe ad orientem, imagines tamen eundem ſitum retinuiſſe, Petrum nimirum partem auſtralem, Paulum vero aquilonarem. Eoque factum eſſe, vt Petrus, qui antea Paulo fuerat ad dextram, iam ſiniſtrum teneat locum. Id quod etiam in bullis deinde plumbeis ſit obſeruatum. Magis profecto hic admiramur Allatii acumen, quam ipſam coniecturam, quæ quo ſubtilior eſt, eo minus eſt vero ſimilis. Quum enim ante Leonem IX nemo Pontificum Petri & Pauli imagines plumbo impreſſerit, cuius tempore eadem fuit,

CVR S. PAVLVS AD DEXTRAM S. PETRVS AD SINISTRAM COLLOCETVR.

a) LEO ALLAT. *de conſenſ. eccl. p. 88.* b) NIC. ALEMANN. *libro de dextra & læua.* c) VGHELL. *tom. 6. Ital. S. p. 457.* d) PALLAT. *tom. 1. de geſt. pontif. p. 14.* e) MABILLON. *lib. 2. de R. D. c. 14. p. 130.* f) S. MAXIM. *ſerm. vltim. de SS. Petro & Paulo.* g) PETR. DAMIAN. *Comment. ad Deſiderium Abbat. Opuſc. 35.*

quæ hodie, templorum disposítio, non video, quid illum impulerit, vt horum Apostolorum situm ad templorum antiquorum leges componeret. Missa igitur hac sententia, alias ingeniose excogitarunt Petrus de Marca, (a) Mabillonius, (b) Io. Pallatius. (c) Ordinem enim Apostolorum non ex ipsorum, sed potius spectantium situ iudicandum putant, ita enim fieri, vt qui dextro loco consistat, siniſtro; & qui siniſtro, dextro stare videatur. Qua de re præcipue notanda videntur verba Pallatii: *Sæpe dexter est, qui videtur siniſter, quum non ab ipsis, sed ab alio, qui ad eos conuersus est, numerandi ordo desumatur; vti sit in templis, vbi dignior loco collocatur siniſtro, vt sit respectu Numinis e cœlo illum respicientis dexter.* Porro Petrus Lambecius (d) delineatis aliquot Pontificum bullis, hos Apostolos non in anteriorem partem spectare, sed sibi ad invicem oppositos stare contendit: vnde aut neuter, aut Petrus, locum superiorem obtineat. Verum hanc coniecturam soli oculorum iudicio permittimus, quum primo intuitu quilibet sit perspecturus, Paulum reuera dextrum Petri latus tenere. Alii huc trahunt Romanorum ritum, apud quos locus siniſter in sacris dextro fuerit dignior, hanc in rem allegantes Plutarchum, (e) Varronem, (f) Ciceronem, (g) & Plinium. (h) Alii Græcorum in antiquitatibus inueniſſe se aliquid putant, quo nodum hunc soluerent. Eusebium (i) enim auctorem sequuti Græcis solenne fuisse ferunt, vt iuniores cum ætate profectioribus ambulantes semper dextrum horum latus clauderent, ac veluti laterum suorum oppositu eos tegerent. Qua de re iterum audire iuuat Pallatium, quem huius sententiæ auctorem arbitror: *Vel dicas, morem fuisse Græcorum, quum duo simul incederent, vt iunior seniori latus dexterum claúderet: & nonnihil præcederet in signum obsequii. Hinc teste Eusebio Constantinus adolescens, quum prouinciam obiret cum seniore Augusto semper ad dextram eius incedebat, & tamen pene priuatus erat. Sic Paulus ad dextram Petri collocatur, vt eum præcedat & ferme totum tegat, quod est argumentum obsequii in Paulo, & dignitatis in Petro. Quod autem postea cœperit pingi ad dextram, etiam quum Petrum non tegit, hoc ex imperitia factum videtur, non in honorem Pauli. Nam in reliquis Paulo semper præponitur Petrus, vt si nominandi sint, præcedit Petrus: si in precibus inuocandi, præcedit Petrus: si festum celebrandum, præcedit Petrus.* Præterea quum plerumque inter hosce Apostolos media statuatur crux, ita pergit Pallatius: *additur ad prærogatiuam Petri quod manus dextra Petri, qua cruci innititur, superior sit siniſtra Pauli, qua eandem crucem loco & gestu humiliore sustinet.* Denique nodum hunc Gordium non soluit, sed secat Antonius Arnaldus, qui dudum Ianseniſtarum causſam veluti Atlas quidam sustinuit, statuendo nimirum ecclesiam Romanam bicipitem, & Paulum æque ac Petrum ecclesiæ capita asserendo. Quocum etiam facere nonnullis videtur Papebrochius, (k) quippe qui Pontificem Romanum non Petri tantum, verum etiam Pauli successorem statuat. Quorum coniecturæ licet Romæ parum applausus inuenerint, vel eo tamen nomine non plane videntur contemnendæ, quod in antiquitate multum præsidii inueniant. Sane enim patres antiquos veluti ex compacto Paulo ac Petro pares tribuere honores, multa eorum loca testantur, quæ ex nostris colligit Reiserus, (l) e pontificiis vero male soluunt Leo Allatius (m) & Natalis Alexander. (n) Quocunque se vertant Pontificii, fateri cogentur tamen antiquorum modestiam, quibus non fuit religioni Paulum præponere Petro, in cuius προεδρίᾳ hodie religionis suæ constituunt acropolin. Quod etiam ipse agnouit legatus apostolicus, anno MCCXXXVII ad componendam inter Archiepiscopos Canterburiensem & Eboracensem subortam de primatu controuersiam in Angliam missus, qui ostensa legationis suæ bulla, ex illa, teste Matthæo Parisiensi, hoc argumentum ad suadendam modestiam accommodatissimum nectit: *In bulla Domini Papæ stat imago Pauli a dextris crucis, medio bullæ figuratæ, Petri a siniſtris, nulla tamen inter tantos sanctos est orta vnquam ista contentio, ambo enim sunt in coæquali gloria.*

BVLLÆ GRÆCIS LITERIS INSCRIPTÆ.

VI. De inscriptionibus harum bullarum id præcipue notandum putamus, antiquioribus papis solenne nonnunquam fuisse Græca lingua in iis vti. Quod qua causſa adducti fecerint, non facile dixerim: feciſſe tamen, exempla loquuntur. Pallatius, (o) Theodori PP. vitam

a) PETRVS DE MARCA *Exercitat. de singulari primatu Petri.* b) MABILLON. *lib. 6. de R. D. p. 623.* c) PALLAT. *tom. 1. p. 14.* d) LAMBEC. *tom. 4. de bibliotheca Vindebonens. p. 315.* e) PLVTARCH. *Quæst. Rom. 78. & de Placit. Philoſoph. lib. 2. c. 10.* f) VARRO *lib. 6. de lingva Latina.* g) CIC. *lib. 2. de diuinatione.* h) PLIN. *lib. 2. Hiſt. Nat. c. 54.* i) EVSEB. *lib. 1. de vita Constantini.* k) PAPEBROCH. *Respons. ad exhibit. error. per Sebast. de S. Paulo part. 1. art. 7.* l) REISER. *Vindic. Euangelico-Thomiſtic. p. 112.* m) LEO ALLAT. *l. c. cap. 3.* n) NAT. ALEX. *seculo 1. hiſt. eccles. Dissert. 4.* o) MATTH. PARIS. *tom. 1. p. 304.*

vitam describens allegat bullam plumbeam, cuius in altera parte aquila alas expandens conspicitur, in altera hi characteres:

✠
ΘEOΔ
ωPȣ
✠

quam licet Pallatius male e crucibus colligat esse cuiusdam Pontificis, rationem tamen solum, non ipsam rem reiicimus, eamque Theodori Papæ esse non negamus. Idem (a) ex bibliotheca Vaticana profert sigillum Sergii cuiusdam Pontificis, (*) cuius in antica hæc apparet inscriptio: BONΘH CEPΓIOY, hoc est *Clamor Sergii*, quod sigillum curioso lectori exhibemus: Non dubito tamen, quin male legerit Pallatius. Quid enim sibi vult vox Βόνθη, quo pacto illa in sigillo locum inueniet? Quamobrem rectius litteras expendisse videtur Papebrochius, (b) qui sigillum hoc repræsentans, inscriptionem ita conceptam notat: BOHΘEI CEPΓIOY ΘEOΣ. Quæ magis nobis arridet, quo notior est formula Græcorum BOHΘEI ΘEOΣ, quæ deinde ad Latinos, & præcipue Francorum Reges devoluta illam XPE PROTEGE peperit, de qua iam supra egimus. Quamuis vero Papebrochius istud sigillum tum ob Græcum idioma, tum ob diuersitatem a ceteris Sergii Pontif. bullis, Sergio Patriarchæ Constantinopolitano tribuere malit, qui tam ante, quam post hæresin sæpius litteras Romam exararit, malim tamen illud tribuere Sergio cuidam Romanorum Pontifici, siquidem littera S. in basi crucis conspicua Latini potius, quam Græci Sergii nomen videtur indicare. Certe apud Latinos quoque non plane desiisse Linguæ Græcanicæ vsum, docent monachi S. Galli illius admodum studiosi, (c) docet Bouo Corbeiensis, Græce doctissimus, (d) docet mos iste officia nonnulla Græca per ecclesias Latinas retinendi, vt alia nunc omittamus. In nominibus vero suis consignandis Græce doctos quam sæpissime Græca lingua vti consueuisse indicat non modo diploma Ratbodi Treuerens. Episcopi, quod ita definit: *Hanc ergo epistolam Græcis litteris hinc inde munire decreuimus* (e) &c. verum etiam rarioris notæ signum a Winitherio Cancellario Henrici III diplomatibus subscribi nonnunquam solitum, vbi Auentinus (f) hanc sibi legere visus fuerat inscriptionem: EIΔAIA ΓINΘEPIOY KANKEΛΛAPIOY, quam nos alio loco (g) ex ipso autographo restituimus: ΥΔEA ΥΥΥNTΘHEPΥΥ KANKEΛΛAPΥΥ: Hoc est *Idea Wynitherii Cancellarii.* Vnde non mirum, Sergium quoque non minus, quam aliquot alios pontifices Græcis inscriptionibus in sigillis suis vti voluisse.

BVLLÆ PAPALES SVBINDE MVTATÆ.

VII. Nec hic quidem desiit Pontificum in mutandis bullis studium. Siquidem Clemens VI. PP. qui anno MCCC XLII Romanæ ecclesiæ præesse cœpit, sigillis suis intulit insignia gentilitia, quinque nimirum rosas. Id quod memoriæ prodidit Albertus Argentinensis (h): *Hic papa*, inquiens, *quum arma progeniei suæ haberent quinque rosas, contra morem antecessorum totidem ROSAS poni fecit* IN BVLLA. Verum nec Clementem pontificem huiusmodi bullas semper adhibuisse, nec apud eius successores earum vsum esse perpetuum, ex innumeris exemplis patet. Vix enim aliud quidquam sæculis XIV & XV impressum video, quam ex altera quidem parte Petri Paulique capita, cum epigraphe: S. PA. S. PE. ex altera vero parte Pontificis nomen. Placuit tamen nonnullis hunc Clementis morem imitari. Auctorem meum habeo, (i) Ioannem Papam XXIII arma in sigillo siue bulla plumbea gestasse, quæ deinde publice in Concilio Constant. abolita ac erasa fuerunt. Iulium etiam II Pontificem Sixti IV. ex fratre nepotem glandes, quibus insignium loco vtebatur, denuo inprimere consueuisse bullis suis, non est obscurum. Qua de re satis libere iudicat Conradus Mutianus Rufus. (k) *Scripsi ad Spalatinum nostrum de nouitio Canonico, quem ego Spinturnitium appellaui. Vidi Pappantis (Iulii II) diploma: attrectaui notam bifrontem & plumbeam cum canabe dependula. Obseruaui* TRES GLANDES *sub minutula cruce.*

a) PALLAT. *l. c. p. 340.* *) *TAB. II. n. 5.* b) PAPEBROCH. *Respons. ad exhibit. error. per Sebast. a S. Paulo part. 1. art. 2. n. 8.* c) EKKEHARD. IVN. *de casib. monast. S. Galli cap. 3. p. 27. & 47 ap.* GOLDAST. *tom. 1. rer. Germ.* d) WITEKIND. SAXO *lib. 3. p. 651. vbi vid.* MEIBOM. *not. p. 694.* e) BALVZ. *not. ad capitul. p. 1284. tom. 2. & p. 585.* f) AVENTIN. *lib. 7. annal. p. 553.* g) *Antiquit. Gosl. lib. 1. p. 44.* h) ALB. ARGENT. *Chronic. p. 133. tom. 2.* VRSTIS. i) HARDT. *tom. 4. part. 3. Concil. Constant. p. 282.* k) MVTIAN. RVF. *epist. 21. p. 29.*

cruce. Confestim suspicabar, quod pudicis auribus dandum non est. Aut enim id ipsum obscœnas virilis membri glandes significare videtur, aut aui seu patrui diui Sixti glandiferam quercum: Hoc est insignia patroni quondam sui. Vtcunque sit. Nos vel in paruis etiam rebus vel admirabilibus sagaces esse volumus: ne credas inanem meam oscitationem. Quod tamen ænigma alium forte requirit Oedipum. Iulium enim II licet auctores tanquam morosum ac intolerabilem hominem, pacis turbinem bellorumque facem ac tubam nobis describant, nemo tamen, quantum memini, aliquid de eo prodidit memoriæ, quod Mutiani coniecturam firmet. Inuerecundum sane est, rem turpitudinis nihil habentem deterius ac contra alterius mentem interpretari. Aliam mutationem Paulo II auctore factam obseruant Auctor Compilat. Chronologicæ (a) & Paulus Langius, (b) quorum ille ita differit: *Anno Domini 1464 Paulus II patria Venetus, qui prius Petrus Barba vocabatur, electus est. Hic mutauit sigillum plumbeum papale. Nam antea semper duo capita, scilicet Petri & Pauli vno latere continebat, in altero vero nomen Papæ tantum, nunc vero stat in latere vno, quasi imago Papæ infulati coram populi multitudine, in alio duæ imagines oblongæ Apost. Pauli & Petri.* Vidit eiusmodi bullam, qui locum hunc ignorauit, Mabillonius, (c) quam ideo ipsius verbis describemus: *Adhæc Paulus II in recta bullæ plumbeæ exhibet suam ipsius effigiem in throno sedentis, Cardinalibus hinc inde partim adstantibus, partim genuflexis: in auersa capita Apostolorum.* Sed nec huius quidem papæ institutum successoribus placuisse, multarum constat argumento bullarum papalium postea adpensarum.

ANNVLVS PISCATORIS.

VIII. Atque hæc quidem de bullis Pontificum plumbeis. Proximum est, vt & de cereis sigillis, quibus annulus piscatoris nomen fecit, pauca dicamus. De antiquitate eius iam supra reiecimus F. Bongratiæ aliorumque ineptam sententiam, annuli piscatoris vsum Petro iam solennem statuentium. Rectius Mabillonius (d) in originem eius videtur inquisiuisse, cuius verba integra adscribere consultum putamus: *Olim tam breuibus quam bullis idem sigillum plumbeum apponebatur, nec scio an multum ante annos quadringentos inuentus sit annulus piscatoris. De eo quidem nihil ego legi antiquius, quam quod refert Massonus in Clemente IV, qui anno MCCLXIV pontifex renunciatus, epistolam ad Aegidium Grossum consanguineum suum ita concludit: Non scribimus tibi nec consanguineis nostris sub bulla, sed sub piscatoris sigillo, quo Romani Pontifices in suis secretis vtuntur. Nondum quippe in breuibus vsitatum erat istud sigillum, sed in litteris priuatis, in quibus modo pontifices symbolis gentilitiis vtuntur. Certe quotquot vidimus ante id tempus minutas pontificum litteras, quantumuis breues & exiles, sigillum plumbeum habebant appensum. Breuibus appositus est annulus piscatoris saltem seculo XV, qualia sunt breuia Calisti III & Pauli II sub annulo Piscatoris. Annulus hic ceræ imprimitur non plumbo, vt alia sigilla Pontificum.* Solet vero hic annulus pontifici recens inaugurato offerri a senatu populoque Romano, pretio centum & quindecim scutatorum æstimatus. Mortuo vero pontifice Cardinalis Camerarius & vice-Cancellarius, eum in minutissima frusta confringunt, ac penitus abolent. (e) Quæ eius sit sculptura, præcipue ex ipso nomine patet. Ideo enim vocatur annulus piscatoris, quod Petrum piscantis habitu sistat, vt describitur apud Matthæum: (f) *Ambulatus Iesus ad Mare Galileæ vidit duos fratres, Simonem, qui dictus est Petrus, & Andream, fratrem eius, iacientes rete in mare: erant enim piscatores. Et dicit eis: Sequimini me & faciam vos piscatores hominum.* Summe Reuer. Dn. I. A. Schmidius Abbas Mariæuallensis & Theologus Helmstadiensis (g) magna cura se ait eiusmodi sigillum, annulo piscatoris impressum, quæsiuisse, sed quum cera plerumque sub ipsa secretarii diffluat aufugiatque manu, in Germaniam quoque nostram breuia eiusmodi non nisi integro fasciculo inclusa mittantur, semper se hactenus frustra fuisse. Addit tamen schema e numo quodam Innocentii IX (h) petitum, ex quo de annulorum imaginibus quodammodo possit coniectura fieri. Sed figuram annuli piscatoris delineatam videre me aliquando memini in Cherubini Bullario Magno, (i) quam tamen cum Schmiedii icone conferre nunc non licet. Hæc quum tam sint clara atque perspicua, vt omni careant dubitatione, merito mireris, Claudium du Molinet (k) scriptorem

a) *Compilat. Chron. ap.* PISTOR. *tom. 1. p. 752.* b) PAVL. LANA *ap. eund. tom. 3. p. 869.* c) MABILLON. *lib. 2. c. 14. n. 10. p. 129.* d) Idem *lib. 2. de R. D. c. 14. p. 130.* e) IO. FR. MAYER *de Pontif. Rom. elect. cap. 1. p. 19.* BORELL. *lib. 2. de magistr. edict. c. 13. n. 15.* f) MATTH. *V. 18. 19.* g) SCHMID. *diss. de annulo pastor. in addend. p. 38.* h) CLAVD. DV MOLINET. *hist. Pontif. per numism. p. 125.* i) CHERVB. *Bullar. tom. 1. p. 17.* k) MOLINET *le Cabinet. de bibliotheque de sainte Gennevieve.*

rem omni elegantiore doctrina ornatiſſimum, duos annulos, qui in gazophylacio San-Genofeuenſi ſeruantur, ſolisque clauibus ſignantur, pro annulis piſcatoris habere: quum neque Petrum piſcantis habitu præferant, & omni ex parte adhuc ſint integri, nihilque adeo habeant, ex quo annulum piſcatoris agnoſcas. Non negauerim equidem, pontificis cuiusdam fuiſſe, ſed neque certo tamen id ego affirmauerim. Claues enim decuſſatim poſitas non modo Pontifici Romano, verum etiam aliis epiſcopis inſignium loco fuiſſe, neminem latere puto.

PONTIFEX NONDVM CORONATVS BVLLA DIMIDIA VTITVR.

IX. Nihil eſt, quod de Pontificum bullis hic obſeruemus amplius, niſi quod illi pontifices, qui conſecratione ſolenni nondum ſunt inaugurati, non ſoleant bullas ſuo nomine inſcriptas, ſed tantum apoſtolorum Petri & Pauli vultibus ex parte vna notatas emittere, donec conſecrationis ſolennia peracta fuerint, quod expreſſe teſtatur Innocentius III Pontifex. (a) Intelligitur hinc ex eo, quid ſit *bulla dimidia*, cuius idem pontifex meminit, (b) de eiusmodi bulla nondum conſecrati pontificis accipienda ex mente Cironii. (c)

BVLLÆ CONCILIORVM.

X. Proxima bullis annulisque pontificum ſtatuimus conciliorum ſynodorumque ſigilla, quæ non adeo antiqua eſſe ſupra obſeruauimus. Ex quo vero inuenta ſunt, non niſi tunc fuere adhibita, ſi quando eiusmodi celebraretur concilium, quod vniuerſalis nomen ſuſtinere ſibi videbatur. Sin vero epiſcopi alicuius prouinciæ in ſynodum coirent, non quidem communi, ſed ſuo quisque ſigillo decreta firmabat: Id quod mihi patet ex quamplurimis indulgentiis e Synodis Herbipolenſi, Erfurtenſi aliisque emiſſis, quibus aliquot epiſcopi ſigilla appenderunt. At vniuerſalium, quæ vocant, conciliorum ſigna, non vnius eiusdemque generis ſunt, plumbo tamen omnia impreſſa. Conſtantienſe (*) ab Hermanno van der Hardt (d) in huius concilii actis depictum ſiſtit binas claues decuſſatim poſitas, quarum a dextra caput Petri, a ſiniſtra Pauli, ſecus quam in Pontificum bullis fieri ſolet, adparet, cum perigraphe: SIGILLVM SACROSANCTI CONCILII CIVITATIS CONSTANTIENSIS. Quia tamen Cl. editor addit, hoc ſigillum abſente a concilio Imperatore adhibitum eſſe, coniicio alias ipſius Cæſaris ſigillum decretis fuiſſe adiectum. Baſileenſe (**) ex altera parte refert Papam, cardinales, epiſcopos aliosque religioſos, quibus imminet Spiritus S. in columbæ ſpecie, & Ieſus Saluator e nubibus proſpiciens, ex altera parte nomen concilii: ✠.SACROSCA: GENERALIS: SINODVS: BASILIENSIS: Tridentinorum patrum ſigillum nondum vidi, forte nec habuerunt. Aliquandiu certe eos proprio ſigillo caruiſſe, eiusque loco adhibere coactos eſſe ſigillum principis legati, colligo ex hac Petri Suauis (e) narratione: *Quæ proxime ſequuta eſt congregatio in legendis litteris, quas formandas præceperant, conſumta, ſimul diſputando de ſigillo, quo obſignandæ erant: aliis proponentibus, vt ſigillo ſynodo peculiari plumbeo obſignarentur, cuius vnum latus Spiritum ſanctum in forma columbæ repræſentaret, altera ſynodi nomen inſculptum haberet; aliis, alias formas, ſed quæ omnes ſpecioſi aliquid præ ſe ferrent, commemorantibus. Verum legati, quibus aliter Roma imperatum erat, poſtquam Patres ea de re diſſeruiſſent, eos facile ab inſtituto dimouerunt, aſſerentes & faſtuoſum id eſſe, & tempus extrahere; quandoquidem neceſſario Venetias eſſet aliquis ablegandus ad modulum formandum, nec Tridenti reperiretur vllus artifex huic operi idoneus. Deinde accuratius de ea re poſtmodum eſſe cogitandum: nunc vero neceſſitatem litterarum expediendarum impendere, quod nomine ac ſigillo PRINCIPIS LEGATI commode fieri poſſit: de cetero congregatione ſequenti ſtatuendum----.* Tam ſcilicet ſeruile fuit concilii huius erga Papam obſequium, vt neque decernere iam quidquam poſſet, niſi in eorum ſententiam, quibus in turbido erat conſilium, nec ei ſuo nomine ac ſigillo firmare illud liceret, quod auctore papa ſciſcere iubebatur. Quaſi non tam celare, quam candide profiteri voluerit pontifex, id quod tegi eius quam maxime interfuiſſet, omnia in hoc concilio ſe ſuadente, iubente, cogente, inſuſſurrante, geſta eſſe.

SIGILLA CONSISTORIALIA.

XI. Conciliis ſynodisque affines quodammodo ſunt ſacri congreſſus, quos vulgo conſiſtoria vocant. Et ſane opportunum hic erat de eorum quoque ſigillis nonnulla commentari, niſi medio ævo ſacra iudicia plerumque ad officiales epiſcoporum ſpectaſſent, quorum curiæ parum cum hodiernis conſiſtoriis conueniebant. Nec tamen omittendum videtur Conſiſtorium fratrum Huſſitarum, quod florentibus in Bohemia rebus ſuis inſtituerant.

a) INNOCENT. III. PAPA *lib. 1. epiſt. 233.* b) Idem *lib. 1. epiſt. 83.* c) CIRON. *lib. 1. Obſeru. iur. Canon. c. 2. p. 3.* *) *TAB. XV. n. 1.* d) HERM. VAN DER HARDT *tom. 5. part. 3. p. 52.* **) *TAB. XV. n. 2.* e) PETR. SVAV. *lib. 2. hiſt. concil. Trident. p. 239.*

Verum quum res Huſſitarum parum diligenter ſint memoriæ proditæ, de huius Conſiſtorii ſigillo dicere aliud non poſſum, quam ſigillum illi confeſſui fuiſſe. Auctorem huius rei habeo Andream Wengerſcium, (a) qui *Weleslai Stranski* diarium ſequutus ita ſcribit: *Cunradus quoque Veſtphalus Archiepiſcopus Pragenſis 7. Iul. 1421. Euangelicorum, qui tum Huſſitæ vocabantur, religionem amplexus eſt: idemque Conſiſtorio presbyterii Pragenſis Huſſitico SIGILLVM OFFICII contulit, & iurisdictionem firmauit.*

SIGILLA CARDINALIVM.

XII. Dicenda etiam nonnulla de Cardinalium ſigillis, quæ tamen quum denuo multum inter ſe diuerſa reperiamus, id modo notamus, eos olim vſos eſſe plerumque ſigillis oblongis, mox rotundis, ceræ rubræ impreſſis, in quibus adparent vel Sancti eorum titulorum, quibus præfuere, vel eorum inſignia gentilitia, vel aliquid eiusmodi aliud. De quibus tamen quum certæ dari regulæ non poſſint, placet hic bina tantum exempla proferre, e quibus de aliis poſſit fieri iudicium. Prodeat igitur primum Nicolaus de Cuſa, qui quum ab obſcuris natalibus ad ſummas dignitates eluctatus ſit, dubium nobis reliquit, vtrum ipſe patriæ, an ipſi patria plus debeat, ſiquidem ille ab ipſa nomen, hæc ab illo famam ſummamque obtinuit celebritatem. Eius acta quum in Antiquitatibus noſtris Goslarienſibus (b) ſumma induſtria ac cura deſcripſerimus, nunc quoque ſigillum addimus oblongum, (*) ſiſtens in inferiore parte templum, in cuius porta in genua prouolutus orat Cardinalis, addito a tergo birreto Cardinalitio. In ſuperiore parte duo loculamenta, quorum ex altero prodit S. Petrus catenis adſtrictus, atque ab Angelo deductus, ac in imo denique ſcutum, in quo cancrum mihi videor videre. Inſcriptio ita ſe habet: S. NICO. TT. SCI PETRI AD VINCVLA. PbRI. CARDINAL. DE CVSA. Huic ſuccedat alterum (**) Stephani tt. S. Mariæ trans Tiberin Presbyteri Cardinalis, cuius in ſuperiore parte annunciatio S. Mariæ cum apoſtolorum Petri & Pauli imaginibus, in inferiore Mariæ ſimulacrum Ieſum crucifixum tenentis, cum aliis neſcio quibus Sanctis videntur repræſentari. Inſcriptio ita ſe habet: S. STEPHANI. TT. S. MARIÆ TRANS TIBERIN PBRI CARDINAL. Recentiora, quorum ectypa ſatis multa poſſidemus, quum ad nos non ſpectent, hic plane præterimus.

SIGILLA INDVLGENTIIS TENZELIANIS APPENSA.

XIII. Vltimo loco conſiderabimus & ea ſigilla, quibus ineunte ſæculo XVI. indulgentiarum inſtitores, ruentis per Lutheri reformationem pontificii totatus præcones, litteras ſuas, ſeu indulgentiarum bullas ſignarunt. Quum vero me multo felicior in his colligendis fuerit cel. Tenzelius, eius ſtilo eorum aliquot deſcribam: (c) Das Siegel (: Indulgentiis anno 1517 *ſororibus ordinis S. Auguſtini de penitentia S. Mariæ Magdalenæ conuentus Francofordenſis* adpenſum:) habe ich auch an dem von Hrn. Prof. Hardten angeführten Göttingiſchen Ablaß-Brieffe geſehen, in roth Wachs gedruckt, und in einer blechernen Capſul an einer ſeidenen Schnur herunter hangend. Es zeiget oben S. Petri Bruſt-Bild, ſo in der rechten Hand einen Schlüſſel, in der lincken ein Buch hält, unter welchem des Pabſts Crone gewöhnlicher maſſe über 2 creutzweiß gelegenen Schlüſſeln mit der Umſchrifft: S. FABRICE S. PETRI DE VRBE. Denn es iſt bekant, daß derſelbe Ablaß wegen des neuen Baues der Peters-Kirchen zu Rom dem euſerlichen Vorgeben nach eingeſammlet worden. Quum vero paullo poſt a Luthero larua detraheretur huic inſtituto, ac vix quisquam ſibi amplius perſuaderi pateretur, orbem vnius huius fabricæ cauſſa expilari, ſigillum quoque mutandum putarunt ii, quibus infauſtum hoc indulgentiarum vendendarum negotium commiſſum a Papa fuerat. Idem ſigillum paullo poſt his verbis deſcribit laudatus Dn. Tenzelius: Das Siegel (: appenſum indulgentiis anno 1519. eccleſiæ B. Magdalenæ conuentus Monialium Ordinis S. Auguſtini ad albas Dominas nuncupatæ Francof.:) hänget an einer rothen Schnur herunter, in einer blechernen Capſul, auf roth Wachs in oual form gedruckt, præſentiret drey neben einander ſtehende Heiligen und Patronen, nemlich den Mäyntziſchen S. Martinum, den Magdeburgiſchen S. Mauritium, und den Halberſtädtiſchen S. Stephanum, unter denen des Cardinals Wapen. Die Umſchrifft aber heiſt: ALBERTVS TIT. S. CHRISOGONI S. R. E. PBR CARDINAL. ARCHI. MAGVNTI. ET MAIGDE. PRIN. ELEC. ET PRIMAS.

CAPVT

a) WENGERSC. *Hiſt. eccl. Slau. lib. 1. c. 6. p. 19.* b) *Antiqu. Gosl. lib. 5. p. 397.* *) *TAB. XIII. n. 1.* **) *TAB. XIII. n. 2.* c) TENZEL. *dial. menſtr. 1698. p. 489.*

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

DE SIGILLIS ARCHIEPISCOPORVM, EPISCOPORVM ET MAGISTRORVM DOMVS TEVTON.

I. Sigilla Episcopalia Episcoporum icones sistunt.
II. Bullæ Episcoporum plumbeæ quales?
III. Sigilla episcop. cerea rotunda qualia?
IV. Mitræ Episcopales olim humiliores.
V. Peda Episcopalia breuiora.
VI. Cathedræ Episcopales quales in sigillis obseruentur?
VII. Formula PAX VOBISCVM cur Episcop. libris inscripta?
VIII. Episcopi etiam nonnunquam stantes exhibentur.
IX. Insignia ecclesiarum & familiarum sigillis episcopalibus insculpta.
X. Sigilla Episcoporum minora.
XI. Sigilla Episcoporum Angliæ.
XII. Sigilla Magistrorum Ordinis Teuton.

I.

SIGILLA EPISCOPALIA EPISCOP. IMAGINES SISTVNT.

EPiscoporum sigilla iam nostro more consideraturi, merito dolemus, antiquiora sæculo XII nondum nobis incidisse in manus, ex quibus de eorum forma possimus iudicare, Pauca enim illa, quæ ante isthæc tempora conscripta vidi diplomata, sigillis carebant omnia, antiquitate, ceu arbitror, detritis. Nec Mabillonius hac in re me fuit multo felicior, quippe cui (a) sigillum episcopale non antiquius se obtulit quam Hugonis Rotomagensis, litteris pro S. Luciano Beluacensi appensum, in cuius recta est effigies Episcopi benedicentis & in auersa protome cum capite nudato. Ætas huius Episcopi vel inde potest colligi, quod illi subscripsit Hugo de S. Victore, qui sæculo XII vixit. Antiquissimis temporibus & cerea fuisse episcoporum sigilla & eorum imagine signata, dubitare nos non patiuntur tum Mabillonii testimonium, tum sigillum Luithberti Moguntini Archiepiscopi, iam anno DCCCC XXXVIII impressum, cuius meminit cel. Paulini. (b) De horum sigillorum tum antiquitate, tum figura audiamus Mabillonium: (c) *Non solum Rom. Pontifices, sed etiam episcopi ab antiquis retro temporibus sigillis vsi sunt, non tamen omnes, neque semper. Et primum quidem sigillis quiduis ex arbitrio imprimebant: deinde vero nomen proprium propriæque ciuitatis, tum sanctæ ecclesiæ suæ Patroni, postea suam ipsorum imaginem, ad extremum gentilitia suæ stirpis insignia.* Fecerint hoc fortassis Episcopi Francici. Nos quid obseruauerimus, ipsi paucis dicemus. Antiquissimos, quos vidi, episcopos suas icones & nomina imprimere solitos, constat exemplo Luithberti, quod e cel. Paulini syntagmate supra adduximus. An vero eiusdem generis fuerit icon cum illis, quales deinde in episcoporum sigillis conspiciuntur, nondum mihi compertum est. Serius recepta sigilla episcopalia, apud Anglos comperio, in concilio nimirum Londinensi, habito sub Othone Cardinali, sedis Apostolicæ in eo regno Legato, anno MCCXXXVII idque ob penuriam tabellionum. Acta huius concilii recenset Matthæus Paris ex eoque Binius, aliique conciliorum compilatores, ad quos me refero.

BVLLÆ EPISCOPORVM PLVMBEÆ QVALES.

II. Deinde sæculis IX, X, & XI inualuisse existimo morem, vt Archiepiscopi atque episcopi vterentur sigillis plumbeis. Id quod Liemari, Actardi, Brunonis aliorumque Episcoporum exemplis supra demonstrauimus: (d) Quales vero fuerint hæ Episcoporum bullæ, aut quas imagines habuerint inscriptas, non magis exploratum habeo, quum omni licet adhibita industria nullum adhuc typum sigilli plumbei ab episcopo profecti, aut in archiuis a me perlustratis, aut apud auctores potuerim indagare. Attamen nisi nos coniectura fallit, non incommode statuere videmur, solum nomen episcoporum in bullis plumbeis plerumque fuisse conspectum, quod & de antiquioribus Pontificum Romanorum sigillis plumbeis obseruauimus. Colligere id haut difficulter licebit ex canone synodi Cabilonensis II, (e) vbi mentio fit *litterarum, in quibus sint nomina episcopi & ciuitatis plumbo impressa.* Quo etiam pertinent hæc Flodoardi (f) iam supra adducta: *Actardus Episcopus epistolam suo NOMINE ad Nicolaum PP. dictari fecit, quam & bulla SVI NOMINIS sigillauit.* Nec dubito tamen, interiecto tempore

a) MABILLON. *lib. 2. c. 18. n. 4. p. 146.* b) PAVLLINI *Syntagm. Hist. Germ. p. 486.* c) MABILLON. *lib. 2. cap. 18. de R. D. p. 146.* d) *Supra cap. 5. n. 19.* e) *Synod. Cabil. can. 41. ap.* BIN. *tom. 3. p. 195.* f) FLODOARD. *lib. 3. hist. Rhen. cap. 17.*

tempore præter nomina etiam cruces, aliasque eiusmodi res in ſigillis epiſcoporum plumbeis adparuiſſe.

SIGILLA EPISCOPOR. CEREA ROTVNDA.

III. Tertio loco ſigilla ſtatuimus cerea eaque rotunda, quæ tamdiu obſeruata fuerunt, quamdiu ſigilla conſueuerunt ipſi membranæ innecti, poſtea enim oblonga fere ceteris prælata ſunt. In iis conſtanter effingi videmus epiſcopos cathedræ inſidentes, dextraque pedum paſtorale, ſiniſtra librum aut apertum, aut clauſum tenentes. Qualia ſunt Bernhardi Hildeſienſ. Epiſcopi, cuius epigraphe ita ſe habet: ✠. BERNHARDVS DEI GRA HILDENESHEIMENSIS EPC. Brunonis eius ſucceſſoris, cuius hæc perigraphe: ✠. BRVNO. DI. GRA. HILDENESHEIMENSIS EPS. Adelhogi, eiusdem eccleſiæ Epiſcopi, cuius hic titulus eſt: ADELHOGVS DEI GRATIA HILDENESHEIMENSIS EPISCOPVS. Quæ ſigilla te, lector, in ipſis potius eorum ectypis, quam noſtra deſcriptione contemplari malo.

MITRÆ EPISCOPALES OLIM HVMILIORES.

IV. Nihil eſt hiſce ſigillis ſimplicius, dici enim vix poteſt, quantum epiſcoporum habitus a recentiori differat. Primo enim mitræ epiſcopales tantum abeſt, vt in eiusmodi faſtigium excreſcant, quale in recentioribus ſigillis conſpicimus, vt potius ab aliis mitris vix quidquam differant, vbi denuo adparet mira iſta inter ſigilla medii ævi numosque bracteatos ſimilitudo. Edidit Cl. Olearius (a) numos Lupoldi Archiepiſcopi Moguntini, Ludolphi Magdeburgenſis, Cunradi Moguntini, Gardolphi aliorumque Epiſcoporum Halberſtadenſium, (b) in quibus mitræ hæ epiſcopales modo vt circuli caput ambientes, modo vt lunæ bicornes (quas Anglorum proprias putat cel. Otto Sperlingius, (c) nunquam vero eodem, quo in recentioribus ſchemate occurrunt. Nec putandum, tribuendum id eſſe artificum inertiæ, quam in numis bracteatis vbique elucere non diffitemur, ſatis diu enim mitras haſce humiliores in vſu fuiſſe, alii quoque numi ſolidi & elegantiores docent. Exſtant apud me icones numorum Tiderici, Henrici, Bernhardi, Iohannis, Bartholdi Epiſcoporum Dorpatenſium in Liuonia, (*) quas Richardo van der Hardt, viro antiquitatum Suecicarum Liuonicarumque peritiſſimo, debeo, eas hic tibi delineandas ideo putaui, vt cognoſcas, mitras epiſcopales in numis non minus, quam ſigillis multum ab hodiernis differre. Cl. Otto Sperlingius eiusdem generis numum proferens, (d) abbatem, non epiſcopum ſibi videre viſus eſt, eo quod *Epiſcoporum mitræ altiores ſint & ampliores.* Verum epiſcopales etiam demiſſiores olim fuiſſe, ſupra allegati numi docent. Quamobrem aut recentius inuentum eſſe oportet mitras iſtas bicornes excelſiores, aut certe non vnius eiusdemque generis illas olim fuiſſe ſtatuendum erit. Quod etiam colligi quodammodo poterit e cærimoniali Epiſcoporum, (e) vbi hæc legimus: *Mitræ vſus antiquiſſimus eſt, & eius triplex eſt ſpecies: vna quæ pretioſa dicitur, quia gemmis & lapidibus pretioſis vel laminis aureis vel argenteis contexta eſſe ſolet: altera auriphrygiata ſine gemmis & ſine laminis aureis vel argenteis, ſed vel aliquibus margaritis compoſita, vel ex ſerico albo, auro intermiſto, vel ex tela aurea ſimplici ſine laminis & margaritis. Tertia, quæ ſimplex vocatur, ſine auro, ex ſimplici ſerico Damaſceno, vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta rubeis laciniis ſeu franciis & vittis pendentibus.* Quemadmodum igitur materia haut parum inter ſe differebant mitræ eiusmodi paſtorales, ita & alias aliis humiliores obtuſioresque fuiſſe veriſimile eſt.

PEDA EPISCOPALIA BREVIORA.

V. Eadem deinde ſimplicitas animaduertitur, ſi peda paſtoralia, quæ modo dextra, modo ſiniſtra tenent epiſcopi, in ſigillo efficti, paulo accuratius conſiderentur. Nihil in iis ornamenti, nihil elegantiæ, quam ſequiore ævo affectarunt. Quum enim recentiores baculos hos paſtorales tam longos fingant, vt iuſtam hominis ſtaturam æquare videantur: in ſigillis antiquioribus tam breues ſunt, vt nec ſedentium quidem epiſcoporum capita ſuperent, id quod etiam in numis bracteatis obſeruatum multis exemplis conſtat. Ex quo forſan non incongrue colligas, primo Chriſtianorum ævo peda paſtoralia ab epiſcopis non tam officii, quam ſuſtentationis cauſſa adhibita fuiſſe. Qua de re egregia ſunt, quæ obſeruat ſumme reuerendus D. Io. Andr. Schmiedius Abbas Mariæuallenſis & Theologus Helmſtad. (f) Porro in ſuperiore parte, vbi flexus incuruatusque eſt baculus, plane deſunt illa ornamenta, quæ in recentioribus obſeruamus. Deſiderantur enim flores & rami, in quos nouo more baculi in ſigillis

a) OLEAR. *Specim. 1. antiqu. n. 15. ſqq. p. 11.* b) Id. *Spicileg. 3. antiqu. n. 3. 4. 5. 6.* c) SPERLING. *de origine numor. cau. p. 75.* *) *TAB. XI. n. 6. 7. 8. 9. 10.* d) SPERLING. *l. c. p. 74.* e) *Cerim. Epiſc. lib. 1. c. 17.* f) SCHMIED. *diſſert. de baculo paſtorali. n. 18.*

gillis desinunt. Vt paucis me expediam, eandem fere referunt formam, quali in numismatibus Romanorum solet esse lituus, quem ita Gellius (a) describit: *Lituus est virga breuis in parte, qua est robustior, incurua, qua augures vtuntur.* Id quod facile deprehendent omnes, qui ipsius litui formam in numismate M. Antonii Triumuiri apud Octauianum de Strada, (b) & binis Aurelii Cæsaris apud Ioh. Weidnerum, (c) aliisque antiquitatis monimentis (d) conferre non dubitauerint. Vnde denuo verisimilia sunt, quæ profert laudatus Dominus Schmiedius: (e) *Alii baculum pastoralem ex Romanorum sacris petunt, atque litui formam referre autumant. Quæ coniectura forte tam absurda non videbitur illis, qui multa temporis successu, in ecclesiam ex ethnicismo & iudaismo fuisse translata, dudum obseruarunt, aliis licet contradicentibus.*

CATHEDRÆ EPISCOPALES QVALES.

VI. Postremo de cathedris, quibus insident, id obserua, eas plerumque referre crucem Andreanam, cuius superiora cornua, inter quæ sedile est tapetibus instructum, in capita canina desinunt. Putassem hanc obseruationem nullius esse momenti, nisi morem hunc omnibus per aliquot sæcula fuisse communem notassem. Possideo ectypa sigillorum ex omnibus fere Germaniæ episcopatibus profectorum, in quibus omnibus eadem est sellarum siue cathedrarum ratio. In numis etiam personarum ecclesiasticarum bracteatis hoc genus sellarum non esse infrequens, docent præcipue numismata Lupoldi & Conradi archiepiscoporum Moguntinensium, Adelhaidis Abbatissæ Essendensis, Agnetis Abbatissæ Quedlinburgensis, Gardolfi episcopi Halberstadensis, a Cl. Oleario (f) edita. Nec vllum hactenus sigillum episcopale vidi, in quo alia cathedrarum fuerit ratio, præterquam Sancti Engelberti Colonienſis Archiepiscopi, in quo loco capitum caninorum bini apparent dracones, capita sibi inuicem obuertentes. (*) Crederem equidem, has sellas episcopales non sine ratione ita fuisse effictas, nisi etiam Reges atque ipsi Imperatores eiusdem generis thronos nonnunquam vsurpasse constaret. Sane enim Dominus Tenzelius (g) ex antiquo MSCto codice capitularium Regum Franciæ profert effigiem Caroli M. simili throno insidentis. Cl. Olearius (h) exhibet numos bracteatos Friderici & Henrici Imperatorum, in quibus iidem throni occurrunt. Vnde non est dubitandum, quin hæ sellæ hisce sæculis fuerint vsitatissimæ.

PAX VOBISCVM EPISCOP. LIBRIS CVRSIT INSCRIPTVM.

VII. Diximus iam supra, explicatis Episcoporum libris sæpe inscriptum esse PAX VOBISCVM, formulam non modo Christo Apostolisque ex Iudæorum ritibus familiarissimam, verum etiam primitiuæ ecclesiæ Patribus, Chrysostomo, (i) Socrati, (k) Sozomeno, (l) Cyrillo Alexandrino, (m) Athanasio (n) & Optato Mileuitano, (o) satis vsitatam. Nihil enim antiquis hisce patribus solennius fuit, quam vt populo & in congressu & in concionibus & in homiliis & in ceteris sacris pacem hac formula adprecarentur, quod multis exemplis probatum iuit sæpe laudatus Dn. I. A Schmiedius in elegantissima *de insignioribus veterum Christianorum formulis* dissertatione. (p) Quamuis vero initio hac formula tanquam salutatione communi vterentur omnes, qui cleri sacro ordini adscripti fuerant, quemadmodum hodienum vtuntur in ecclesia Græca: (q) mature tamen illam sibi veluti propriam vindicarunt Episcopi, ademtoque ceteris hoc iure, solis sibi fas esse putarunt dicere: PAX VOBISCVM. Hinc Optatus Mileuitanus (r) inter præcipua episcoporum officia & munia hanc potestatem salutandi populum adnumerat. Et a Patribus Concilii Carthaginensis tertii (s) cautum est, ne lectores populum (hac scilicet formula) salutent, quod ius & presbyteris deinde & diaconis ereptum solisque relictum episcopis fuit, vt prolixius docet Albaspinæus. (t) Quemadmodum igitur Principes vexilla, equos phaleratos, gladios, scuta tanquam dominii sui insignia in sigillis exhibenda putarunt; ita & episcopi sua interesse rati sunt, vt suæ dignitatis insignia, quibus a ceteris mortalibus distinguerentur, ceræ imprimerent. Hinc & hæc formula in sigilla transiit, inprimis tum, quum Abbates etiam pontificialibus induti, vix quidquam ornamentorum episcopis relinquerent proprium.

V VIII. At-

a) GELL. *lib. 1. noct. Attic. c. 8.* b) OCTAV. DE STRADA *part. 1. l. c. p. 10.* c) WEIDNER. *de piet. in num. n. 8. & 9. 25.* d) *ap.* DV CHOVL. *discours. de la relig. des anciens. Romains. p. 248. sq.* e) SCHMIED. *l. c. n. 7.* f) OLEAR. *Spicil. antiquit. 1. n. 15. 19. 20. 21. 23. 24. p. 11. sq. Spicil. III. n. 9.* *) *TAB. XIII. n. 4.* g) TENZEL. *dial. menstr. anno 1690. p. 812.* h) OLEAR. *Spicil. antiqu. 1. n. 1. & 3. p. 4. sq.* i) CHRYSOST. *homil. de iis, qui in paschat. ieiunant. & homil. in epist. ad Coloss.* k) SOCRAT. *lib. 6. hist. eccl. c. 16. p. 324.* l) SOZOM. *lib. 8. c. 18. p. 783.* m) CYRILL. ALEX. *lib. 12. in Iohann.* n) ALHAN. *epist. ad Eustath.* o) OPTAT. MILEVIT. *lib. 3.* p) *n. 5. p. 8. conf.* HILDEBR. *diss. de Veter. Concion. §. 20.* q) GOAR. *Euchol. Græc. p. 68.* r) OPTAT. MILEVIT. *lib. 1. sub. fin.* s) *Conc. Carth. III. can. 4.* t) ALBASPIN. *not. ad Canon. Concil. Carthag. III. p. 409. sq.*

EPISCOPI ETIAM NONNVNQVAM STANTES EXHIBENTVR.

VIII. Atque hæc quidem de iis ſigillis, quæ epiſcopos ſedentes exhibent. Nec enim deſunt in quibus ſtantes occurrunt, præcipue ii, qui extra Germaniam vixere, epiſcopi. Huius generis ſunt ſequentia. Primo Ioannis Lettouienſis, (*) dextra gerentis crucem breuem, ſiniſtra pedum epiſcopale cum inſcriptione: ✠. S. FRIS. IOAN. DI. GRĀ. LETTOVIEN. EPS. Quo in ſigillo præcipue notari meretur crux, quam dextra gerit epiſcopus, ſymbolum quippe officii, quod geſſit. Totam enim Germaniam illum anno Chriſti MCC LXXV & ſequentibus luſtraſſe, prædicataque cruce nouas copias in ordinis Teutonici ſubſidium exciuiſſe, e multis monimentis compertum habeo. Deinde eiusdem generis eſt Meinhardi I. Rigenſis Epiſc. ſigillum, omni inſcriptione deſtitutum, ſolumque ſiſtens Meinhardum ſtantem, ſiniſtraque crucem maiorem tenentem, ad dextram vero habentem pedum paſtorale cum vaſculo aquam ſtillante, imminentibus ex vtroque latere luna bicorni & ſtella. Sed omnium elegantiſſimum eſt ſigillum Alberti I (**) eiusdem ſedis tertii Epiſcopi, nobilis de Buxtehœfden, qui ineunte ſæculo XIII. floruit. Totum ſigillum ceræ rubræ impreſſum biſariam diuiſum in ſuperiore parte exhibet Archiepiſcopum in pontificalibus ſtantem, dextraque gerentem pedum paſtorale & vaſculum ſtillans, medium inter duas turres, ad quas viri in genua prouoluti orant, quorum alteri adſcriptum PRIE, alteri LIVO: In inferiore parte quatuor viros mari inſiſtentes, imminente deſuper Spiritu Sancto, cum ſubſcriptione: ESTONI. Tota perigraphe hunc in modum concepta eſt: S. ALBT. DI. GRA. EPISCOP. LIVONIEN. BAPTO. GETES. QVARV. OS. ABLVS. GETES. Nondum mihi fateor ſe obtuliſſe inſcriptionem, hac ipſa obſcuriorem. Quamuis enim priora verba S. ALBT. DI. GRA. EPISCOP. LIVONIEN. facile explicari poſſint, nihil quippe notantia aliud quam hoc: *Sigillum Alberti Dei gratia Epiſcopi Liuonienſis:* poſteriora tamen tanquam ſphingis quoddam ænigma Oedipum requirere exiſtimo. Ego ſane præter coniecturam vix quidquam proferre potero, quum ipſum originale non viderim, typum quippe tantum nactus a Dno Richardo van der Hardt. Niſi igitur omnia me fallunt, vltima huius inſcriptionis verba hunc aut ſimilem hexametrum conſtituunt:

BAPTiZO. GEnTES. QVARVm cOR ABLVO MENTES.

Ipſas enim litteras a pictore confuſas primo ſtatim intuitu liquet. Cetera ad huius ſigilli explicationem pertinentia infra proferre licebit.

INSIGNIA ECCLESIARVM ET FAMILIARVM SIGILLIS EPISCOPALIBVS INSCVLPTA.

IX. Succedente tempore haut leuis in Archiepiſcoporum Epiſcoporumque ſigillis mutatio obſeruatur. Quum enim antea Epiſcoporum effigies cathedræ ſimpliciori inſidentes altera manu librum, alteraque tenerent pedum paſtorale, poſtea non ſolum ex vtroque ſellæ latere ſcuta tum eccleſiarum, tum gentilitia affigere cœperunt, verum etiam omiſſo libro dextram, veluti benedictionem impertituri, ſuſtulere. (*_*) Poſterius quando fieri cœperit, ægre definiueris: at ſcuta gentilitia quando primum in ſigillis Epiſcoporum conſpecta ſint, optime perſpectum videtur habere Mabillonius, (a) ita hac de re ſcribens: *Quod attinet ad* SCVTA GENTILITIA EPISCOPORVM, *nullum vidimus, qui ea in ſigillo ſuo adhibuerit antiquiorem Thoma Beluacenſi, qui in litteris pro Compendienſi monaſterio datis anno MCCLXXXIX in contraſigillo inſignia ſua exhibet. Itaque ſub* MEDIVM SÆCVLVM XIII *Epiſcopi more nobilium inſignia ſua contraſigillis adponere cœperunt, in recta ſuam ipſorum effigiem retinuere.* Attamen nec deſunt Epiſcoporum ſigilla, quæ etiam in recta ſcutum gentilitium ſiſtunt. Tale ſigillum iam ſupra vidimus Adelberti Archiepiſcopi Bremenſis, atque Henrici Hildeſienſis Epiſcopi. (†) Quibus iam plura alia addere liceret, niſi res nota eſſet & paſſim obuia. Potius notamus, loco cathedrarum vltimo adhibitos eſſe ſplendidiores thronos, inſtar loculamentorum opere Gothico exornatos, in quibus non modo inſignia eccleſiarum & familiarvm, verum etiam patroni epiſcopatus adparent. Exempli loco eſſe poterunt tria ſequentia. Primum Bertrami Epiſcopi Lubecenſis MCCCLXXVI indulgentiis eccleſiæ Richenbergenſi conceſſis adpenſum, exhibens epiſcopum ædiculæ inſidentem, cuius ad dextram affixa inſignia Eccleſiæ Lubecenſis ad ſiniſtram gentilitia, in ſuperiore parte Sanctus quidam, Lubecenſium Patronus, cum hac perigraphe: ✠. S. BERTRAMMI. DEI. GRA. EPI. LVBICEN. Secundum, (††) Landulphi Brixinenſis Epiſcopi, itidem ædiculæ inſidentis, cuius in ſuperiore parte conſiſtit agnus Dei, vexillum portans, quo inſignium loco

*) *TAB. XIII. n. 14.* **) *TAB. XIII. n. 9.* *_*) *TAB. XIII. n. 5.* a) MABILLON. *l. 2. c. 15. n. 2. p. 133. de R. D.* †) *TAB. XIII. n. 12.* ††) *TAB. XIII. n. 7.*

loco vtitur Brixinenſis eccleſia, ſuperque eum S. Maria virgo, eorum tutelaris, cum perigraphe: S. LANDVLPHI DEI GRA EPI BRIXINEN. Tertium (*) denique Gerhardi Hildeſienſis Epiſcopi, exhibens in eiusmodi loculamentis B. Mariam, Hildeſienſium patronam, cuius ſub pedibus epiſcopus ad vmbilicum vsque conſpicitur inter bina ſcuta alterum Hildeſienſis eccleſiæ, alterum Gerhardi gentilitium, cum hac inſcriptione: S. GHERARDVS DEI. GRA. EPS. HILDENSEMENSIS. Ex quibus horum ſigillorum rationem facile quiuis perſpicere poterit. Singulare ob inſcriptionem eſt ſigillum Henrici, Conſtantienſis Epiſcopi, litteris fundationis monaſterii Wengenſis apud Vlmenſes appenſum, quod ita deſcribit Cruſius: *Sigillum, quod litteris fundationis monaſterii Wengenſis apud Vlmenſes ab Henrico epiſcopo Conſtantienſi vt veris adiectum fuit, CHARACTERES habuit, qui hoc ipſo Epiſcopo Henrico aiente ſonant: SANCTA MARIA DEI GENETRIX. Ipſum ſigillum rotundum; & in medio eius effigies, ſiue imago S. Mariæ eſt deſculpta, & filum de ſericis, giluis & rubris ipſi inſtrumento adpenſum eſt.*

SIGILLA EPISCOPORVM MINORA.

X. Ceterum imaginibus ſuis quando vti deſierint Epiſcopi, non poteſt adeo explicate doceri. Id tamen mihi conſtat, ſæculo XV ineunte vix aliquod eiusmodi ſigillum amplius eſſe adhibitum. Sane in Hildeſienſium epiſcoporum ordine Gerhardum, qui exeunte ſæculo XIV floruit, vltimum tali ſigillo vſum eſſe, compertum habeo. Horum in locum ſubrogata ſecreta minora, partim rotunda, (**) quibus præter loculamenta, & ſcuta affixa nonnunquam diui tutelares additi, partim oualia, (*_*) quibus ſolum ſcutum ineſt, infula tectum ac in medio diuiſum, ex altera parte inſignia eccleſiæ, ex altera gentilitia præferens. Nec deſunt alia, in quibus caput epiſcopi, aut aliud eiusmodi exhibetur. Sed quis omnium numerum ineat, quum in ea re cuiuis ſuo morem gerere ingenio libuerit. Denique ſola inſignia epiſcopalia (†) ceræ rubræ impreſſa in ſigillis epiſcoporum locum inuenere, quæ hodienum obſeruantur.

SIGILLA EPISCOP. ANGLIÆ.

XI. Hæc de epiſcopis Germaniæ earumque prouinciarum, quæ ad Germaniam olim pertinuerunt; de Angliæ Epiſcoporum ſigillis nihil aliud mihi adhuc innotuit, quam conſtitutio illa Ottonis, Cardinalis, Legati in Anglia A. M CC XXXVII apud Matthæum Pariſienſ. (a) *Habeat vnusquisque* (Archiepiſcopus & Epiſcopus) SIGILLVM, *puta nomen dignitatis, officii, ſeu collegii, & etiam illorum proprium nomen, qui dignitatis vel officii perpetui gaudent honore, inſculptum notis & characteribus manifeſtis, ſicque* SIGILLVM AVTHENTICVM *habeatur.*

SIGILLA MAGISTR. ORD. TEVTON.

XII. Quum in ipſorum Archiepiſcoporum ordine locum ſuum obtineat ſupremus Magiſter Ordinis Teutonici: non incongruum erit, hoc loco tria ſuppeditare eius ſigilla, quæ eidem, quem paullo ante collaudauimus, Domino Richardo van der Hardt debemus. Primum (††) exhibet Mariam in Ægyptum fugientem, cum puerulo Ieſu, aſello vectam, cuius frenum prehendit Ioſephus, cum inſcriptione: ✠. S. COMMENDATORIS DOMVS ORDINIS THEVT. IN PRVS. 7 LIV. Secundum (†††) ceræ rubræ impreſſum ſiſtit puerulum Ieſum, in lectulo recubantem, quem adorat neſcio quis, crucem tenens, imminentibus ſupra ad præſepe aſino & boue. Perigraphe ita ſe habet: ✠. S. COMENDATORIS DOMVS THEVTON. IN LIV. Tertii effigies eadem eſt, quæ primi hoc excepto, quod aſinus terræ non inſiſtit & in extremo duo ſcuta apparent, alterum Ordinis Teutonici, alterum gentile, cum perigraphe: SIGILLVM MGRI. Quibus quidem hoc etiam caput iuuat obſignare.

*) *TAB. XIII. n. 13.* **) *TAB. XIII. n. 11.* *_*) *TAB. XIII. n. 8. 10.* †) *TAB. XIII. n. 6.* a) MATTH. PARIS. *ad ann. 1237. p. 370.* ††) *TAB. XV. n. 12.* †††) *TAB. XV. n. 13.*

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

DE SIGILLIS ECCLESIARVM, MONASTERIORVM, ABBATVM, PRÆPOSITORVM, DECANORVM.

I. Sancti tutelares in sigillis ecclesiarum. Fundatorum memoria in sigillis conseruata. Sigillum societatis Kalendariorum.

II. Sigilla Præpositorum & Decanorum ecclesiarum cathedr.

III. Sigilla Generalium & Prouincialium.

IV. Sigilla Abbatum.

V. Abbates etiam tutelares ecclesiæ suæ sigillis insculpsere.

VI. Sigilla Abbatissarum.

VII. Sigilla aliorum presbyterorum & Clericorum.

VIII. Quæstiones nonnullæ.

IX. Quid in sigillis ecclesiarum flores notent?

X. Varia signa & symbola sanctorum imaginibus adiecta.

1) Nimbi.

XI. 2) Palmæ.

XII. 3) Homines sanctis supplicantes.

XIII. 4) Libri sanctis tribuuntur.

XIV. 5) Stellæ sanctorum imaginibus additæ.

XV. 6) Vt & Angelorum capita. Cur illa B. Mariæ præcipue adiiciantur?

I.

SANCTI TVTELARES IN SIGILLIS ECCLESIARVM.

Dicenda nonnulla supersunt de sigillis monasteriorum atque ecclesiarum earumque præsulum, quæ sæculis demum XI & XII obtinuisse videntur Mabillonio, (a) mihi vero etiam haut paullo ante adhibita creduntur, ob locum Ekehardi Iunioris paulo post proferendum. Interim curiosa est eiusdem (b) obseruatio, quod Capitula sigillorum loco subinde adhibuerint cauteria iumentorum. Pleraque, quæ adhuc se mihi obtulerunt, aut templa turrita, aut quod frequentius fieri video, sanctos tutelares, eosque vel totos, vel eorum capita, vel historiam simul, aut denique reliquiarum quidquam exhibent. In antiquitatibus nostris Goslarienſibus (c) iam edidimus sigilla ecclesiarum SS. Simonis & Iudæ, Montisque S. Petri, vt & Monasteriorum Noui Operis, Richenbergensis, Montis S. Georgii Heiningensis, Franckenbergensis, Fratrum minorum Goslarienſium, in quibus omnibus Sanctos tutelares offendes. Attamen vt & iis videamur consulusse, qui Antiquitates istas non possident, placet hic illustriora nonnulla exempla notare. Antiquissimum igitur hoc esse institutum patet e sigillo S. Galli, iam Ottonis M. temporibus vsurpato, de quo Ekehardus Iunior: (d) *Et a patre* SIGILLVM *recludere iussus, ipsi illud (nam Sancti Galli semifacies erat,) in manum dabat. Quod ille sollicite intuitus, filii mei, pauperis Domini, imaginem, ait, esse putaui.* Elegantissimis merito accenseas sigillum antiquum ecclesiæ maioris Hildesiensis, (*) sistens throno insidentem S. Mariam Deiparam cum puerulo Iesu, adstantesque ex vtroque latere S. Bernwardum & S. Gothehardum Hildesienses Episcopos in Diuorum numerum relatos, cum perigraphe: ✠. SIGILLVM. HILDENSEMENSIS ECCLESIE. Illustris Corbeiæ sigillum exhibet Christum e cœlo prospicientem, atque inferius S. Stephanum & S. Vitum Patronos. Ecclesia Fuldensis S. Bonifacium monachis benedicentem, in monasterio constitutis, cum inscriptione: SCS. BONIF. ARCHIEPIS. ET. MR. & perigraphe: ✠. SIGILLVM CONVENTVS MAIORIS ECCLESIE FVLDENSIS. (e) Ecclesia S. Crucis Hildenesheimensis crucem Christi cum affixo titulo, ad eamque vtrinque SS. Petrum & Paulum apostolos cum perigraphe: ✠. SIGILL. ECCE SCE CRVCIS IN HILDENSHEM. Ecclesia Woltingerodana S. Mariam throno insidentem, cum inscriptione: SCA MARIA IN WOLTINGERODE, quam etiam sigillo suo insculpsit ecclesia Marienrodensis, cum hac perigraphe: ✠. S. CONVENTVS NOVALIS SANCTE MARIE. Sic & Ecclesia S. Bonifacii Halberstadiensis S. Bonifacium; Ecclesia S. Mauritii ibidem S. Mauritium; Ecclesia vero cathedralis S. Stephanum in genua provolu-

a) MABILLON. *l. 2. c. 15. n. 3. p. 133. de. R. D.* b) Idem *l. c. n. 1. p. 132.* c) *Vid. tab. æn. passim.* d) ECKEHARD. IVN. *cap. 16. de casib. monast. Galli p. 55.* *) *TAB. XV. n. 5.* e) SAGITTAR. *de gentilism. & Christianism. Thur. lib. 3. c. 25. p. 330.*

volutum exhibent. (*) Placet vltimum hoc sigillum ideo delineatum dare, si forte alius me felicior, quid manus e cœlo protendant, docere possit. Inscriptio ita se habet SIGILLVM CAPITVLI HALBERSTADENS ECCL. Aquensis porro ecclesia annunciationem D. Mariæ, Sultensis prope Hildesiam S. Bartholomæum, Schœningensis S. Laurentium, aliæ alios Deos tutelares sigillis suis impressere: id quod etiam ab ecclesiis parochialibus video factitatum, inter quas ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani, S. Stephani, SS. Petri & Pauli, S. Thomæ & S. Iacobi Goslarienses suos quoque patronos in sigillis ostendit. Sola nonnunquam Sanctorum tutelarium capita imprimi solita, exemplo elegantissimo probare possum, sigillo nimirum monasterii Ringelhemensis, (**) quod vel ideo adiiciendum putaui, quoniam miram inter illud bullasque pontificias obseruo conuenientiam. Habes igitur hic capita SS. Abdonis & Sennis coronata & cruce distincta cum perigraphe: ABDON SENNES PATRONI IN RINGELEM. In hoc sigillo vel id etiam obseruari meretur, crucem, qua distinguuntur hæc Regum capita, litteræ A superpositam esse, inque eam quasi desinere, qua quidem littera maiuscula, A, nihil aliud notari autumo, quam Henricum Aucupem, vt aliorum plurium ita & huius monasterii primum fundatorem. Exstant ciuitatum non paucarum, quæ eundem Imperatorem autorem suum venerantur, numi bracteati, eadem litteræ figura insigniti, in luculentam Aucupis, Parentis sui, memoriam. Vide, sis, quæ hanc in rem differuimus in sylloge nostra numorum Goslarienſium, (a) Antiquitatibus Goslarienſibus subiecta. Nec minus in aliis quoque sigillis solenne est, fundatorum memoriam ab ecclesiis variis iconibus & characteribus conseruari. Tale iam exemplum suppeditauimus in Antiquitatibus nostris, sigillum Ecclesiæ Montis S. Petri Goslarienſis, vbi Agnes Imperatrix in genua prouoluta & S. Petro templum offerens spectatur. (b) Idem in aliis ecclesiarum sigillis video obseruatum. Sane in sigillo Præpositi Noui Operis Goslarienſis, quod itidem alio loco (c) edidimus, vir ille, qui ante D. Mariam Deiparam in genua procumbit, non esse videtur alius, quam Volcmarus a Wildenstein, fundator, quemadmodum & in Abbatissæ sigillo mulier velata, Mariam e cœlo despicientem adorans, eius vxorem Liccam videtur notare, quam cum marito fundasse hoc monasterium, ex iis, quæ in Antiquitatibus nostris diximus, erit perspicuum. Omitto nunc alia, atque id tantum obseruo, olim vix aliud fuisse symbolum, quo fundatores se esse antiqui testabantur, quam templum turritum, quod manu præferebant. Hinc si quæ eiusmodi templa in manibus virorum aut feminarum in epitaphiis, sigillis aut aliis monimentis occurrunt, certo erit statuendum, illa fundatarum ecclesiarum esse testimonia. Quin immo exstant sigilla, in quibus licet ipsorum fundatorum imagines non adpareant, earum tamen loco eiusmodi signa occurrunt, e quibus facili negotio ecclesiarum originem colligas. Sic in sigillo præpositi Montis S. Georgii, hic sanctus martyr tenet scutum aquila insignitum, quod cum S. Georgio vindicari non possit, merito concludas, ibi natales huius monasterii, quos Conrado II & Henrico V Cæsaribus debebat, indigitari. In sigillo maiori ecclesiæ SS. Simonis & Iudæ inter hos sanctos tutelares adparet corona Cæsarea, quam eo certius fundationis Cæsareæ indicium interpretor, quod in numis etiam Goslarienſibus a nobis explicatis, (d) in quibus capita SS. Simonis & Iudæ Apostolorum occurrunt, eadem corona conspicitur: Id quod sine ratione factum nemo temere statuerit. Nescio, an ad sacros Ordines referre debeam fratres ἱεροποιὲς, qui a Kalendis, Kalendariorum nomen sortiti, Curios simulabant & vivebant Bacchanalia, (e) quorum sigillum non possum non hic describere verbis Domini Paullini: *Sigillum eius*, (Societatis Kalendariæ) *gerit manum, quæ crucis signum in altum eleuat.* Procul dubio hanc notitiam vir optimus debet Christ. Gothilf. Blumenbergo, qui suo de *Moguntina illa substructione in glandis figuram composita*, (von dem Eichelstein) tractatui appendicem annexit vom Kaland oder etzlichen uhralten Lateinisch und Teutschen documentis MSC. von der so genanten im Pabstum vor diesem florirenden Kalender Gesellschaft ꝛc. vbi (f) & sigillum huius societatis adparet eiusdem figuræ, cum ea, quam describit Dn. Paulini, nisi quod manui crucem eleuanti vmbraculum imminet. Inscriptionem, quam Auctor legere non potuit, operæ pretium esset ex aliis horum fratrum monimentis restituere, dummodo certo constaret, totiusne societatis, an solius confraternitatis Leisnicensis hoc sigillum fuerit? De quo alii videant.

FVNDATORVM MEMORIA IN SIGILLIS CONSERVATA.

SIGILLVM SOCIETATIS KALENDARIÆ.

*) *TAB. XV. n. 3.* **) *TAB. XV. n. 8.* a) *Antiqu. Gosl. n. 10. p. 8.* b) Ibid. *lib. 1. p. 46.* c) Ibid. *lib. 2. p. 163.* d) *Vid. Syllog. num. Gosl. l. c.* e) *Vid.* PAVLIN. *Chron. Otberg. p. 174. Confer.* FELLER *dissert. de Fratr. Kalendar.* f) BLVMBERG vom Eichelstein *p. 289.*

SIGILLA PRÆPOSITORVM ET DECANORVM.

II. Non multum diuersa ab his sunt sigilla Præpositorum & Decanorum, qui Ecclesiis collegiatis præfuere. Ii enim, quum initio proprias imagines in sigillis exhiberent, deinde retentis plerumque Deorum tutelarium imaginibus, quas ecclesiæ coluere, sua tantum insignia gentilitia adiecere. Id quod iam aliquot exemplis in Antiquitatibus meis Goslariensibus probaui, quibus tamen bina nunc addo. Prius Rainoldi, Comitis Dasselensis, quem e Goslariensium Canonicorum numero primum ad præpositurам Hildesiensem, atque inde ad Archiepiscopatum Colonienſem euocatum alio loco diximus. Posterius Adelhogi, e Præposito ecclesiarum SS. Simonis & Iudæ, & Montis S. Petri ad episcopatum Hildesiensem euecti. (*) In illius sigillo ipsius occurrit imago, siniſtra librum, dextra palmam tenens, cum perigraphe: ✠. RENALDVS PPOSITVS. In hoc effigies Adelhogi librum tenentis. Quum igitur hunc Rainoldum in Canonicorum Goslariensium numerum reposuerimus, eiusque historiam alio loco (a) succincte tradiderimus, aliquot etiam eius diplomatibus editis, non erit iniucundum iam ipsam eius imaginem intueri.

SIGILLA GENERALIVM ET PROVINCIALIVM.

III. Quo tempore Abbates & præpositi antea sigillis ecclesiarum contenti, diuersa ab his ac propria sigilla habere cœperint, satis ad liquidum perduxisse videtur Mabillonius, (b) rei huius originem reiiciens in sæculum XII, idque probans diplomate Isemonis Abbatis Ambroniacensis, qui anno MCXL anteceſſorem suum sigillo proprio caruisse ipse fatetur. Sed videndum etiam de istorum sigillorum figura. In iis igitur tria præcipue occurrunt notatu digniora. Siquidem vel ipsorum Abbatum imagines, vel Diui ecclesiarum tutelares, vel monachus eius ordinis, cui ipsi nomen dederunt, in hisce sigillis conspiciuntur. Vt enim ab iis ordiamur, qui alicui ordini monastico veluti cum summo imperio præsunt, & Generalium aut Prouincialium nomine notantur, eos plerumque aut monachum, aut ipsum fundatorem eius ordinis, cui præfuerunt, sigillis olim impressisse comperio. Cuius rei exemplum dare possum sigillum (**) Fr. Guilielmi Barronis, Fratrum minorum de Obseruantia Cismontanarum partium Generalis Vicarii, nec non Reuerendi Patris Vicarii Generalis Vltramontani commissarii, qui anno MCCCC XXC Germaniam perlustrauit. Sistit illud S. Franciscum habitu monastico indutum, nimbo circa caput cinctum, in manibusque & pedibus stigmata illa, quæ illi tanquam Christo typico impressa ferunt huius ordinis fraterculi, cum hac perigraphe: ✠. S. Gvilierm Gnal Frum minor de Obſervancia. Quod etiam alios monasteriorum antistites nonnunquam feciſſe constat. Edidi enim aliquot sigilla præpositi Richenbergensis, in quibus Canonicus Regularis longiore pallio, (quali per hyemem vtuntur,) indutus effingitur, cum hac inscriptione: SIGNVM ECCLIE RICHENBERGENS.

SIGILLA ABBATVM.

IV. Suas ipsorum imagines sigillis impressere plerique Abbates, quibus annuli mitræque vsus a Pontifice fuerat concessus. Iis enim solenne fuit episcopos æmulari, seque modo sedentes, modo stantes in pontificalibus effingere, ita vt altera manu pedum, altera librum teneant. Et quidem vt Corbeiensem aliosque principes Abbates omittam, sedentem episcopali fere habitu se in sigillis suis exhibuit Albertus, Abbas Montis Cellensis in Hercynia, cuius monasterii memoriam fere intermortuam ex aliquot diplomatibus feliciter resuscitauimus. (c) Ceteri, quos vidi, stantes plerumque adparent, & quamuis pedum Abbatiale teneant, mitra tamen & pontificialibus abstinuere, solo habitu suo monastico contenti. Qualia sunt sigilla duo, quæ nunc tibi delineanda putaui. Primum (†) S. THIDERICI ABBATIS IN REDAGHESHVSEN. Alterum (††) S. HINRICI ABBATIS. NOVALIS. SANCTE MARIE.

ABBATES ETIAM TVTELARES ECCLESIÆ SVÆ SIGILLIS INSCVLPSERVNT.

V. Tutelarium imagines sigillis suis impressisse video Abbates aliquot præpositosque & Abbatissas tantum non omnes. Talia iam complura dedimus in antiquitatibus nostris Goslariensibus, quibus tamen hic subnectimus vnicum Henninghi, Abbatis S. Godehardi Hildesiensis, sistens Godehardum loculamento insidentem, dextraque tenentem templum siue monasterium, siniſtra pedum, cum inscriptione: S. Henninghi abbatis sci Godehardi. Sunt etiam sigilla Abbatum, in quibus non ipsorum modo imagines, verum etiam sancti tutelares simul conspiciuntur. Quibus accensendum videtur sigillum Heysonis Abbatis Ringelheimensis, (d) quod possideo, exhibens in superiore parte capita SS. Abdonis & Sennis, quibus adscriptum AB. SE. in inferiore Abbatis mitrati effigiem vmbilicum tenus, dextra pedum, siniſtra librum

*) *TAB. XV. n. 6.* a) *l. 2. Antiqu. Gosl. p. 155. sq.* b) MABILLON. *lib. 2. c. 15. n. 3. p. 134. de R. D.* **) *TAB. XV. n. 10.* c) *Antiquit. Gosl. lib. 3. p. 255. sq.* †) *TAB. XV. n. 9.* ††) *TAB. XV. n. 11.* d) *Vixit anno 1404.*

librum tenentis, cum hac perigraphe: ✠. S. HEYSONIS ABBATIS IN RINGELEM. Immo nonnunquam Abbatibus non modo ſigilla imagine ſua inſignita, verum etiam alia diuerſa, in quibus ſolæ patronorum imagines cum eorum titulo occurrunt, adponere diplomatibus placuit. Cuius rei notatu dignum exemplum ſe obtulit B. Sagittario, (a) quod ipſius verbis deſcribam: Sonſt iſt in dem Fürſtl. Friedenſteiniſchen Archiv ein Conſens-Brief Abbts Heinrichs zu Fulda vorhanden, über den Verkauff des Dorffs Katerfeld an Abt Wittecho und ſeine Ordens-Brüder zu Georgenthal: und war der Verkäuffer Ludwig von Wangenheim, deſſen Vater Berthog von dem Dom-Herrn zu Hünefeld daſſelbe Dorff an ſich getauſchet hatte. An dieſem Conſens iſt nicht nur ietztgedachten Fuldiſchen Abbts Inſiegel, ſondern auch neben demſelben Bonifacius in einem ſonderbahren Sigel zu ſehen: welches ich genau abreiſſen und in Holtz ſchneiden laſſen, wie die pag. 331. befindliche Figur ausweiſet, darum folgende Worte ſtehen: SANCTVS BONIFATIVS ARCHIEPISCOPVS. Ipſam huius ſigilli formam exhibet laudatus Sagittarius, quam loco allegato licebit intueri.

SIGILLA ABBATISSARVM.

VI. Antiquiſſima Abbatiſſarum ſigilla quomodo ſe habuerint, non facile dixerim. Videntur tamen eæ, quæ alicuius nominis dignitatisque fuere, ſtatim ab initio ſuis ipſarum imaginibus ſignaſſe. Argumentum huius coniecturæ mihi ſunt ſex elegantiſſima ſigilla Oſterlindis, Gertrudis, Bertradis, Iuttæ, Luckardis & Eliſabethæ, Abbatiſſarum Quedlinburgenſium. (*) Siſtunt ſe in omnibus Abbatiſſarum imagines, non horridiore quidem veſte monaſtica, ſed habitu ſatis liberali indutæ, dextra præferentes lilium, ſiniſtra librum, eo fere ſchemate, quo in numis bracteatis alias Abbatiſſas Quedlinburgenſes & Eſſendienſes ſculptas videmus. (b) Perigraphe vbique eadem fere adparet. Primo enim ſigillo adſcriptum ✠. OSTERLINDIS DEI GRA IN QVIDELINGEBVRCH ABBATISSA. Secundo: GERTRVDIS DI GRA. IN QVIDELINGEBVRCH ABBATISSA. Tertio: BERTRADIS DEI GRA IN QVEDELINBVRCH ABBATISSA. Quarto: ✠. SIGIL. IVTTE DI GRA IN QVIDELINGEBVRCH ABBATISSA. Quinto: SIGIL. LVCKARDIS DI GRA IN QVIDELINGEBVRCH ABBATISSA. Sexto denique: ELISABETA DI GRACIA QVIDELINBVRGENSIS ABBATISSA. At paullo minoris dignationis Abbatiſſæ aliam in ſigillis ſequutæ ſunt rationem, ſiquidem modo ſe ipſas geniculantes & orantes, modo diuos eccleſiæ ſuæ tutelares, modo inſignia eccleſiæ, modo aliud quidquam eiusmodi exhibuerunt. De qua re quum plura exempla in promtu ſint, nihil attinet hic agere prolixius.

SIGILLA CETERORVM PRESBYTERORVM ET CLERICORVM.

VII. Ceteris eccleſiarum presbyteris & clericis, qui proprium non faciebant collegium ſeu capitulum, ſigillo vti initio nefas fuit, niſi patronorum accederet conſenſus. Hinc in Cironii quinta Compilatione Epiſtolarum Decretalium Honorii (c) ſequens exſtat reſcriptum ad Præpoſitum R. & I. Archidiaconum Sueſſion: *Dilecta in Chriſto filia Abbatiſſa Iotrēn nobis inſinuare curauit, quod cum presbyteri & clerici Iotrenſis Eccleſiæ Meldenſis diœceſis non conſueuerint proprium habere ſigillum, nec ſint vnum corpus, ita quod Capitulum apelletur: nihilominus tamen contra voluntatem ipſius Abbatiſſæ, quæ ipſorum caput eſt & patrona, ſigillum habere contendunt in eius præiudicium & grauamen, quare id eis a nobis petit inhiberi. Quia vero nobis non conſtitit de præmiſſis, diſcret. veſtræ mandamus, quatenus inquiſita ſuper his diligentius veritate, ſi vobis conſiterit, rem taliter ſe habere, dictis presbyteris & clericis autoritate noſtra inhibeatis expreſſe, ne præſumant vel de nouo fabricare ſigillum, vel vti eo, ſi forte nouiter fabricarunt, ipſos ſi contra prohibitionem noſtram venire præſumpſerint, a præſumtione huiusmodi per cenſuras Eccleſiaſticas appellatione poſtpoſita compeſcentes.* Vidi tamen ſexcenta eccleſiarum parochialium ſigilla a presbyteris plebanisque adpenſa, ſanctorum illorum, quibus dedicata eſt eccleſia, imagine plerumque ſignata, quæ argumento ſunt, conſtitutionem hanc Pontificis interiecto tempore in deſuetudinem abiiſſe.

QVÆSTIONES NONNVLLÆ.

IIX. Hæc itaque ſunt, quæ de eccleſiarum, earumque prælatorum ſigillis notanda putaui. In quibus eo minus puto immorandum, quo maius forte inde lectori tædium ſuſpicor creatum iri. Non enim eſt cuiusuis, minora iſta curare. Quamobrem omiſſis iis, quæ forte adhuc dici poterant, quæſtiones aliquot ex his ſigillis proponimus, more noſtro paucis ſoluendas. Quærimus ergo: 1) Quid

a) SAGITTAR. *lib. 3. de Gentilism. & Chriſtianism. Thur. cap. 25. p. 529.* *) *Vid. TAB. XIV. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6.*
b) OLEAR. *Anaſtaſ. Agnet. id. Spicil. Antiquit. I. n. 23. 24.* c) CIRON. *Compil. Epiſt. Honorii quinta tit. 10. cap. 2. p. 211.*

I. Quid ſibi velint flores in ſigillis eccleſiarum ſæpe obuii?

II. Quibus ſignis ac ſymbolis in ſigillis hisce cognoſci poſſint Sanctorum imagines?

QVID IN SIGILLIS ECCLESIARVM FLORES NOTENT.

IX. Flores igitur in ſigillis eccleſiaſticis occurrere ſæpius, tot exemplis exploratum habeo vt pigeat eorum hic inire recenſum. Quisquis modo ſigilla a me in antiquitatibus Goslarienſibus edita intueri voluerit, aliquot ibi reperiet ſigilla, floribus eiusmodi decorata. Et quidem flores modo inter ſanctorum imagines, modo per ipſam circuli interioris aream ſparſi ſunt, modo in manibus geſtantur, id quod patet e ſigillis Abbatiſſarum Quedlinburgenſium, modo nobis laudatis. Hoc igitur ſymbolo quid ſibi voluerint antiqui, ſimplicitatis, quam elegantiæ ſtudioſiores, hic paucis diſpiciemus. Cl. Schlegelius, (a) explicaturus rationes, cur Abbatiſſa Northuſana lilium teneat, ita loquitur: *Florem vero florentiorem cœnobii ſui ſtatum, ſi non Imperatorum & Marchionum, qui etiam cum ſceptris liliatis & floribus ſedentes ſeſe exhibebant olim in nummis, imitationem, (myſticam lilii ſignificationem oratoriæ eccleſiaſticæ doctoribus relinquimus, minime hic quadrantem,) deſignare auguramur.* Sed quum credibile non ſit, perſonas eiusmodi, ſanctitatem miram affectantes, aut florentiorem eccleſiæ ſuæ ſtatum iactaſſe arrogantius, aut Imperatorum Marchionumue inſignia ſibi tribuere auſas eſſe, malim adſtipulari ſententiæ Cl. Olearii, qui quum in Anaſtaſi ſua Agnetis Abbatiſſæ Quedlinburgenſis de floribus in numis bracteatis multa differat, alio loco (b) hanc facit ſummam cogitationum ſuarum omnium: *Quæ ſingula* (ſtellæ, libri, nimbi,) *ceu in aliis crux, FLORES, palma, vitæ ſanctitatem fideique conſtantiam noſtri denotant ſancti. De quibus alibi egi fuſius.* Non iam operoſe colligam ea, quæ hanc in rem ex Molani obſeruationibus proferri poſſent. Nec multa hic auctorum teſtimonia congeram, quibus res probari facillime poſſit. Sed id modo addam, nihil eſſe in medii æui ſcriptoribus frequentius, quam quod ſanctimoniam vitæ diſciplinæque integritatem, quam in monaſteriis florere iactabant, ſimilitudinibus a flore aut odore deſumtis deſcriberent. Sic Gregor. Magnus: (c) *Aliter*, inquit, *olet flos roſæ, quia mira eſt fragrantia, quæ rutilat & redolet ex cruore martyrum: aliter flos lilii, quod candida vita eſt de incorruptione virginitatis.* Eugenius Papa in diplomate anno MCLII. 3. Kal. Aug. Ordini Ciſtercienſi conceſſo: (d) *Inde eſt, dilecti in Domino filii, quod ſacræ religionis veſtræ opinione, TANQVAM ODORE AGRI PLENI, CVI BENEDIXIT DOMINVS, prouocati, religioſis petitionibus veſtris benignum impertimur aſſenſum.* Hermannus Abbas Corbeienſis (e) in epiſtola ad Ludouicum Thuringiæ Landgrauium anno MCCXXVII perſcripta de monialibus S. Catharinæ Iſenacenſibus: *Matura facta deliberatione cum toto conuentu meo, vnanimiter concluſum eſt, ex iſto religioſo monaſterio --- SVRCVLOS aliquos VITÆ ILLIBATÆ & bonæ ſpei in agrum noſtrum transplantare, vt a DIFFVSO RIGOROSÆ VITÆ EARVM ODORE SVAVISSIMO TOTA VICINIA REPLEATVR, & eadem dulcedine ad ſimilia pietatis opera in Domino inflammetur.* Sed elegantiſſimus ea de re locus eſt in diplomate Ioannis Hildeſienſis Epiſcopi, (f) quem adſcribo: *Gratulantes ad memoriam reuocamus, qualiter hic VITIS generoſa Ciſtercienſis Ordinis multiplicauit ODORES & in FLOREM HONORIS & HONESTATIS longe lateque PALMITES VIRTVTVM expandit, ac multiplicatum fructum in vitam æternam feliciter reportauit.* Quum igitur monachis id vel maxime fuerit in more poſitum, vt diſciplinæ, aut vt ipſi loqui ſolebant, *conuerſationis ſuæ* integritatem flori aut agro, ſuauem ſpargenti odorem conferrent: nihil relinquitur dubitationis, quin flores, in ſigillis æque ac numis bracteatis eorum ſiue per aream ſparſi, ſiue manibus geſtati, eandem debeant indicare.

VARIA SIGNA ET SYMBOLA SANCTORVM IMAGINIBVS ADDITA.

X. Sanctorum porro imagines multa habent adpicta ſigna, quibus eas cognoſcere poſſis: Talia ſunt nimbi capita cingentes, palmæ manibus geſtatæ, homines e genibus adorantes, ſtellæ, libri, angelorum capita e nubibus reſpicientia, huiusque generis alia.

1) NIMBI.

I. Nimbi capita cingentes in omnibus fere Sanctorum imaginibus tum in numis bracteatis, tum ſigillis, tum ceteris monimentis occurrunt, iique tam antiqui ſunt, vt omnem memoriam videantur ſuperare. Solet equidem inter auctores diſputari, vnde originem hi nimbi habeant. Sed neſcio, an ſatis accurate rem peruiderint ii, quos putares acutiſſimos. Ioſephus Scaliger (g) in ea eſt ſententia, antiquitus artifices ſtatuis a ſe exaſciatis ſuper

a) SCHLEGEL. *Diſſert. de num. Northuſin. p. 146.* b) OLEAR. *Spicil. Antiquit. III. p. 6.* c) GREGOR. M. *hom. 6. ad Ezech. f. 260.* d) *ap.* TAMBVRIN. *de iure & priuil. Abbat. Tom. 2. diſp. 4. quæſt. 5. p. 391.* e) PAVLIN. *Chron. Otberg. p. 179.* f) *Vid. Antiquit. Gosl. lib. 3. p. 278.* g) SCALIG. *Comment. in addend. Virg. p. 211.*

ſuper capita adieciſſe vmbellas lunatas, (μηνίσκους,) ne ab aliis conſpurcarentur, quas nec Deorum ſtatuis peperciſſe probent hæc Tibulliana:

At o Priape ſæpe floribus nouis
Tuas ſine arte deligauimus comas,
Abegimusque voce ſæpe, quum tibi
Senexue coruus, impigerue graculus
Sacrum feriret ore corneo caput.

Has ergo μηνίσκες etiam in ſanctorum ſtatuis retinuiſſe Chriſtianos putat Scaliger, cuius rei cauſſam ignorantes pictores, dum putarent honoris cauſſa imponi debere, etiam imaginibus pictis adpoſuiſſe, vbi tamen minime neceſſe erat. Hæc ſententia quantam habeat veri ſpeciem, vel inde patet, quod celeberrimos inuenit fautores Henricum Salmuthum, (a) Emundum Figrellum, (b) Ioachimum Camerarium, (c) & Iul. Cæſ. Bulengerum. (d) Alii nimbos eiusmodi ſucceſſiſſe putant in locum circulorum aureorum, quibus antiquiores incinxerint frontes. Ioannes Nicolai, (e) qui de nimbis cum cura egit, plane ἐπέχειν videtur, id modo notans, Scaligeri & qui cum eo ſentiunt, ſententiam concoquere non potuiſſe Anſelmum Solerum in tractatu de pileo. (f) Quæ quum ita ſint, omnium maxime mihi arrident hæc verba Laurentii Pignorii, quæ ex eius Expilatione Menſæ Iſiacæ allegat laudatus Io. Nicolai: *Conſueuit*, inquit, *Dædala antiquitas res hominum opinione religioſas & auguſtas, quibusdam veluti notis inſignire, per quas iis aliqua dignitas accederet. Inter has maxime nobilis fuit ORBIS quidam CAPITI aliquando CIRCVMSCRIPTVS, venerationis index & maieſtatis, qua humanam excederet.* Sane maxime probabilem hanc eſſe Pignorii ſententiam, innumeris monimentis antiquis poteſt demonſtrari, quum vix quidquam paullo auguſtius venerabiliusq; in theologia ſua gentiles habuerint, quod non eiusmodi nimbis putarint exornandum. Quis enim ignorat, ſimulacris Deorum, vrbium Diis tutelaribus, animalibus Diis conſecratis, phœnicibus aliisque eiusmodi rebus ſacris nimbos appingi ſolitos? Quin immo ſtante Romana re eo prolapſa eſt adulandi libido, vt non modo Principes in Deorum numerum Senatus ſuffragio relati, verum etiam viuentes ſpirantesque, radiante capite aut nimbo cingerentur, vtpote ſymbolo Deorum veluti proprio. Illud innumera loquuntur exempla. Hoc præcipue liquet ex numis Conſtantii & Conſtantis, Theodoſii Iunioris ac Placidii Valentiniani conſularibus. Quam in rem egregia ſunt, quæ differit Carolus du Freſne, (g) in eam deflectens ſententiam, quod poſterioribus temporibus nimbus etiam cum Conſulibus fuerit communicatus, vt diuinitatis ſpecies quædam & his aſſereretur. Cum igitur innumera ſint argumenta, ex quibus apparet, Chriſtianos primitiuos veterum Romanorum mores, quos ſalua religione retineri poſſe exiſtimabant, elegantiæ cauſſa retinuiſſe: non erit incongruum ſtatuere etiam nimbos hosce ſanctorum capita ambientes non aliunde petitos eſſe. Idque his magis condonandum erat, quam gentilibus. Quum enim gentilibus non alia ſuccurreret facti ſui ratio, quam poëtarum fingendi libido, qui iam inde ab Homeri ætate Deos Deasque adparentes ſemper nimbis lucique ſplendidiori inuoluunt: Chriſtiani certiora de beatorum ſtatu edocti, iure meritoque cœlitibus auguſtiorem faciem ſplendoremque ipſo ſole lucidiorem tribuebant.

XI. Palmas in manibus geſtare ſanctos, inprimis martyres, in ſigillis exhibitos, multis exemplis conſtat. In ſigillo Eccleſiæ S. Bonifacii Halberſtadenſis, S. Bonifacius dextra pedum paſtorale, ſiniſtra palmam tenet. Quod geſtamen etiam video eſſe S. Stephani πρωτομάρτυρος in ſigillo templi parochialis S. Stephani Goslarienſis eleganti pariter ac antiquo. Nec quenquàm adhuc obſeruaui cum palma pingi in ſigillis, niſi aut martyres, aut Sanctos Pontificis auſpiciis in Diuorum numerum relatos. Id quod etiam fere in numis bracteatis obſeruatur. In Halberſtadenſibus enim a Cl. Oleario (h) editis quater exhibetur S. Stephanus palmam tenens. Cuius rei non alia ſuccurrit ratio, quam quod martyres aliique ſancti glorioſiſſime de Satano & mundo triumpharint. Vnde recte Molanus: (i) *Pinguntur PALMÆ in manibus*

PALMÆ.

a) SALMVTH. *ad Panciroll. de reb. deperd. p. 179.* b) FIGRELL. *de ſtatuis illuſtrium Roman. p. 274.* c) IOACH. CAMER. *Quæſt. promiſc. decur. 8. probl. 10.* d) BVLENGER. *de Pictur. l. 1. c. 18. p. 56.* e) NICOLAI *de nimbis antiqu. c. 5. p. 85.* f) SOLER. *ſect. 13.* g) DV FRESNE *Diſſert. de inſer. aui num. n. 15. p. 12.* h) OLEAR. *Spicil. antiquit. II. n. 25. 9. 10.* i) MOLAN. *Hiſt. Imagin. lib. 4. c. 26.*

bus propter illud Apocalypſeos VIII, & palmæ in manibus eorum. *Et illud Pſalmiſtæ Pſ. XCII.* Iuſtus vt palma florebit. *Significant autem palmæ victoriam.* Pertinere etiam huc videntur ea, quæ de inſcriptionibus Chriſtianorum obſeruat Erneſt Salomo Cyprianus (a) epitaphiis nimirum Martyrum plerumque aut palmas aut columbas cum ramo oliuæ ſubiici. Quæ tamen ſigna virginibus propria putat Cornelius a Lapide, ſolis vero lapicidarum ingeniis adſcribit doctiſſimus Auctor elegantis libelli de Antiquitatibus, (b) cum aliis libellis ad variam eruditionem pertinentibus editi. Quamuis igitur negari non poſſit, palmam martyrii ſanctitatisque quoddam veluti ſymbolum eſſe, atque hoc fere in ſigillis notare: merito tamen mireris, qui fiat, vt in numis bracteatis, quibuscum alias optime ſigillis conuenit, palmæ etiam aliis perſonis vtriusque ſexus eccleſiaſticis æque ac politicis tribuantur, quæ tamen nec ſolenni eccleſiæ Romanæ ritu conſecratæ ſunt, nec cruenta morte pro Chriſto occubuere. Exſtant enim numi Friderici II Imperatoris, Diterici Marchionis Miſniæ, Sifridi Archiepiſcopi Colonienſis, Wicmanni Epiſcopi Cizenſis, poſtea Magdeburgenſis Archipræſulis, Eberhardi Archiepiſcopi Moguntini, Agnetis Abbatiſſæ Quedlinburgenſis, Hadwigis Abbatiſſæ Northuſanæ a Cl. Oleario, (c) Tenzelio, (d) Io. Andr. Schmiedio (e) & Schlegelio (f) editi explicatique, in quibus omnibus palmæ occurrunt. Vnde merito colligas, aliam quoque ſubfuiſſe rationem, cur hoc ſibi geſtamen tanto conſenſu elegerint. Sed in hac inuenienda licet multi ſuam exercuerint induſtriam: paucis tamen ea venerunt in mentem, quæ ad omnes hos numos adplicare poſſis. Cl. Olearius in explicatione numorum Agnetæ Abbatiſſæ (g) talem numum conſiderans, cuſum illum ſuſpicatur in memoriam obitus ipſius, quod tamen an de ceteris quoque dici poſſit, non facile dixerim, quum tempus, quo cuſi ſunt numi bracteati, ſemper ſit dubium. Idem de Tenzelii (h) coniectura ſane ingenioſa ſtatuendum videtur, qui palmam in Eberhardi Archiepiſcopi numo, memoriam initæ anno M. CC. LIV. inter Moguntinos & Wormatienſes pacis conſeruare non dubitat. Vereor enim, vt de ceteris quoque numis idem dici poſſit. Summe reu. Dn. Schmiedius (i) eiusdem generis explicaturus numum Wichmanni, Cizenſis Epiſcopi, qui poſtea inuito licet Eugenio Pontifice ad Magdeburgenſem Archiepiſcopatum adſpirauit, de palma ita diſſerit: *An* PALMAM *propterea tenet, quod, contradicente licet Eugenio Pontifice, Epiſcopatum, atque ſic victoriam obtinuerit Wichmannus?* Sed eiusmodi victorias quum ceteri quoque, quorum numi eiusmodi exſtant, obtinuiſſe ſe non potuerint gloriari, victoriæ ſpirituales contra diabolum & mundum a religioſis reportatæ, in ſubſidium vocandæ erunt, quæ ſententia admodum veriſimilis eſt Cl. Olearii. (k) Palmam ſane ſemper fuiſſe victoriæ aut ſignum, aut augurium, lippis & tonſoribus notum eſt. Nec vllus amplius ſupereſt numus, quin ex hac hypotheſi poſſit explicari. Si Imperatores aut principes palmam geſtant, ſignum id credi poteſt victoriæ ab hoſtibus reportatæ, ſi religioſi viri aut feminæ hoc geſtamine incedere videbuntur, ſignum id erit triumphati diaboli & mundi, quem religioſos & ſacros homines diu noctuque oppugnare decet. Sin denique Sanctos palma ornat aut martyres; ſignum id erit triumphi a perſecutoribus eccleſiæ obtenti, vitæque in triumphante eccleſia inchoatæ. Atque ſic ſemper palma manebit victoriæ ſymbolum. E contrario non video, quomodo conſiſtere poſſit Cl. Schlegelii (l) ſententia, quam his verbis profert: *Sed* (palma) *noſtra opinione ſaltim in genere Monaſterii, vel, ſi Epiſcopus eſt, epiſcopatus, vel, ſi Abbas eſt, Abbatiæ, vel, ſi denique Imperator eſt, Imperii ſui, in ſæcularibus vigorem, ac in ſpiritualibus proſperum omnium rerum ſucceſſum* (notat). Cur enim palmam potius, exoticam frondem, quam quemuis e patria florem adhibuiſſent, idem multo facilius indicaturum? Idem Cl. Schlegelius allegat Papebrochii (m) coniecturam, ſtatuentis, palmam eſſe religionis *Hieroſolymitanæ inſigne*, ſiue potius *ſignum Ordinis Teutonici, vel fratrum in Palæſtinam pro recuperanda terra ſancta, iter ſuſcipientium*, & quamuis nonnulla huc facientia afferat, aſſerere tamen non dubitat, ſpecioſa magis, quam vera tradere eos, qui ita ſentiant, ſuamque explicationem, donec certiora tempus

a) E. S. CYPRIAN. *de eccleſ. ſubterr. p. 44.* b) Geöffnet *Antiquitäten*-Zimmer. *Part. 1. cap. 4. n. 4. p. 60.* c) OLEAR. *in Introduct. ad num. bracteat. & Anaſtaſ. Agnet. Abbatiſſ. Quedl.* d) TENZEL. *Schediaſm. de num. Mogunt.* e) SCHMIED. *diſſert. de num. Pegauienſib.* f) SCHLEGEL. *de num. Northuſin.* g) OLEAR. *Specim. Ant. p. 18.* h) TENZ. *de num. Mogunt. p. 9.* i) SCHMIED. *Diſſ. de num. Pegau. p. 22.* k) OLEAR. *epiſt. ad Dn. Schmied. de numo Gardolf. p. 6.* l) SCHLEGEL. *diſſert. de num. Northuſan. p. 147.* m) PAPEBROCH. *Acta Sanctor. ad d. 13. Iun. append. fol. 91.*

pus ſubmittat, præferre non veretur. Equidem Papebrochii opus mihi non eſt ad manus, atque adeo genuinam eius ſententiam ex ipſius verbis haurire non licet: attamen aſſerere auſim eam tantum non omnibus palmam præripere. Sane enim eos, qui peregrinationem Hieroſolymitanam, ſeu ex voto pietatisque ſenſu, ſeu ob crucem ſuſceptam inierunt, domum redeuntes palmas in manibus detuliſſe, quarum Syria eſt feraciſſima, egregie docet Carolus du Freſne, (a) hos peregrinatores inde *palmariorum* & *palmatorum* nomen adeptos eſſe, monens, elegantiſſimumque ea de re allegans locum Durandi: (b) *Qui de* HIEROSYLIMIS *veniunt*, PALMAS IN MANIBVS FERVNT, *in ſignum, quod illi Regi militarunt, qui Hieroſolymis cum palmis honorifice receptus eſt, & poſtmodum ibidem cum diaboło pugnans, victor exſtitit.* Omitto cetera auctorum teſtimonia, quæ ex Abbate Vrſpergenſe, Alberto Stadenſe, Petro Damiani, aliisque tum editis, tum MSCtis affert vir incomparabilis, duoque addo exempla in ipſis ſigillis nimirum Theodorici & Philippi Comitum Flandrenſium obuia, quorum alter tribus vicibus, annis nimirum MCXXXVIII. MCXLVII. & MCLVII; alter bis, annis MCLXXVII & MC XC ſacram expeditionem ex voto ſuſcepit. (*) Vtriusque ſigilla exhibent palmam e fundo exſurgentem, quam ita explicat Oliuarius Vredius: (c) *In fundo ſigilli primarii frondet palma peregrinationis Hieroſolymitanæ atque inde reditus argumentum: in ſecundario caput lauro redimitum victoriæ in Syria reportatæ eſt monimentum*, ex quibus plane conſtat, palmam iſto ævo ſacræ militiæ itinerumque Hieroſolymitanorum teſſeram fuiſſe. Hæc igitur quum ita ſint, facile reddi poterit ratio, cur Fridericus II Imperator, Tidericus Marchio Misnenſis, Sifridus Archiepiſcopus Colonienſis, Wicmannus Magdeburgenſis, aliique palmam oſtentent in numis, quum eos ſacræ militiæ dediſſe nomen in confeſſo ſit. Et quamuis etiam eorum aliquot exſtent numi palmis ornati, qui ſacræ militiæ teſſeram ipſi non ſuſceperunt, id quod præcipue de religioſis feminis palmam præferentibus extra controuerſiam eſt: ipſe tamen laudatus Schlegelius ex Hardknochio (d) obſeruat, *Scopum fraternitatis Teutonicæ primarium fuiſſe, ſufficientem ſaltem pauperum & ad vrbem Hieroſolymarum peregrinantium ſuſtentationem, VNDE ET FRATRES ET SORORES IN HVNC ORDINEM ADLECTOS, iisque non opus fuiſſe iter hoc ipſum aggredi, difficile ac periculoſum, ſed ſuffeciſſe, ſi bonam pecuniæ ſummam eleemoſynarum loco eo ablegauerint, aut ſaltem inde redeuntes, pauperiores milites & peregrinantes ſuſtentauerint, & pro felici Chriſtianorum aduerſus infideles ſucceſſu peculiares inſtituerint preces.* Quum igitur plerique per Germaniam præſules, principes, prælati & abbatiſſæ, quibus ipſam adire terram ſanctam moleſtius videbatur, in hanc tamen fraternitatem procul dubio conſenſerint: non erit abſonum ſtatuere, ordinis huius ſymbolum, quod palma erat, eos in numis vſurpaſſe.

3) HOMINES SANCTIS SVPPLICANTES.

XII. Tranſimus ad cetera Sanctorum inſignia, in ſigillis inueniri ſolita. Non raro itaque fit, vt homines in terram prouoluti ſedentes ſtantesue Diuorum imagines e genibus adorent. Vbi tamen iam ſupra notauimus, plerumque hic fundatores eccleſiarum intelligi oportere, quorum memoriæ grati cœnobitæ hoc ipſo conſulendum putabant. In priuatorum vero medii ævi ſigillis, vbi etiam illi Sancti ſæpius occurrunt, quibus ſe more ſæculi præcipue commendauerant, homines illi geniculantes non ſunt alii, quam illi ipſi, quorum ſigilla ſunt. Quemadmodum enim in monimentis & cenotaphiis horum ſæculorum iſti, qui obierunt, plerumque e genibus ſanctos adorare inueniuntur, ita eodem ſchemate in ſigillis ſuis fingi voluerunt, maiori humilitatis ſimplicitatisque, quam veræ pietatis argumento.

4) LIBRI SANCTIS TRIBVVNTVR.

XIII. Libros porro vere ac proprie poſſe inter Sanctorum ſymbola referri, non facile dixerim: vſitatiſſimum tamen eos eſſe Sanctorum geſtamen multis exemplis compertum habeo. Vidi ego S. Matthiam, SS. Simonem & Iudam, S. Stephanum, S. Petrum, S. Bonifacium aliosque complures, qui libros dextris geſſere. Quemadmodum in numis quoque Halberſtadenſibus a Cl. Oleario (e) editis, S. Stephanus quinquies librum geſtans occurrit. Attamen

a) CAR. DV FRESNE *part. 3. Gloſſ. Lat. p. 111.* b) DVRAND *lib. 1. rationar. diuin. offic. c. 3. n. 14.* *) *TAB. XVI. n. 14. 15.* c) OLIVAR. VRED. *de ſigill. Comit. Flandr. p. 17. 18. 21.* d) HARDKNOCH. *Vet. Pruſſ. p. 153. Hiſt. Pruſſ. p. 261. Diſſert. 19. de reb. Pruſſ. n. 14. & 15.* e) OLEAR. *Spicileg. III. antiqu. n. 1. 2. 8. 10. 11.*

men quum & Episcopi & Abbates, immo Abbatissæ quoque, & in numis principes religionis studiosiores libros præferant, istud quidem gestamen non modo cœlitum, verum etiam hominum in terra sanctimoniæ operam nauantium symbolum atque insigne fuisse statuimus.

5) STELLÆ SANCTORVM IMAGINIBVS ADDITÆ.

XIV. Idem de stellis quoque mihi videtur, quippe quas non solum sanctis, verum etiam Episcopis, Prælatis, & Principibus in sigillis offendimus adiectas. Cuius rei plura exempla ex ipsis sigillorum figuris, tum in calce huius libri, tum in Antiquitatibus nostris Goslarienſibus delineatis lector reperiet. Quemadmodum igitur in horum numis æque ac sigillis stellæ non nisi vana ornamenta sunt, ab artificibus male ingeniosis adiecta: (a) licet Schlegelius (b) generis claritatem istis indicari coniiciat: ita vbi Sanctorum simulacris adduntur, splendorem eorum singularem, quo inter cœlites refulgent, significare, facile persuadeor verbis Molani, (c) a Cl. Oleario (d) adductis: *Ego omnium maxime splendorem & lucem illis*, (Confessoribus,) *conuenire arbitror, ac propterea non inepte STELLÆ vel RADII LVMINIS eorum imaginibus, adpinguntur, iuxta illud Prophetæ: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

6) VT ET ANGELORVM CAPITA.

XV. Restant angelorum capita, e nubibus respicientia, quæ in multis sigillis Sanctorum imaginibus adiecta obseruo: quod etiam in numo bracteato Halberstadensi a Cl. Oleario (e) explicato fieri autumo, in quo licet non S. Stephani imago, sed incerti cuiusdam Episcopi icon occurrat, inscriptio tamen solius S. Stephani meminit, vt adeo ista angelica capita non tam iconem Episcopi quam S. Stephanum in inscriptione respicere videantur. In sigillis ista angelorum capita nullis nisi Sanctis addita inuenio, inprimis B. Mariæ Deiparæ, quamuis & SS. Stephano & Vito, Corbeiensium patronis, honor iste in eorum sigillo maiore tribuatur. Eius instituti ratio facile cuiuis subolebit. Notum enim est e sacris litteris iustorum animas angelorum ministetio deferri in sinum Abrahæ. Quod licet de omnibus sanctis ὄντως talibus verum sit: Mariæ tamen, benedictæ inter mulieres, id singulari quodam iure competere crediderunt nimis nonnunquam creduli maiores. Constat enim inter omnes, quæ de eius assumtione vulgo referantur. Audi modo nugantem suo more Nicephorum: (f) *Antiquissima & verissima omnino traditione receptum est, instante Mariæ obitu, Apostolos ex ipsis orbis terrarum finibus, vbi ad prædicationem diuini verbi obeundam dispersierant, sublimes in aëre Hierosolymam venisse, visione auspicatiore hymnos diuinarum potestatum exauditos esse: & absque strepitu aliquo, mirifico plane modo verbum & filium eius adueniſſe atque in manus suas diuinum illius spiritum suscepisse. Sacro sanctum autem corpus ipsius angelica simul & apostolica hymnodia elatum, in tumulo quodam e regione Gezemani repositum esse, & in tertium vsque diem eo loco carmina angelos perpetua in laudem & honorem Dei genitricis ceciniſſe. Et quum eodem tertio die is, qui in obitu virginis matris choro Apostolorum non adfuerat, (Thomas,) adueniſſet, & sacrum illum cœtum, vt tumulum recluderet, quod & ipse Verbi matri debitum supremumque persolueret honorem, precibus summopere sollicitasset, atque sigillo ablato sepulchrum apertum esset, sacrum illius corpus prorsus repertum non esse, sed sepulchrales illius fascias tantum suo loco intactas & inuiolatas perinde atque corpus ea paullo ante reliquisset, repertas, & quidem inenarrabili odoris suauitate redolentes: eaque illos abunde afflatos signaculo quodam rursum tumulo imposito abiisse, ad miraculum tantum consternatos: atque illud solum pro eo, atque decebat, animo secum meditatos, illum ipsum Deum verbum & Dominum gloriæ, qui subsistentia sua pro beneplacito suo, eo, quem neque verbis, neque intelligentia assequi liceat modo carnem ex ea suscipere, & deinde post ineffabilem illam vteri gestationem & partum virginitatem illæsam conseruare dignatus sit: illud, inquam, ipsum etiam post obitum, & ex hac vita migrationem mirifice immaculatum, impollutum, & modis omnibus sanctum eius corpus ante destinatam quoque & communem omnium resurrectionem immortalitate cohonestasse, eoque per angelorum ministerium in loca quædam cœlestium regionum lucidissima, & a corruptione alieniſſima translato, honore præcipuo prosequutum esse, ne vna cum reliquis vel celeberrimis laudatissimisque hominibus resurgeret.* Cuius igitur in promtu erit ratio, quamobrem Mariæ præcipue imagini, in sigillis ecclesiarum frequenter exhibitæ, toties addita sint angelorum capita, quippe cuius assumtionem angelorum ministe-

CVR S. MARIÆ PRÆCIPVE ADIICIANTVR?

a) *vid. supra c. 9. n. 43.* b) SCHLEGEL. *epist. ad Dn. Schmiedium de num. Blanckenb. p. 5.* c) MOLAN. *Hist. imagin. l. 4. c. 30.* d) OLEAR. *Spicil. Antiqu. III. p. 5. conf. Anast. Agnet. p. 14.* e) Idem *Spicil. Antiqu. III. n. 4.* f) NICEPH. *lib. 15. H. E. cap. 14.*

niſterio adſcribunt omnes, quibus iſta commenta non ſordent. Interea eo minus nobis hæc fabula obtrudi poterit, quo certius conſtat, in ipſo papatu nonnullos oculatiores totius traditionis vanitatem perſpexiſſe. Vt enim iam non laudem Launoium, cuius iudicium nemo non eruditorum admiratur & ſuſpicit, digna profecto obſeruatione ſunt, quæ Pariſiis, quum de recudendo Vſuardi martyrologio ageretur, inter eruditos de aſſumtione Mariæ acta ſunt. Ea debere me fateor calamo R. P. Danielis Papebrochii S. I., qui quum anno 1696. Calend. Nouembr. me per epiſtolam amantiſſime ſcriptam multa de hac controuerſia docuit, tum hæc etiam adiecit hiſtoriæ litterariæ amantibus non inuidenda: Ipſam aſſumtionis talis (Ma-" riæ) certitudinem nunquam mihi ſumſi diſcutiendam, neque etiam vacat eo animum inten-" dere. Fecerunt id Pariſiis viri eruditi, quum ageretur de recudendo Vſuardi Martyrologio," vbi dicitur, quod eccleſia, quid de corpore factum ſit mauult cum pietate neſcire, quam fri-" uolum & apocryphum inde timendo docere, atque XVIII Iulii 1669 iudicatum, mutan-" dum in Vſuardo nihil. In cuius ſententiæ confirmationem Claudius ICtus Canonicus Pari-" ſienſis mox edidit diſſertationem de verbis Vſuardi, quæ in martyrologio eccleſiæ Pariſienſis" referuntur in feſto aſſumtionis B. M. V. die XV. Menſe Auguſt. Sorbon. apud Ludou. Pruſſa-" ret 1669, & anno ſequenti edidit VII. Kal. Maii Epiſtolam apologeticam pro Vſuardo ad Re-" trium & Bultonium Cardinales, Rotomagi typis Euſtachii Viret 1670. cum addendis & cor-" rigendis in diſſertatione. His duobus libellis, eodem anno 1670 Iacobus Goudinus D. Sor-" bonicus & Canonicus Pariſienſis, oppoſuit libellum, cui titulus: Aſſumtio Mariæ Virginis" vindicata contra diſſertationem &c. Pariſiis apud Franc. Maguet 1670. Item eodem men-" ſe Septembris prodiit alius: Vindiciæ Parthenicæ auctore Nicolao L'advocat Billiart. Doct." Sorbonico apud Iacobum & Emanuelem Lanclois. Pariſiis omnes in 8. Habet vterque" Doctorum Sorbonicorum adprobationes contra Canonicum: ICtus prior etiam. Præiudi-" cia anni 1497. 26. Aug. contra Fr. Io. Maret. Ord. Prædicatorum: Horum ego hactenus ni-" hil legi, neque quæſiui quis fuerit controuerſiæ exitus, aliis ſcilicet occupatus. Sed habeo" Breuiarium Pariſienſe reformatum anno 1680, vbi hæc recitatur oratio: *Veneranda nobis,*" *Domine, huius diei feſtiuitatis opem conferat ſalutarem, in qua ſancta Dei genetrix mortem*" *ſubiit temporalem, neque tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum Dominum no-*" *ſtrum Ieſum Chriſtum de ſe genuit incarnatum, qui tecum &c.* Et in hymno ad laudes cani-" tur: *Sed victa partu mors tuo, Te labis expertem nequit ſuis, nec audet ſtringere vitæ parentem*" *nexibus.* Inuitatorium item quod in Romano: *Venite adoremus Regem Regum, cuius hodie*" *ad æternum Virgo mater aſſumpta eſt cœlum.* Quæ omnia ſatis dubium ſenſum habent, quum" propoſitum fuerit breuiarii iſtius auctoribus, omnia declinare, de quibus inter catholicos" controuertitur: vnde etiam homiliæ Sanctorum Patrum per nocturnas tota octaua legen-" dæ, totæ tales ſunt, vt de corpore habeant explicite nihil, omnia de ſuprema gloria ani-" mæ dicant. Equidem corpoream aſſumptionem, quum reuelata in ſcripturis non ſit, non" puto fide diuina tenendam, neque auctores vindiciarum id exigunt. Solum ſuſtinent," (quod nec Dominus ICtus, vt puto, negauit,) haberi a fidelibus certam moraliter, & nunc" indubitatam per affectum piæ credulitatis, iuxta illud Auguſtini, ſi bene memini: *Quid-*" *quid rationi iudicaueris eſſe conuenientius, id crede, feciſſe Deum.* Si ergo eos, qui cum" Domino reſurrexerunt, credimus non iterum eſſe mortuos, ſed vna cum Chriſto corpo-" raliter aſcendiſſe in cœlum: cur non potius hoc factum ſit Deiparæ priuilegium? cum" tamen, qui voluerit dubitare, aut non niſi cum formidine actuali id opinari, non auſim" magnopere redarguere tanquam Virgini parum affectum." Hæc hactenus Papebrochius, cum euoluto abhinc decennio & quod excurrit de hac quæſtione non modo coram Antuer-piæ, ſed & poſtea per litteras cum eo agerem: quippe quæ non indigna viſa ſunt, quæ & ab aliis legerentur. Sed hæc de ſigillis eccleſiarum, Diuisque tutelaribus in illorum cera effictis ſufficiant, nunc ad alia properamus.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

DE SIGILLIS SECRETIS ET CONTRASIGILLIS.

I. Secreta modo seorsim adpensa, modo sigillorum tergo impressa.
II. Contrasigillorum vsus & antiquitas.
III. Cacheta.
IV. Secretorum vsus & antiquitas.
V. Imagines secretis insculptæ.
VI. Secreta Cæsarum, Principum, Episcoporum.
VII. Secretorum inscriptiones.

I.

SECRETA MODO SEORSIM APPENSA, MODO SIGILLORVM TERGO IMPRESSA.

COnsideratis hactenus singulorum ordinum dignitatumque sigillis authenticis, (ita enim maiora vocari solebant,) dicenda nonnulla restant de sigillis secretis, quæ vt omnibus fere omnium Ordinum hominibus fuere communia, ita multum fuere inter se diuersa. Quum igitur nimis sit tædiosum futurum, omnia eorum genera prolixius describere, quanta licebit breuitate omni hac materia defungi, ac summa tantum rerum capita persequi placet. Notandum igitur existimamus, sigilla secreta duorum præcipue generum esse: Alia quippe seperatim diplomatibus adpensa videmus, alia tergo sigillorum authenticorum impressa, quorum illa secreta κατ' ἐξοχήν, hæc non modo Secreta, verum etiam Contrasigilla vocari solent. De singulis nonnulla seperatim.

CONTRASIGILLORVM VSVS ET ANTIQVITAS.

II. Contrasigillorum vsus tam antiquus est, quam bullarum aurearum plumbearumque, quarum plerasque ex vtraque parte signatas esse, supra non vno exemplo est comprobatum. In cereis vero sigillis antiquis temporibus adhiberi non potuere, quod illa non adpendi, sed ipsi membranæ initio innecti consueuerunt. Posteaquam vero abolito illo pristino more e filis sigilla suspendere consultius visum est: statim inoleuit consuetudo a tergo imprimendi Contrasigilla, idque maioris fidei auctoritatisue caussa. Sane ex Imperatoribus primum id feciſſe Henricum VI, iam supra (a) ex Catoldo (b) probauimus. An vero successores statim hunc morem sint sequuti, nondum habeo compertum, quum Philippi & Ottonis IV sigilla ipse non viderim. Fridericum certe II, Henricum VII Regem, Guilielmum, Rudolphum Adolphum & Albertum eiusmodi Contrasigillis non fuisse vsos vice plus simplici obseruaui. Denique morem hunc reuocauit Ludouicus Bauarus, cuius successores ad Carolum V vsque omnes Contrasigilla authenticis obiecere, modo minora, modo eiusdem cum primario magnitudinis. Regem Galliæ primus auersum sigillum Ludouicus VII adposuisse videtur Mabillonio, (c) idque propter ducatum Aquitaniæ, quam ob caussam equitem cataphractum in dorso exhibuit cum inscriptione: ET DVX AQVITANORVM. Vnde recte mihi videor colligere Contrasigillorum vsum ideo inuentum, quod Principes, mediantibus illis non vnius prouinciæ Dominos se esse, vellent demonstrare. Id quod ad oculum patet ex sigillo Wilhelmi Conquæstoris, cuius altera facies Wilhelmum exhibet, in forma equitis cataphracti cum hac inscriptione: HOC NORMANORVM WILHELMVM NOSCE PATRONVM, altera eundem vt Regem Anglorum, cum gladio in dextra & globo cruce insignito in sinistra, addita hac inscriptione: HOC ANGLIS REGEM SIGNO FATEARIS EVNDEM. Comitum Flandriæ, cuius familiæ solius sigilla iusta serie disposita Oliuarii Vredii operæ debemus, primus contrasigillum sigilli maioris tergo impressit Theodericus, Theoderici Elsatii filius, cuius typum suppeditat laudatus Oliu. Vredius (d) hæc adiiciens: *Annis 1157. 1158. 1159.* (Theodericus) *tertia vice fuit in Syria: vnde redux anno 1159 nouum sibi assumsit sigillum: cui primus ipse, tum primum opposuit minus, quod Contrasigillum vocant.* E Ducibus Brunsuico-Luneburgensibus neque Henricum Leonem, neque eius filios, neque nepotem, contrasigillis vsos inueni. (*) Attamen id anno 1316. fecit Henricus Mirabilis, quem tamen primum fuisse valde dubito. Episcopale sigillum contrasigillo munitum non vidi antiquius illo Gerhardi Archiepiscopi Moguntini litteris anno M CC XCIX appenso. (**) Ecclesiarum vero & ciuitatum contrasigilla aut rarius adhibita aut a me non obseruata esse oportuit. Certe eorum iam exempla mihi non succurrunt. In Anglia quando cœperint contrasigilla

a) *cap. IX. n. 7.* b) CATOLD. *de Imper. quæst. 89. n. 6.* c) MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 10. p. 139. de R. D.*
d) OLIV. VRED. *De sigill. Comit. Flandr. p. 17.* *) *TAB. XI. n. 3.* **) *TAB. XIII. n 5.*

gilla authenticis opponi, memoriæ nobis prodit anonymus Hiſtoricus apud Dugdalum in antiquitatibus Warwicenſibus, cuius hæc verba excerpſit Car. du Freſne: (a) *Circa annum 1218. Domini, qui in ſigillis more ſolito habebant equites armatos cum gladiis, nunc in dorſo ſigillorum arma ſua poſuerunt de nouo in ſcutis.* De ceteris gentibus alii videant, quibus earum ſigilla intueri licuerit.

CACHETA.

III. Singularia ſunt ea contraſigilla, ſequiore æuo inuenta, quæ Gallica dialecto Cacheta (un cachet) vocare ſolent, octangula quippe & hodiernorum priuatorum ſigillis non multo maiora. Ea non tantum ſigillis a tergo opponi, verum etiam ipſi ſigillorum fundo imprimi conſueuerant, vt diploma a Principe reuiſum eſſe, primo ſtatim intuitu conſtarent. Hinc loco ſubſcriptionum ea fuiſſe, auctor eſt Ant. Weckius. Ita enim ille: (b) Ja daß die Beſiegelung auch entweder in des Fürſten Gegenwart geſchehen, oder doch ohne deſſen Vorbewuſt kein dergleichen Siegel an eintzigen Brief habe dürffen gehänget werden, bezeuget das zurück in das gelbe noch abſonderlich in roth Wachs eingedruckte kleinere Fürſtliche Daumen-Secret, welches, weil die Lehn-Brieffe der Zeit noch nicht unterſchrieben worden, zum Zeugniß des Lehen-Herren Wohlbewuſts dienen müſſen. Quatuor diuerſa huius generis contraſigilla vſurpauit Fridericus IV. Imp. quorum primo inſculpta tria ſcuta, cæſareum cum aquila bicipite, Auſtriacum & Tirolenſe cum ſymbolo A. E. I. O. V. Secundo eadem ſcuta, quamuis aquila in eo biceps, inſcriptioque nulla plane appareat: Tertio caput Friderici coronatum cum titulo: REX FRIDERIC. Quarto denique Ianus non bifrons, ſed quatuor faciebus præditus, ſine omni inſcriptione. Quæ cacheta Friderici iam ſupra (c) e Bœcleri Commentariis ad Aeneæ Syluii Hiſtoriam Friderici III allegauimus. Tale etiam ſigillum adhibuit Maximilianus I (d) ſiſtens aquilam bicipitem, tum ſcuto inſertam, tum galeæ impoſitam, cum literis M. R. I. A. hoc eſt, *Maximilianus Romanorum Imperator Auguſtus.* Quemadmodum vero ſigillis maioribus rarius impreſſa reperiuntur, ita præcipue litteris familiaribus obſeruandis inſeruiiſſe videntur. Qualia nonnulla Ducum Burgundiæ exſtant apud Oliuarium Vredium.

SECRETORVM VSVS ET ANTIQVITAS.

IV. De ſigillis ſecretis ſeparatim adpendi ſolitis fateor me etiamnum dubitare, in quam ætatem eorum ſit origo referenda. Sane haut procul abſum vt credam, ea non adeo recentia eſſe. Nam Henrici III Imperatoris ſecretum, cuius Miræus (e) meminit, manifeſto eſt a ſigillo maieſtatis diuerſum. Et quamuis hodie vix ſuperſint diplomata ſæcula XIII antiquiora, quæ ſolis ſecretis muniantur: nihil tamen prohibet, quo minus ſecretorum vſum multo antiquiorem ſtatuamus. Haut difficulter enim largimur, ſecretum ante iſtud ſæculum rarius in diplomatibus publicis ſeu patentibus ſolum conſpici; attamen quis dubitet, quin antiqui Cæſares æque ac Principes præter maiora iſta ſigilla authentica, habuerint etiam minora, quibus negotia ſecreta litterasque ad alios mittendas obſignarent? Quis credat illa maioris molis ſigilla etiam litteris familiaribus fuiſſe impreſſa? Sane ſi quædam illorum litteræ priuatæ eadem cura, qua diplomata publica, fuiſſent ad poſteros transmiſſa, videremus procul dubio alia ſigilla ſecretis, alia publicis negotiis confirmandis inſeruiiſſe. Quæ quum ita ſint, ita ſentio atque ita animum induco meum, ſecreta eiusmodi ſigilla tum demum inualuiſſe, quum Cæſares æque ac principes loco annulorum minorum, quales ad Henrici Aucupis vsque ætatem adhibitos conſtat, maiora ſigilla adoptarent, illis quidem ſplendidiora, attamen ſignandis litteris priuatis minus apta. Denique ſequiore æuo, inprimis ſæculis XIV & XV tam frequentia fuere hæc ſigilla ſecreta, vt vix alia, quam iſta a Ducibus Principibusque per Germaniam adpenderentur.

IMAGINES SECRETIS INSCVLPTÆ.

V. Iam vt de imaginibus etiam, quæ in ſigillorum ſecretorum areis conſpiciuntur, nonnulla moneamus, eas fere pro lubitu cuiusuis fuiſſe excogitatas comperio. Elegans ea de re obſeruatio eſt Caroli du Freſne, (f) quam integram adſcribo: *Sigillis ſecretis interdum impreſſa fuere militum inſignia, interdum familiarum, quas affinitate quadam contingebant, aut a quibus originem trahebant: Interdum denique figuræ quædam exoticæ pro lubitu ipſorum, quorum erant ſigilla, quod quidem licet omnibus aduertere in ſigillis, quæ a Ducheſnio & aliis ſtemmatographis deſcribuntur.* Facile liceret ſingula hæc exemplis quibusdam illuſtrare, niſi breuitatis habenda eſſet ratio. Pauca igitur dixiſſe nunc ſufficiat.

VI. Cœ-

a) CAR. DV FRESNE *part. 3. Gloſſ. p. 853.* b) WECK. *part. 2. Chron. Dreſd. tit. 2. p. 173.* c) *cap. IX. n. 7.* d) OLIV. VRED. *l. c. p. 150.* e) MIR. *Lib. I. cap. 89. Donat. Belg.* f) DV FRESNE *part. 3. Gloſſ. Lat. p. 855.*

SECRETA CÆSARVM.

VI. Cæſarum ſecreta antiquiora ſolam aquilam præferre cum lemmate: IVSTE IVDICATE FILII HOMINVM, iam ſupra monuimus. Sigismundus & Fridericus IV retinuere aquilam, ille ſimplicem, hic bicipitem, variis inſuper ſcutis hæreditariarum prouinciarum exornatam, cum lemmate ænigmatico ſupra a nobis deſcripto: AQVILA EZECHIELIS &c. Maximilianus I & Carolus V præter aquilam vix quidquam adhibuere.

PRINCIPVM

Multo maior diuerſitas in Principum ſigillis ſpectatur. Frequentiſſime adhibuere inſignia, eaque vel integra, vel ſaltem ex parte. Henricus mirabilis Dux Brunſuicenſis, aliique eius poſteri vſi ſunt capite leonino. In ſecretis Comitum Flandriæ ſæpe inſculpti adparent Leones aliaque eorum inſignia varie admodum diſpoſita. Nec tamen hoc ſemper factum eſt. In ſecreto enim Theodorici, Comitis Flandriæ, anno 1159 exhibetur caput laurea redimitum. In ſecretis Philippi anno 1163 ipſe comes armatus equo inſidens, vexillumque vibrans, quod etiam in ſecretis Balduini Comitis Hanoniæ anno 1192 & Balduini poſtea Imperatoris Conſtantinopolitani, vt & Thomæ Comitis Sabaudi anno 1257, & Roberti Comitis Flandriæ anno 1291 fieri video. Margaretha, Comitiſſa Flandriæ, anno 1192 in ſecreto ſuo exhibuit manum lilium tenentem. Aliis alia placuere. Sic & epiſcopos variatio delectauit. Plerique ſecretorum ſigillorum areæ inſcripſere ſcutum eccleſiæ ſuæ, alii addidere inſignia gentilitia, Gerhardus Moguntinus ſolam ſecretis inſcripſit rotam. Fuerunt etiam, qui Diuos tutelares eccleſiarum ſuarum in loculamentis oſtentarent. Nonnulli peda paſtoralia, quidam capita mitris epiſcopalibus exornata, alii alia in ſecretis effinxere. Nihil iam addo de ſecretis & contraſigillis Nobilium & ciuitatum, quibus plerumque inſignia publica placuiſſe veriſimillimum eſt.

EPISCOPORVM.

SECRETORVM INSCRIPTIONES.

VII. Inſcriptiones & perigraphæ in ſecretis maxime notatu dignæ videntur. Quamtuis enim plerumque abſoluantur voce SECRETVM & nomine eius, cuius eſt ſigillum, ſæpe tamen aliam initam eſſe rationem conſtat. *Primo* enim nonnunquam tituli prouinciarum, qui in ſigillo primario locum non habuerunt, in contraſigillum fuerunt reiecti. In ſigillis Philippi Flandriæ Comitis anno 1163 ſigillum authenticum hanc exhibet perigraphen: ✠. SIGILLVM PHILIPPI COMITIS FLANDRIE. Hunc titulum vero talem in modum ſupplet perigraphe ſecreti: ✠. ET VIROMANDIE. Item in ſigillo Balduini Comitis anno 1192 hæc eſt inſcriptio authentici: ✠ BALDVINVS COMES FLANDRIE ET HAINOIE. Perigraphe ſecreti: MARCHIO NAMVCI. *Secundo* loco nominis & tituli ſolæ ſæpius vſurpantur formulæ: SECRETVM MEI. SECRETVM MEVM. SECRETVM MEVM MICHI. SECRETVM EST. SECRETVM SERVA. SECRETVM SIGILLI. SIGILLVM SECRETI MEI. TESTIMONIVM VERI. SIGILLVM VERITATIS. DEVM TIME, CLAVIS SIGILLI, AVE MARIA GRATIA PLENA & alia id genus dicta. Quemadmodum multis exemplis e Iuſtello, Ducheſnio, Chiffletio aliisque probant Carolus du Freſne (a) & poſt hunc ὁ πάνυ Mabillonius. (b) Tales formulæ etiam apud Oliuarium Vredium inueniuntur, cuius opus quum a Du Freſne non ſit allegatum, eas hic excerpere libet. Huius generis ſunt hæ: SECRETVM MEVM MIHI. (c) SECRETVM COMITIS. (d) SECRETVM MEVM. (e) SIGILLVM SECRETI. (f) CONTRASIGILLVM GVIDONIS. (g) *Tertio* denominatio ſigilli haut raro non a ſigillante, ſed potius ab impreſſa imagine petita eſt. Sic ſigillum ſecretum eccleſiæ SS. Simonis & Iudæ Goslarienſis, imagine B. Matthiæ notatum hanc exhibet perigraphen: IMPRESSIO B. MATTHIE. Cetera, quæ de ſecretis contraſigillis & cachetis dici hic poterant, iam in ſuperioribus capitibus ſparſim commemorata hic denuo repetere nihil attinet.

CAPVT

a) DV FRESNE *Gloſſ. Lat. part. 3. p. 855.* b) MABILLON. *l. 2. c. 18. n. 8. p. 148. de R. D.* c) OLIV. VRED. *de Sigill. Comit. Flandr. p. 29. 30. 36.* d) Id. *p. 31.* e) Id. *p. 32.* f) Id. *p. 38.* g) Id. *p. 41.*

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

DE MODO SIGILLA IMPRIMENDI ATQVE APPENDENDI.

I. Sigilla vel membranis innexa vel adpensa.
II. Modus sigilla innectendi.
III. Loca sigillorum innexorum in diplomatibus.
IV. Quando sigilla adpendi consueuerint per Germaniam?
V. Extra Germaniam hoc citius factum est.
VI. Fila, ex quibus sigilla dependent pontificum R.
VII. Fila ceterorum Principum.
VIII. Fila membranacea.
IX. Terga sigillorum. Bina sigilla ex eodem filo dependentia.
X. Sigilla papyro superfusa.
XI. Testamenta lino constricta signabantur.

I.

SIGILLA VEL MEMBRANIS INNEXA VEL APPENSA.

SPectauimus hactenus sigilla seperatim, ac veluti a membranis suis detracta: considerandus quoque nunc erit modus, quo diplomatibus solebant annecti. Id vero duobus modis factum comperio. Nam vel ipsi membranæ innecti consueuerunt, vel e filis chordis aut loris membranaceis adpendi. Qua de re paullo accuratius nunc erit agendum.

MODVS SIGILLA INNECTENDI.

II. Antiquissimus igitur, ipsisque Francorum Regibus Merouingis vsurpatus sigilla diplomatibus annectendi mos in eo positus erat, vt incisa in crucem membrana, ex vtroque latere cera obiiceretur hiatui, atque ita deinde comprimeretur, vt sigillum ceræ impressum decidere non posset. Auctores eiusmodi sigilla vocant *membranæ affixa*, *diplomati innexa*, *agglutinata*, quibus tamen denominationibus omnibus nescio an notabilior sit hæc Henrici II Imperatoris, qua ipse in diplomatis anno MXXI Paderbornensi eccleſiæ concessi clausula (a) vsus est: *Et vt hæc nostræ traditionis seu confirmationis auctoritas stabilis & inconuulsa omni habeatur tempore, hoc præceptum inde conscriptum manu propria firmauimus, & NOSTRO SIGILLO REPERCVSSO INSIGNIRI IVSSIMVS.* Mabillonius (b) quidem, qui eadem verba, non ex Schatenio, sed monumentis Paderbornensibus allegat, *sigillum repercussum* interpretatur *de sigillo plumbeo bis percusso*, id est, in recta & auersa parte signato. Sed quum neque monumenta Paderbornensia, si recte memini, neque Schatenius sigilli plumbei iniiciant mentionem, quod facere certe non omisissent: malim id de sigillo cereo accipere. Vocat igitur *sigillum repercussum* ideo, quod cera vtrinque sibi inuicem opposita & per membranæ incisæ hiatus connectenda, non sine quodam nisu & repercussione posset firmari. Ad oculum id patet ex iis diplomatibus, e quibus sigilla ob vetustatem deciderunt. Quale producit Oliuarius Vredius (c) Arnulfi II Comitis Flandriæ, de quo ita loquitur: *Diploma, quod anno 972 edidit, huiusmodi habet proœmium: Ego Arnulphus gratia Dei Marchisus. E duabus incisuris in ima pergamena colligo, affixum fuisse sigillum, sed vetustate dilapsum.* Quod vt dilucidius constet, Nicolai Hertii primum, deinde Beniaminis Leuberi verbis rem illustrabimus. Ille (d) hunc sigilla imprimendi morem ita describit: *Et quidem sub Carolidis charta in crucis modum incisa, & quatuor incisuræ angulis reuulsis appositæ vtrinque ceræ per fissuræ spatium in vnum coagmentatæ, in antica parte imprimebantur.* Hic vero (e) patria dialecto rem ita explicauit: Käyser Otto M. hat keine güldene Zeichen, aureas bullas, zu geben gepflogen, sondern alle diplomata und originalia, welche dießfalls fürkommen, haben keine Zeichen und sigilla von Gold gepreget und geschlagen, sondern nur von Wachs, und zwar von weissen Wachs geformiret. Ist auch nicht zu verspühren, daß solches Wachs, wie heutigs Tages bräuchlich, in höltzerne, küpfferne, silberne oder güldene Capsulen eingedruckt gewesen, sondern der Augenschein giebets, daß das Pergament an dem Ort, da die Siegel auffgedrucket seyn, solcher massen durchschnitten worden, daß das Pergament Creutzweis gantz blieben, hernach von aussen und inwendig das Wachs auff das Creutz geleget, das Siegel inwendig auf das Wachs, und hierdurch das inwendig und auswendig auffs Pergament gelegte Wachs zusammen gedrucket worden, also daß es keines weges abfallen kan, und auff diese Art und Weise werden die Diplomata von den Sächsischen Käysern besiegelt zu seyn befunden. Unter den Schwäbischen Käysern aber ist folgender Zeit auffkommen, die sigilla an die Brief und diplomata mit seidenen oder anderen Schnüren oder durchzogenen Schnitten zu hengen, und das Wachs in sonderliche Capsulen einzutrücken. Hæc Leuberus, licet nec ea, quæ postremo loco de pensilibus sigillis sub Sueuicis demum Imperatoribus introductis differit, simpliciter concedenda, nec hic mos

a) SCHATEN. *tom. 1. Antiqu. Paderb. ad h. ann.* b) MABILL. *lib. 2. c. 16. n. 17. p. 142. de R. D.* c) OLIV. VRED. *de sigill. Comit. Flandr. p. 3.* d) HERT. *diss. de diplom. Germ. Imp. & Reg. Sect. 1. n. 8. p. 12.* e) LEVBER. *Stapul. Magdeb. n. 1572.*

ad ſolos Saxonicos Imperatores cum illo reſtringendus videatur. Nam & Carolidas & Merouingios hoc aut non multo diuerſo modo ſigilla membranæ affixiſſe & poſtea omnes Duces, Epiſcopos, Principes & Comites non alia ratione eſſe vſos, tam certum eſt quam quod certiſſimum. Inter rariora huius generis ſigilla merito retuleris, quæ per vinculum membranaceum diplomati non adpenſa, ſed adſtricta ſunt, quorum nonnulla vidiſſe ſe teſtatur Mabillonius. (a)

LOCA SIGILLORVM INNEXORVM.

III. Eiusmodi vero ſigilla membranæ affixa non eundem omnia locum ſolent occupare. Sub Merouingis enim plerumque affigebatur paullo ſupra extrema *Datæ*, (quam vocant) verba: id quod e pluribus exemplis diplomatum a Mabillonio æri inciſis liquet. (b) At Carolidarum diplomata ſigillum fere affixum habent poſt Cancellarii aut Referendarii nomen, quod in contextas conuolutasq; lineolarum tricas ſigillum Regium circumcingentes deſinebat. Ceteri Imperatores locum ſigillo elegere e regione ſigni & recognitionis Cancellariorum. Duces & Epiſcopi denique aut in calcem litterarum mediumq; paginæ aut in extremam chartæ oram ſigilla reiecere, ita tamen vt dextrum plerumque membranæ latus, nunquam fere ſiniſtrum tenerent.

QVANDO SIGILLA APPENDI CONSVEVERINT PER GERMANIAM.

IV. Sed quæri ſolet inter curioſos antiquitatum indagatores, ecquando demum antiquus hic ſigilla imprimendi mos aboleri, nouusque excogitari cœperit, illa adpendendi? Quæ res quum plurimum ad dignoſcendam diplomatum ætatem facere videatur, non indigna videtur accuratiore indagine. *Primo* igitur obſeruamus, ſigilla non tum demum cœpiſſe diplomatibus adpendi, quum innecti deſiiſſent, ſed antea dudum hoc vſitatum fuiſſe in bullis aureis, argenteis plumbeisque, quæ aliter quam hoc pacto membranæ illigari non poterant. Quapropter hoc loco non tam quæritur, quando ſigilla penſilia in vſu eſſe cœperint? cui quæſtioni iam ſupra, vbi de bullarum aurearum, argentearum plumbearumque origine egimus, abunde ſatisfactum puto: quam quo tempore hic mos a ſigillis metallicis ad cerea translatus ſit, quæ antea innecti tantum membranæ conſueuerant? Vbi *ſecundo* notandum eſt, antiquum morem nullibi fere diutius, quam in Germania eſſe retentum, tamque diligentem maioribus noſtris patrii moris manſiſſe cuſtodiam, vt omnium poſtremo penſilibus ſigillis vſi videantur. Sane enim ex Imperatoribus nemo ante ſæculum XII ſigillum penſile vſurpauit. Ipſoque ſæculo XII conſtanter antiquum morem retinuere Henricus V, Lotharius, Conradus III & Fridericus I, quorum nemo ceram membranæ adpendit. An idem factitarit Henricus VI, non facile dixerim, nondum quippe viſo huius Imperatoris diplomate. Attamen non deſunt argumenta, quibus adductus credam, hunc primum eſſe Cæſarem, qui ſæpius apud exteros, quam in Germania viſus, antiquum morem mutarit. Eius ſane ſucceſſores Philippum & Ottonem IV ſigilla tantum adpendiſſe, idque omnes deinde poſteros eorum eſſe imitatos, dubitari non poterit. E Ducibus Principibusque Henricus Leo anno 1154 vſus eſt ſigillo impreſſo, Henricus Comes Palatinus Rheni, illius filius, adpenſo. Ludewicus III Thuringiæ Landgravius adhuc anno 1168 ſigillum membranæ innectere ſolitus eſt. (c) Ex Epiſcoporum ordine Marcolfus Archiepiſcopus Moguntinus anno 1141 ſigillum membranæ impreſſit. (d) Idemque ad annum vsque 1189 fecit Adelhogus Hildeſienſis Epiſcopus, cuius tamen ſucceſſores aliam deinde rationem inierunt, nouoque more ſigilla adpendere maluerunt, quemadmodum ipſa eorum diplomata teſtantur. Ex quibus conſequi puto, ante Friderici I obitum per Germaniam non aliam viguiſſe conſuetudinem, quam eam, qua ſigilla non adpendi, ſed ipſi membranæ innecti ſolebant. Facile ergo patet, quid de diplomatibus ſentiendum ſit, quæ iam ſæculo XI, imo anterioribus quoque, ſigilla adpenſa habent, quorum bonum hic inire poſſem numerum, niſi inuidiam vererer.

EXTRA GERMANIAM HOC CITIVS FACTVM EST.

V. At extra Germaniam, id quod *tertio* obſeruamus, multo citius conſuetudo hæc inoleuit. Exſtat apud Vghellum Charta Roffredi Archiepiſcopi Beneuentani anno 1078, cuius hanc clauſulam allegat Carolus du Freſne: (e) *Nosmet ipſi propria manu ſubſcribendo ſigno ſanctæ crucis illud corrobor auimus, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri præcepimus, & demandauimus, & ſigilli inſignia adpendi volumus.* Sed cum non ſatis ex his liqueat, cereumne an plumbeum fuerit ſigillum, quod adpendit, nondum exinde ſatis colligere poſſumus, iam tum ſigilla adpendi conſueuiſſe. In Anglia iam Eduardum I id feciſſe certius conſtat, idque præclare docent Matthæus Parkerus (f) & Auctores Vitæ S. Albani. (g) Vnde patet, Anglos plane nunquam alio more diplomata ſignaſſe. Eduardum enim hunc primum ſigillorum vſum

a) MABILLON. *lib. 2. c. 19. n. 1. p. 150. de R. D.* b) *Vid.* HERT. *diſſ. cit. n. 17. p. 33.* c) TENZEL. *Suppl. II. hiſt. Goth. p. 481.* d) Id. *l. c. p. 464.* e) DV FRESNE *part. 3. Gloſſ. Lat. p. 852.* f) *Vita S. Anſelmi.* g) *Vita Albani p. 52.*

vſum populares docuiſſe ſupra vidimus. Galli quando ſigilla adpenderint, non ſatis conſtat. Multi, & in his ipſe magnus Peireſcius, ante Ludouici VI ævum, qui anno 1108 cœpit imperare, vix conſpici talia ſigilla exiſtimarunt. Quibus Carolus du Freſne opponit locum Ingulphi, qui tamen cum de ſolis Anglis loquatur, pro Francis nihil facit. Accuratius rem determinaſſe videtur Mabillonius, (a) ita ſcribens: *Sub duabus primis Regum ſtirpibus affixa ſunt Regum ſigilla ſub tertia adpenſa, ſed rariſſime ante Ludouicum VII.* Sigilla Comitum Flandriæ ad vnum omnia ipſi membranæ affixa obſeruat Oliuarius Vredius, vsque ad Balduinum Securim, qui anno 1112. maiorum ritum mutauit. De quo ita laudatus Autor: (b) *Balduinus Securis vſus fuit vno ſemper eodemque ſigillo; id vero non affixit membranæ, vt omnes ante eum Comites, ſed adpendit, quod ipſum ceteri, eum ſequuti Comites hodieque imitantur.* Sed & Epiſcopi exterarum gentium citius, quam Germani ſigilla e filis vinculisque cœperunt adpendere; iam ſæculo X & XI, idque Pontificum Romanorum exemplo factum exiſtimat Mabillonius. (c) Quid? quod ſigilla penſilia in occidente plane non inuenta, ſed ab Imperatoribus Græcis primum vſurpata, & deinde a Magnatibus paſſim, vt ſolet fieri, in conſuetudinem eſſe deducta, eidem laudato Mabillonio facile largimur.

FILA, EX QVIBVS SIGILLA DEPENDENT PONTIFICVM.

VI. Fila, e quibus ſigilla eiusmodi dependent, vel cannabina ſunt, vel ſerica, coriacea vel membranacea. Serica iterum tam variorum colorum, vt certæ de iis regulæ tradi vix poſſint. Videbimus tamen, quid a ſingulorum ordinum hominibus factum ſit. Pontifices igitur Romani veluti propria ſibi adoptarunt fila cannabina, id eſt chordas ex cannabe contortas. Cuius rei Cauſſam Dominicus Raynaldus (d) reiicit in Pontificis humilitatem, qua fiat, vt demiſſo quodammodo dignitatis, qua fungatur, ſplendore, nec aurum, ſed plumbum, viliſſimum metallum, nec ſericum, ſed nudos funiculos e cannabe contortos vſurpet. Credemus tantiſper Raynaldo: vilibus enim vti quam maxime decebat Seruum ſeruorum Dei, qualem ſe in ipſa litterarum fronte profitetur Romanus Pontifex. Sed quoties Papæ neglecta hac Raynaldi ratione maiorem dignitatis, quam humilitatis habuere rationem? quoties ſerica rubri & flaui coloris fila cannabinis funiculis prætulere? Allegat Ill. Dn. Thulemarius (e) bullas Pauli II anno 1465 & Sixti IV anno 1475, in archiuo Illuſtriſſimi Lippiaci Comitis Dethmoldiæ aſſeruatas, aliasque ſex bullas Bonifacii IX, vnam Eugenii IV & Vrbani VI Pontificum in archiuo academiæ Heidelbergenſis olim depoſitas, omnes e filis ſericis rubri flauique coloris ſuſpenſas. Quibus Dn. Tenzelius (f) addit tres bullas Innocentii III, Bonifacii VIII & Clementis V Pontificum. Imo ipſi vidimus in eccleſiæ Richenbergenſis tabulariis bullam Innocentii II e ſericis rubris flauisque pendentem. Vt alias plures hic omittamus. Facti huius rationem inuenire ſibi viſus eſt Felix Faber, Vlmenſis, in libello MSC Offenhuſenſi vel Gnadencellano, quem ex Cruſio (g) allegat laudatus Thulemarius: (h) Ita enim ille: *Papa vtitur cannabino vinculo in ſigillandis rebus bellicis triſtibus, ſerico autem flaui & rubei coloris in lenibus & miſericordibus.* Quamuis vero hæc ſpecioſe admodum videantur dicta: ſæpe tamen in rebus lenibus & miſericordibus non minus quam in bellicis & triſtioribus funiculos cannabinos adhibitos video: vt adeo illa Felicis Fabri obſeruatio non videatur vsquequaque vera. Potius ego crediderim, hoc filorum diſcrimen a ſolo pontificum dependiſſe arbitrio, modo maieſtatem ſuam oſtentare, modo humilitatem iactare volentium, quamuis facile alios ſim auditurus, quibus meliora ſuccurrunt.

FILA CETERORVM PRINCIPVM.

VII. Difficillimum foret de filis, quibus vſi ſunt Cæſares, certa hic aſſerere. Tantam enim hic reperio varietatem, vt vix certis regulis includi poſſe videatur. Serica equidem fila omnes adhibuere, attamen modo purpurea, modo purpurea & flaua, modo flaua & nigra, vt adeo neſciam, quæ ſit tanti diſcriminis ratio, niſi cuiusuis arbitrium denuo legem hic ſtatuere velis. Eadem diuerſitas in Regum, Principum, Epiſcoporumque ſigillis deprehenditur. Vt adeo ex tot inſpectis a me diplomatibus nihil didicerim aliud, quam certi nihil ſtatui poſſe de funiculorum colore. Adiiciemus tamen, quæ de hac re tam ambigua & incerta obſeruauit Mabillonius: (i) *Diuerſi coloris, diuerſæque materiæ fuerunt appendiculæ ſigillorum. Materia ex ſerico, corio, membrana, chordula & filo. Serica olim fuere vincula bullarum pontificiarum, vt in autographis Benedicti III, Nicolai I pro Corbeienſi, Vrbani II pro S. Baſoli cœnobio: Canabina etiam*

a) MABILLON. *lib. 2. c. 16. n. 1. p. 135. conf. n. 10. p. 139. de R. D.* b) OLIV. VRED. *l. c. p. 9.* c) MABILLON. *lib. 2. c. 19. n. 1. p. 150. l. c.* d) *ap.* LEON. ALLAT. *lib. 1. de perpet. conſenſ. vtr. eccl. c. 6.* e) THVLEMAR. *de bull. cap. 4. p. 19.* f) TENZEL. *Suppl. II. hiſt. Goth. p. 607. 613. 620.* g) CRVS. *lib. 9. annal. Sueu. part. 3. c. 10.* h) THVLEM. *l. c. p. 20.* i) MABILLON. *lib. 2. c. 19. n. 6. p. 151. de R. D.*

ab annis bene multis, quale erat Iohannis XIII. pro cœnobio Trenorchiensi apud Chiffletium (Tornu. p. 227. & 228.) *Serica non solum Regum, sed etiam Episcoporum, Abbatum, & illustrium personarum. Ex membrana pendet sigillum Agnetis seu Annæ Reginæ, Henrici I. relictæ pro Fossatensi monasterio: Wilhelmi Archiepiscopi Rhemensis & Cardinalis pro S. Theoderico: Itemque Petri Rhemensis Archiepiscopi eiusque suffraganeorum, in literis pro canonizatione S. Ludouici Regis. Adhæc ex membraneis vinculis pendent sigilla quadraginta quinque Priorum aliorumque superiorum capituli prouincialis fratrum prædicatorum apud Cenomannos in literis pro eadem canonizatione ad Gregorium VIII datis anno MCC LXXV, quas vidimus in archiuo Dionysiano. Denique ex filo pendent non solum Romanorum Pontificum, sed etiam quorundam Episcoporum, aliorumque, vt Manassæ II Archiepiscopi Rhenensis pro S. Remigio de altari S. Thomæ prope Viennam. Coloris porro non minor fuit varietas in sericeis appendiculis. Quidam enim serico partim violaceo rubeoue: alii penitus rubeo aut viridi vsi sunt.*

FILA MEMBRANACEA.

VIII. Episcopis, Principibus, Comitibus, Ecclesiis tum collegiatis, tum monasteriis sequiore æuo solenne fuit sigilla sua non filis sericis aut cannabinis, sed loris membranaceis appendere. In eo nullam diuersitatem obseruaui, nisi quod aliis vtriusque lori finem e fundo sigilli, aliis alterum e fundo, alterum ex alterutro latere extrahere placuit. Fuere etiam, qui lorum ex ipsa membrana, cui diploma inscriptum fuerat, exciderent. Quo consilio nullum poterat inueniri ad tuendam diplomatum fidem magis idoneum. Non poterat enim sigillum inde demi & alii supposititio adpendi, vt non fraus statim se proderet. Sed cum hic mos intra paucos steterit, nec vnquam sit publice receptus, periculum est, ne sæpius fraus illa in diplomatibus commissa sit, quam hodie ceteris paribus vix deprehendimus.

TERGVM SIGILLORVM.

IX. A tergo sigillis plerumque impressa videmus contrasigilla, qualia superiore capite descripsimus. Si tamen illa absunt, cera ita comparata est, vt medium transeat veluti acies quædam, cui aliquot foramina vel pollice vel instrumento quodam alio imprimebantur hac fere forma:



Carolus

BINA SIGILLA EX EODEM FILO.

Carolus du Freſne auctor eſt, ſigilla ſecreta ex authenticis nonnunquam eodem filo pependiſſe: Sed cum nunquam tale ſigillum viderim, nec ab aliis eius mentionem fieri animaduertam, vix vnquam in Germania, aut certe in his regionibus hunc morem viguiſſe arbitror. In Belgio tamen non deſunt exempla. Tale eſt in Probatione Genealogicæ tabulæ Dominorum de Sohier. (a)

SIGILLA PAPYRO SVPERFVSA.

X. Hæc quidem ſufficerent niſi adhuc expedienda videretur quæſtio, quando ſigilla papyro cœperint tegi, de qua paucis videbimus. De nullo igitur, quantum memini ſigillo papyro ſuperfuſo legi, quod antiquius ſit eo, quod his verbis deſcribit Carolus du Freſne: (b) *Verum quod omnem adimit controuerſiam, habemus præ manibus epiſtolam Demetrii Palæologi Deſpotæ ad Carolum VI Francorum Regem, quam ſuo loco damus, cui attextum eſt SIGILLVM CEREVM PAPYRO SVPERFVSVM, in quo biceps aquila cum binis corollis effingitur.* Quum igitur Carolus VI ab anno 1380 vsque ad annum 1422 Franciæ Regno præfuerit, quo tempore per Germaniam nuda cera, nulla papyro, aut membrana ſuperfuſa diplomatibus adpendebatur, non dubitamus, inuentum hoc eſſe Orientalium Regum, inprimis Byzantinorum, quod, exciſo Conſtantinopolitano imperio, cum aliis artibus moribusque per Græculos fugibundos in patriam quoque noſtram fuit delatum. Certe non niſi ſæculo XVI eum morem per Germaniam inualuiſſe video, quem paucis deſcribam. Lorum, cui ſigillum adpendendum erat, vtrinque tegebatur cera, hæc vero charta quadrata ex vtraque facie veſtiebatur, atque ita alteri faciei imprimebatur ſigillum. Elegans eius rei exemplum ipſe poſſideo. Litteras nimirum *Iohannis Epiſcopi Apamenſis, Reuerendiſſimi in Chro patris & illuſtriſſimi principis & Domini Iohannis Alberti Archi Epi Magdeburg. Primatis in Germania, Epiſcopi Halberſtadenſis, Marchionis Brandenburgenſis, in Pontificalibus Vicarii,* datas anno 1546. quarum ſigillum hic ſubnecto:

TESTAMENTA LINO CONSTRICTA.

XI. Hæc de ſigillis quæ diplomatibus patentibus ſiue publicis inprimi ſiue adpendi conſueuerunt. Sin vero litteræ aut teſtamenta ſignanda eſſent, charta prius lino erat traiicienda, ne falſariorum artibus eſſet locus. Auctor huius formæ Senatus Romanus fuit Neronianis temporibus, quod memoriæ his verbis prodidit Suetonius: (c) *Aduerſus falſarios tunc primum repertum, ne tabulæ niſi pertuſæ ac ter LINO PER FORAMINA TRAIECTO obſignarentur.* Qui mos deinde adeo inualuit, vt auctores vix aliter deſcribant epiſtolarum ſolutionem, quam his formulis: τὸ λίνον τέμνειν *vinculum epiſtolæ ſoluere, incidere linum, rumpere linum, vincula epiſtolæ laxare,* aliisque huius generis. (d) Nec putandum eſt, hunc ritum ad mediam ætatem haud pertinere. Diutiſſime enim illum viguiſſe adparet ex Marculphi formulis a Baluzio inter Capitularia Regum Francorum editis, (e) vbi hæc lego: *Teſtamentum noſtrum condidimus, quem illi notario ſcribendum commiſimus, vt quomodo dies legitimus poſt tranſitum noſtrum aduenerit, recognitis ſigillis INCISO LINO, vt Romanæ legis decreuit auctoritas, per inluſtres viros illos, quos in hac pagina teſtamenti noſtri legatarios inſtituimus, geſtis reipublicæ municipalibus titulis eorum proſequutione ab ipſis muniatur.* Eadem occurrunt in formulis Lindenbrogii ab eodem Baluzio denuo editis (f) vt & in noua Collectione formula-

a) *Probat. Geneal. dom. de Sohier p. 75.* b) DV FRESNE *diſſert. de infer. æu. numiſm. n. 11. p. 8.* c) SVETON. *in Nerone cap. 17.* d) *Vid.* PAVL. *l. 5. ſentent. tit. 25. & lib. 4. tit. 6.* CIC. *Catilin. 3.* QVINTILIAN. *lib. 12. c. 8.* SALLVST. *in Catilin.* LVCIAN. *in Timon.* NEPOS. *cap. 4. Pauſan.* e) MARCVLF. *Form. lib. 2. n. 17. p. 415. tom. 2.* f) *Form.* LINDENBROG. *n. 72. p. 529. tom. 2.*

mularum (a) ad quæ videnda, quæ commentatus est Hieronymus Bignonius. (b) Sed quum nec hodie quidem penitus iste mos exspirarit, soleantque epistolæ clausæ principum adhuc non quidem lino, at loris membranaceis traiici, non difficile erit, de hac antiquorum consuetudine iudicare.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

DE VARIIS FRAVDIBVS AC IMPOSTVRIS IN RE SIGILLARI COMMISSIS.

I. Multa sigilla sunt supposititia.
II. Quot modis hoc factum?
III. Falsa sigilla falsis diplomatibus adiecta.
IV. Falsa sigilla veris diplomatibus adiecta.
V. Vera ac genuina sigilla falsis diplomatibus adiecta.
VI. Hoc exemplis illustratur.
VII. Membrana diplomatum incisa, ac si sigilla adfuissent.
VIII. Sigilla in auersa membranæ facie.
IX. Sigilla penitus inuersa.
X. Regulæ de discernendis sigillis supposititiis.
XI. Conclusio Partis I.

I.

MVLTA SIGILLA SVNT SVPPOSITITIA.

PAssim adhuc iniecimus mentionem sigillorum spuriorum, quæ ab impostoribus conficta, imprudentibus facile imponunt, nisi accurata instituta indagine a genuinis diligenter discernantur. Id mihi facile concedent omnes, quibus pessimæ horum sycophantarum artes non prorsus ignorantur. Sane quum nec a Codicibus MSCis, nec a numismatibus antiquis, nec a diplomatibus, nec ab aliis rebus, etiam sanctis & religiosis abstinuerint manus; quis iisdem sigilla solum sacrosancta ac inuiolabilia fuisse credat? Immo ipsa ratio suadet, totidem spuria numerari sigilla, quot diplomata supposititia, quorum numerum vix quisquam iniret. Vt igitur constet, quo pacto genuina a falsis rite possint distingui, consultum putauimus, vltimo hoc capite, quid a nobis hac in re obseruatum sit, paucis indicare.

QVOT MODIS HOC FACTVM.

II. Sex itaque modis potissimum fraudem et errorem in sigillis commissam video. At enim sigilla falsa falsis diplomatibus innexa, aut falsa veris addita, aut vera falsis adposita, aut charta eo modo incisa, ac si sigilla decidissent, quum nulla adfuerint, aut sigilla auersæ diplomatum faciei per errorem impressa, aut sigilla denique ipsa inuersa sunt. De quibus singulis modis nonnulla obseruatu digniora hic tradere iuuat.

FALSA SIGILLA FALSIS DIPLOMATIBVS ADIECTA.

III. Primo impudentissimi censendi sunt ii, qui falsis diplomatibus falsa etiam sigilla addidere. Quum enim vtrumque crimen sit ita comparatum, vt si alterutrum tantum admittatur, quouis supplicio plectendum sit, quid statuendum videbitur in eum, qui vtroque simul se polluere non erubescit? Et tamen non defuere perfrictæ frontis homines, quorum interfuit, tale quid committere. Horum ex officina omnes istæ chartæ spuriæ prodierunt, quarum νοθεία tum ex aliis indiciis tum e sigillo absurdo fuit deprehensa. Si enim nec charta ipsa cum aliis genuinis coincidit, aut characteres habet commissæ fraudis, nec sigillum cum aliis potest conciliari, nemo non videt, vtrumque malæ notæ esse. Innumera eiusmodi prodierunt diplomata, quorum tamen deinde eos ipsos plerumque puduit, a quibus fuerunt allegata. Eo facilius enim eiusmodi merces furtiuæ deprehenduntur, quo impudentiores falsarii fuerunt. Tale diploma Dagobertinum eruditis animaduersionibus proscripsit Nicolaus Zyllesius, (c) quippe quod nec in textu quidquam sani habet, & sigillis communitum est manifesto supposititiis. Sed vereor, ne & ipsum illud diploma Dagobertinum, quod Zyllesius pro Cœnobio San-Maximiniano adfert, eiusdem notæ hodie videatur eruditis. Siquidem & in textu plura Dagobertino æuo maxime indigna reperit ὁ πάνυ Mabillonius (d) & sigillum quoque suspicione non prorsus carere, a nobis iam supra fuit ostensum. Sed si quis integram eiusmodi diplomatum messem conuectam videre discupiat,

a) *Form.* BALVZ. *n. 28. p. 571. tom. 2.* b) BIGNON. *ad form. Marculf. p. 939. tom. 2.* c) ZYLLES. *part. 1. defens. S. Maximin. p. 59.* d) MABILLON. *lib. 3. de R. D. cap. 1. p. 217.*

at, cum ego ablegauerim ad Franciſci de Roſeariis ſtemmatum Lotharingicorum Tomos VII, (a) qui in confingendis propalandisque his adulterinis mercibus impudentiſſimus, tot diplomata edidit, quorum nec textus ſatis ſanus, nec ſigilla genuina ſunt, vt capitis ideo damnatus ſit a Parlamento Pariſienſi. Prolixe fata huius Scriptoris referunt Thuanus, (b) eruditiſſimus Auctor Bibliothecæ antiquæ Ienenſis (c) & laudatus ſæpius Mabillonius, (d) cuius verbis hic vtimur: *Franciſcum de Roſeriis, vti falſorum diplomatum ſubornatorem merito ſenatus Pariſienſis capitali ſententia damnauit ſub Henrico III, qui tum pro inſita animi lenitate, tum Reginæ matris cariſſimæ precibus victus falſatori audaciſſimo crimen & vitam indulſit, vt inter alios Beslius refert.*

FALSA SIGILLA VERIS DIPLOMATIBVS ADIECTA.

IV. Non minor deinde eorum fuit impudentia, qui falſa ſigilla veris diplomatibus adiicere nonnunquam auſi ſunt. Vti enim illi impoſtura ſua effecerunt, vt falſa diplomata pro veris aliquando haberentur, ita horum ſimplicitate factum eſt, vt genuina diplomata ob ſigilli vitium tanquam falſa nunc ſordeant ſagacioribus. Ea fraus tunc potiſſimum admiſſa eſt, ſi quando vera ſigilla a diplomatibus decidiſſent. Tunc enim ii, quorum intererat, veriti, ne diploma ſigillo deſtitutum probandi vim amitteret, auſi ſunt ſigillum ex alio minoris momenti diplomate detractum in delapſi locum reſtituere, idque tanta ſæpius temeritate, vt fraus in ipſos oculos incurrat. Dudum huius rei exempla obſeruauit Mabillonius, (e) cuius verba lectu digna videntur. Ita enim ille: *In fine admonendum eſt, in quibusdam chartis authenticis, ex quibus primaria ſigilla amiſſa aut comminuta exciderant, alia nonnunquam ex aliis auulſa fuiſſe impoſita, vt in nonnullis inſtrumentis obſeruatum eſt. Sed quum aliquando veteratores illi ſigilli ſuppoſiti inſcriptionem legere aut diſcernere non valerent, accidit, vt quæ erant, exempli cauſa, Ludouici Pii aut Caroli Calui ſigilla, Caroli M. diplomatibus inepte aptata ſint. Ea res obiecta eſt in cauſſa, mota inter Mediolanenſem Archiepiſcopum & Monachos S. Donati de Scozela, tum occaſione Liuthardi Archiepiſcopi, tum diplomatis Henrici Imperatoris apud Innocentium III.* (f) Ipſe aliquando huius commatis vidi diploma Henrici III, cui ſigillum Friderici I fuerat innexum. Immo ſi ſpecimina ab ipſo Mabillonio edita genuina ſunt, quod ille contra P. Germonium conſtanter aſſerit, non dubito, quin ſigilla illa Pipini & Caroli M. quæ Bacchum & Anubin præferunt, ab aliena manu ſint. Cum enim vera ſigilla comminuta excidiſſent, auſus eſt forſan neſcio quis, antiquam gemmam forte fortuna inuentam ceræ imprimere, ratus, antiquitatis ſpecie facilius imponi poſſe lectoribus, inprimis cum diplomatum textus nihil haberet vitioſi. Sane id liquido vel inde conſtat, quod ſigillum iſtud Pipini, *non exſtante, (vti aſſolet,) figura, ſed cera cauo impreſſum* ipſe fatetur laudatus Mabillonius, (g) quod ideo factum videtur, quod ea figura in gemma exſtaret.

VERA SIGILLA FALSIS DIPLOMATIBVS ADIECTA.

V. Tertius impoſturæ modus in eo fuit poſitus, quod vera ſigilla falſis diplomatibus litterisque adponerentur, qua fraude nulla latius patuit. Modo enim ſigilla genuina a diplomatibus auulſa, modo typarium ad genuini cuiusdam ſigilli exemplar accurate confectum eſt, ita, vt fraus deprehendi vix poſſet. Illius generis iterum alia plura artificia fuerunt. Innocentius III Papa (h) nouem recenſet modos, quibus bullæ papales poſſint falſari, quorum plerique huc pertinent. Non pigebit itaque totum hic locum exſcribere: *Prima ſpecies falſationis hæc eſt, vt falſa bulla falſis litteris apponatur, ſecunda, vt filum de vera bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immiſſum falſis litteris inſeratur. Tertia, vt filum ab ea parte, in qua charta plicatur, inciſum cum vera bulla falſis litteris immittatur, ſub eadem plicatura cum filo ſimilis cannabis reſtauratum. Quarta cum a ſuperiore parte bullæ altera pars fili ſub plumbeo reſcinditur, & per idem filum litteris falſis inſerta reducitur intra plumbum. Quinta cum litteris bullatis & redditis in eis aliquid per raſuram tenuem immutatur. Sexta, cum ſcriptura litterarum, quibus fuerat appoſita vera bulla, cum aqua vel vino vniuerſaliter abolita ſeu deleta, eadem charta cum calce & aliis iuxta conſuetum artificium dealbata de nouo reſcribitur. Septima cum chartæ, cui fuerat appoſita vera bulla, totaliter abolitæ vel abraſæ, alia ſubtiliſſima charta, eiusdem quantitatis, ſcripta cum tenaciſſimo glutine coniungitur. Eos etiam a crimine falſitatis non reputamus immunes, qui contra conſtitutionem noſtram ſcienter litteras non de noſtra vel bullatoris noſtri manu recipiunt. Illos quoque, qui accedentes ad bullam, falſas litteras*

a) *edit. Pariſ. 1580.* b) *ap.* GERH. VAN STOEKEN. *Thuan. enucl. lib. 11. p. 77.* c) *Biblioth. antiqu. anno 1705. menſ. Ian. p. 11.* d) MABILLON. *lib. 1. de R. D. cap. 6. n. 6. p. 25.* e) Idem *lib. 2. cap. 19. n. 9. p. 152.* f) INNOC. III. *lib. 2. Epiſt. 35. ap.* ALTESERRAM *p. 293.* g) MABILL. *lib. 2. cap. 16. n. 8. p. 158.* h) *lib. 5. Decret. tit. 20. cap. 5.*

litteras caute proiiciunt, vt de vera bulla cum aliis sigillentur. Sed hæ duæ species falsitatis non possunt facile comprehendi, nisi vel in modo dictaminis, vel in forma scripturæ, vel qualitate chartæ falsitas cognoscatur. In ceteris autem diligens indagator falsitatem poterit intueri, vel in adiunctione filorum, vel in collatione bullæ, vel motione vel obtusione, præsertim si bulla non sit æqualis, sed alicubi magis tumida, & alicubi magis depressa. Quum igitur tot modi fuerint, plumbeas Pontificum bullas genuinas falsis diplomatibus alligandi, quot modis cetera sigilla deprauari & in falsas chartas transferri potuisse credibile est?

HOC EXEMPLIS ILLVSTRATVR.

VI. Iuuat hic exempla nonnulla proferre in medium, e quibus tota res erit clarior. Per totum orbem Christianorum innotuit diploma illud Ludouicianum Lindauiense, tot animaduersionibus confossum ab Heidero, Conringio, & nuperrimis Conringii Vindicibus, vt nemo temere hodie sit futurus, qui illud genuinum amplius habeat. Attamen si sigillum spectes, multa illud habet, quæ cum ceteris Ludouici Pii sigillis conueniunt, inprimis cum Paderbornensi & Corbeiensi a nobis edito. Sunt tamen etiam haut pauca, in quibus ab his diuersum est. Quis ergo dubitet, quin hoc sigillum non quidem a genuino quodam diplomate auulsum, sed ad genuini tamen sigilli exemplar satis caute fuerit effictum? Nec putandum est, ineptiores fuisse mediæ ætatis cælatores, quam vt genuini sigilli typum accurate exprimere potuerint. Innumera enim exstant exempla, quæ aliud docent. Eo quippe processerat infaustum artificium, vt & viuentium sigilla imitarentur impostores. Iam supra in medium protulimus exempla Legatorum Græcorum, qui, Gunthero (a) teste, Friderici I sigillum cælando fuerint imitati: item Domicellæ, quæ artificio faciendi ac placandi sigilla coram Rege Francorum ostenso, flammis luerit facinus: (b) porro Diaconi Rhemensis Ecclesiæ, qui ob hoc crimen in Suessionensi synodo pœnas dederit: (c) Clerici denique circumuagi, *falsas sigilli Friderici II formas adulterantis.* (d) Iam & alia licebit adiicere. Vrbanus PP. III (e) Clericorum quorundam meminit, qui Philippi Francorum Regis sigillum falsauerant. Leo IX. PP. Sublacense monasterium visitans, subdiaconos ad se vocauit in monasterio, quorum requirens monimenta chartarum notauit falsissima, & ex magna parte ante se igni cremari fecit. Pontificali itaque Præcepto confirmauit Monasterio Sublacum & totam Abbatiam. (f) Vix dubito, quin harum chartarum falsitatem inprimis e sigillo deprehenderit. Denique B. Bernardus assiduus est in accusandis iis, qui sigillum suum nefarie fuerant imitati, vnde istud mutare coactus fuit. Notatu digna sunt eius verba epistolæ ad Eugenium Papam (g) inserta: *Periclitati sumus in falsis fratribus, & multæ litteræ falsatæ sub* FALSATO SIGILLO *nostro in manu multorum exierunt, & quod magis vereor, etiam vsque ad vos dicitur falsitas peruolasse. Hac necessitate abiecto illo, nouello, quod cernitis, de nouo vtimur, continente & imaginem nostram & nomen. Figuram aliam tanquam ex nostra parte non recipiatis, nisi forte pro Episcopo Clarimontis, cui sub altero sigillo litteras dedi, quum nondum istud haberem.* Eandem itaque fraudem etiam in aliis diplomatibus quampluimis commissam credere par est, inprimis in restitutis, quæ vocant. Solebant enim monachi nonnunquam, si membranas antiquas lacerasque deprehenderent, eas denuo describere, litteris ad authentici exemplar quam curatissime delineatis, sigilloque, si illud adhuc integrum esset, vel ex authentico in Restitutum translato, vel denuo ad genuini cuiusdam exemplar sculpto. Quod nec ipsi diffitentur ii, qui diplomata Ecclesiarum & Monasteriorum summa cura defendunt ac tuentur.

MEMBRANA INCISA, AC SI SIGILLA DECIDISSENT.

VII. Modestiores videri voluerunt, qui licet detestando ausu diplomata maximis Principibus supponerent sigilla tamen adnectere, religioni sibi duxerunt. Enimuero ne diplomatum sigillo destitutorum fides primo statim intuitu vocaretur in dubium, aliam excogitarunt fraudem non minus ingeniosam. Incisa enim per crucem membrana, angulisque reuulsis speciem præbuere delapsi per temporum iniurias sigilli. Ne longius abeam, tale quid contigisse videtur in fingendo diplomate Dagobertino Erfurtensi, quod quum manifesto falsum & suppositicium sit, nec sigillo quidem est munitum, ne scilicet fraus, quæ ex omnibus indiciis elucet, etiam sigillo proderetur. Attamen ne nihil videretur egisse impostor, membranam eo, quem diximus, modo incidit, vt adfuisse sigillum ac decidisse crederetur. Animaduer-

a) GVNTHER. *lib. 5. Ligurin. p. 356.* b) *Contin. Chron. Nang. ad ann. 1331. ap.* DACHER. *tom. II. Spicil. p. 751.* c) BALVZ. *Tom. I. Capitular. pag. 52.* d) PETRVS DE VINEIS *lib. 5. epist. 22. p. 577.* e) *lib. 5. Decretal. tit. 20. c. 3.* f) BARON. *Tom. XI. annal. ad ann. 1051. p. 176.* g) BERNARD. *Epist. 284. conf. epist. 298.*

maduertit hanc fraudem Trithemius, (a) *Consideratio tertia fictionis mihi suspicionem generat vehementem, pro eo, quod litteræ fundationis memoratæ, quas fratres vt originales apud Sanctum Petrum ostendunt in Erphurdia,* NVLLIVS SIGILLO *muniantur, licet foramen adpareat in charta,* QVASI PRAE ANTIQVITATE NIMIA SIGILLVM DECIDISSET. Sed hæc diplomata eo maiori cura videntur inspicienda, quo facilius lectorem incautum decipiunt. Quemadmodum enim fraus alias ex inepto sigillo facili negotio deprehenditur, ita absente sigillo nulla fraus præsumitur, si reliqua recte se habeant.

SIGILLA AVERSÆ MEMBRANÆ FACIEI IMPRESSA.

VIII. Diximus iam supra, sigilla nonnunquam in auersa diplomatum facie adparere, idque nos ipsi testari possumus. Vidi ego diploma Brunonis Hildesiensis Episcopi, cuius sigillum non in eodem, quo scriptura, latere adparebat, sed in altero vacuo. Quamuis igitur hoc ab impostoris cuiusdam manu esse, asserere nolim, huc tamen illud referre placuit, quia sigillum initio hoc pacto impressum fuisse, non videtur verisimile. Potius ego crediderim, sigillum ex hoc diplomate decidisse, ac a non nemine iterum adglutinatum fuisse, qui perinde esse sibi persuaserit, alterutri lateri illud imprimeret. Quod quamuis satis ineptum sit, facile tamen in mentem venire potuit homini, qui nunquam alia huius generis diplomata oculis vsurpauit.

SIGILLA PENITVS INVERSA.

IX. Difficile foret, tam supinam oscitantiam sibi de vllo concipere, nisi & liquido constaret ex aliis sigillis, quæ vbi denuo cum diplomatibus coniungebantur, ita penitus inuersa fuerunt, vt, quæ superiore erant ponenda loco, iam inferiorem teneant. Ne vero dubites, talia vsquam inueniri, diserte id asserit testis αὐτόπτης Mabillonius, (b) hic omnino consulendus.

REGVLÆ NONNVLLÆ ADDISCERNENDA SIGILLA SVPPOSITITIA PERTINENTES.

X. Expensis igitur tam variis fraudibus, imposturis erroribusque, in re sigillari obseruandis, iam proximum est, vt & regulas quasdam, quibus obseruatis sigilli falsitas deprehendi possit, subiiciamus. Quam in rem sequentes succurrunt obseruationes.

I. Quodcunque sigillum figuræ multo recentioris est, quam diplomatis ætas ferre possit, illud merito est inter adulterina referendum. Exempli gratia, si quis Carolo M. sigillum parabolicum acutum aut triangulare tribueret, statim figura fraudem proderet, quam Carolino æuo prorsus in sigillis ignorarunt.

II. Si cera coloris sit tum temporis nondum recepti, sigillum etiam non caret suspicione. E.g. si cuiusdam e Carolinis, Saxonicis aut Salicis Imperatoribus exstaret sigillum aliquod viride, continuo id malæ notæ esse pronunciarem. Hic porro monendum est, non modo colorem, sed & ipsam ceram probe esse inspiciendam, num tantam ætatem ferat. Quum enim diuturnitate temporis cera magis magisque exsiccetur, ita vt demum argillæ quam materiæ eiusmodi pinguiori videatur propior, cum cura videndum est, num ceræ quædam adhuc inesse videatur pinguedo, aut certe, num alterutra facies ceram videatur habere altera pinguiorem. Hoc si ita sit, statim deprehendent sagaciores, quid sigillo factum sit.

III. Si sigillum cereum adpensum dicitur eo tempore, quo nondum in ista regione hic mos inualuerat, aut si innexum fertur eo tempore, quo dudum hæc consuetudo obsoleuerat, non dubitandum videtur, quin sigillum non sit ex eo æuo, quod diploma præfert. Iam supra adduximus sigillum Adelberti, Bremensis Archiepiscopi, quod ex filis dependere, ipsa Lambecii docet delineatio. Quum vero hoc diploma datum sit anno MLIX, quo per totam Germaniam nullum visum fuerat sigillum cereum e funiculis aut filis sericis dependens, visi sumus habere rationem, cur illud suspicione non carere dixerimus.

IV. Si sigillum aliud in fine diplomatis nominatur, aliud membranæ adpensum est, vix hoc νοθείας absolui poterit. Si cum in diplomatibus Caroli M. in quibus suo se annulo signasse fatetur, sigillum tamen adpareat Carolomanni, aut Pipini, aut Anubis, id ego fraudis argumentum satis euidens existimauerim.

V. Si in sigillo sæculorum IIX, IX, X, vel ineuntis XI insignia gentilitia aut scuta ad heraldicæ artis regulas composita inueniantur, fraus videtur in oculos incurrere. Exempli loco esse poterunt Roserii, Coccii, aliorumque huius farinæ scriptorum sigilla Merouin-

a) TRITHEM. *de Orig. Gentis Francor. conf.* SAGITTAR. *lib. 1. Antiqu. Ducat. Thur. cap. 11. p. 36.*
b) MABILL. *lib. 2. c. 19. n. 6. de R. D. p. 151.*

rouingica ac Carolingica, multis liliis conſperſa, atque adeo manifeſto adulterina.

VI. Si in ſigillo antiquiore titulus prolixior & ad hodiernum morem compoſitus, aut plane ineptus habetur, fraus commiſſa ſtatim pateſcit. Sic ſtatim omnes explodent ſigillum Heinrici III, in quo idem habetur titulus, qui in eius numo apud Octauianum de Strada (a) occurrit: HENRICVS. IMP. ET DVX FR*ancie*. Eadem facilitate omnes reiicerent ſigillum Henrici Leonis, in quo ille *Elector Saxoniæ aut S. R. I. Archi-Marſchallus* vocaretur. Quis ferat e ſeculis IX vel X ſigillum Archiepiſcoporum Bremenſium, ſi Bremenſes ſe in illo vocarent, quum eo tempore Hamburgenſes audirent?

VII. Si in ſigillo nomen proprium exſtat, quod tum nondum in vſu fuit, de eius fide merito dubitatur. De hac re iam alio loco quædam monuimus, occaſione nominis HEINRICI, HENRICI, HAINRICI, HINRICI, quæ nominis huius formæ non vna eademque omnes ætate in vſu fuerunt. Idem de ceteris quoque tenendum eſt. Sic ſi ſæculis X vel XI ineunte Epiſcopus aliquis ſe vocaret Monaſterienſem, ſigillum iſtud ſuſpectum haberem, eo quod tum epiſcopi illi audirent Mimigardeuordenſes. De voce Legia & Leodium iam ſupra diximus.

VIII. Par ratio eſt, ſi formula quædam recentior in ſigillo antiquiore habetur, e. g. ſi quisquam Epiſcoporum ſæculo X vel XI ſe vocaret *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopum.*

IX. Ipſæ quoque ſigillorum imagines ſi a ceteris eiusdem ordinis vel ætatis imaginibus nimium diſcrepant, & e contra cum aliis recentioribus ſatis conueniunt, ſuſpicionis haut parum habent. E. g. Si quod ſigillum Carolum M. exhiberet, non vero eo ſchemate, quo omnes illius ætatis Imperatores ſigillis conſpiciuntur, ſed longe recentiore, ita vt throno inſideret, dextraque ſceptrum, ſiniſtra globum præferret, quis illud genuinum agnoſceret?

X. Litteræ quemadmodum in ſigillorum inſcriptionibus ſingulis fere ſæculis aliæ fuerunt, ita præcipue vſum præſtant in ætate ſigillorum diiudicanda. Sic ſi in ſigillo ſæculi X vel XI occurrerent litteræ rotundæ vel Gothicæ, aut etiam recentiores Germanicæ, nemo credo dubitaret, quin illud recentioris multo æui ſit.

XI. Bullæ Pontificum adulterinæ, quibus ſignis poſſint deprehendi, præcipue docere ſtatuit Innocentius P P. III (b) ex eoque Cironius & Mabillonius; ſed vt vera fatear, vix vllum vſum regularum ab iis traditarum video, quum etiam ſuppoſititiis Pontificum Diplomatibus plerumque adiectæ ſint bullæ genuinæ, aliunde ſurreptæ. Sed optime de ſigillorum γνησιότητι & νοθείᾳ iudicabit is, qui illa, quæ tota hac parte priore de ſigillorum natura & conſtitutione diximus, familiaria ſibi reddiderit propriasque addiderit obſeruationes. Ei enim non deerunt Regulæ, ad quas criticam hanc neceſſariam inſtituat. Certe tradi quidem poſſunt ſigillorum adulterinorum characteres, genuinorum notæ dari non poſſunt. Critica enim omnis non niſi fraudes ac impoſturas detegit, licet certo aſſerere non poſſit, an id, quod fraudem non prodit, ſtatim ſit genuinum fraudisque expers.

CONCLVSIO PARTIS PRIORIS.

XI. Hæc ſunt, quæ de ſigillorum antiquitate, materia, figura, imaginibus, inſcriptionibus, impreſſione, adpenſione, aliisque, quæ huc pertinere videbantur, dicenda putaui. Plura fortaſſe ſupererant dicenda, ſi minutiora reſpicere placuiſſet. At vero cum breuitatis habenda fuerit ratio, ac ſpecimen tantum eorum, quæ in ſigillis obſeruauimus, dare libuerit, neſcio an non venia mihi apud æquos rerum iudices parata ſit futura. Si quis plura me præteriiſſe contendat, ei ego non magnopere repugnauerim. Quis enim tanto eſt oculorum acumine, vt omnia videat? Adhibitæ tamen curæ ac fidei optime mihi conſcius, aſſerere non dubito, non pauciora hic reperturum eſſe lectorem, ab aliis prætermiſſa, quam ipſe forte feſtinans prætermiſi. Si hæc curioſis non plane diſplicuerint, non pigebit ea, quorum hic primas veluti lineas duximus, Deo volente, accuratius aliquando expendere, editisque ſupplementis perducere ad maturitatem.

SYNTA-

a) OCT. STRADA *lib. 3. p. 412.* b) INNOC. III. PP. *in epiſt. paſſim.*

SYNTAGMATIS HISTORICI

DE

VETERIBVS

GERMANORVM

ALIARVMQVE NATIONVM

SIGILLIS

PARS POSTERIOR.



PARS SECVNDA
DE
VSV ET PRÆSTANTIA SIGILLORVM.
CAPVT PRIMVM.
COLLATIO SIGILLORVM CVM NVMISMATIBVS.

I. Numi ſigilla ſuperant antiquitate, copia, diuturnitate.
II. Sigilla hiſtoriam medii ævi magis quam numi illuſtrant.
III. Sigillorum quam numorum γνησιότης certior eſt.
IV. Chronologia ſigillorum quam numorum certior.
V. Sigilla numis mediæ ætatis ſunt elegantiora.
VI. Inſcriptiones ſigillorum magis perſpicuæ, quam numorum.
VII. Hæc ſequentia magis illuſtrabunt.

I.

NVMI SIGILLA SVPERANT ANTIQVITATE, COPIA ET DIVTVRNITATE.

IO. Georgius Maior, (a) Medicus Kilonienſis, quo nemo antiquitatis naturæque cimelia maiore ſolertia collegit atque explicauit, Numiſmato-criticam deſcribens, ea neque ſublimiorem vllam, neque præſtantiorem eſſe ait, eo quod qui iſtam tractent cum Dei vicariis, hoc eſt, ſummis magiſtratibus in auro, argento atque ære viuentibus familiariter verſentur. Hinc ita infit: *Quemadmodum ſtudium non habetur Theologico ſanctius, ſic inter ſcientias ſæculares NVMISMATO-CRITICA non facile SVBLIMIVS aliud reperitur, quoniam cum DEI in hac orbe VICARIIS PERSONIS ILLVSTRIBVS in ære, argento auroque viuentibus negotium ſibi eſt.* Quæ ſi vera ſunt, quod nemo niſi in iudicia præcipitior negare audebit, neſcio an non ſecundæ partes deferendæ ſint ei criticæ, quæ in ſpectandis explicandisque ſigillis verſatur, quod in hac non minus, quam in Numiſmato-critica ſummas in orbe perſonas, veluti Imperatores, Reges, Duces, & Principes in auro, argento, plumbo ceraque ſpirantes licet intueri, iisque familiariter vti. Quamuis enim ſigilla facile cedant numis, faſcesque iis libentiſſime ſubmittant, quippe nec antiquitate, nec multitudine, nec diuturnitate cum his conferenda: numi tamen, memores, ſigillorum ſe veluti fratres eſſe, his vltro nonnulla concedent, quæ ipſi non affectant. Mirantur equidem omnes numorum antiquitatem meritoque ſuſpiciunt eorum prudentiam, qui imaginibus rebusque geſtis metallo impreſſis monumenta ſibi exegerunt ære perenniora. Hinc Græcorum, Ægyptiorum, Syrorum, Parthorum, Romanorum ceterarumque gentium principes in numis viuunt, quorum ſigilla vel pauca hodie, vel nulla ſuperſunt. Stupent præterea numorum multitudinem, ad quam ſigillorum numerus vix poterit conferri. Quum enim numi & diuerſorum generum & magno numero flari cudique ſoleant, ſigilla non niſi diplomatibus affixa conſtat.

Vnde

a) IO. GE. MAIOR *Adpend. de Iot. ſubſc. p. 67.*

Vnde non mirum, plura illustrium virorum numisinata, quam sigilla, post tot temporum iniurias ætatem tulisse, inprimis cum diplomatibus per varios casus absumtis, sigilla tanquam nullius pretii habita, incuria facile perirent. Porro & constantia & diuturnitate quantum numi sigillis antecedunt? Illi ex auro, argento, ære Corinthiaco, stanno, plumbo, electro ferroque conflati in semet ipsis satis præsidii aduersus temporum iniurias inuenere, terræque suffossi, aut murorum parietumque ruderibus tecti post tot euoluta sæcula felici subinde ἀναστάσει resurgunt, quum contra sigilla, si aurea, argentea plumbeaque exceperis, quorum non adeo magnus est numerus, e cera, fluidissima pariter & molliſſima materia confecta sint, atque adeo igne non modo, verum etiam ipsa antiquitate facile confundantur, frangantur ac decidant. His ergo argumentis numi palmam sigillis non multum repugnantibus eripient, licet forte antiquitati numorum gemmas non multo recentiores, multitudini numerum sigillorum ab ecclesiis nobilibus, immo priuatis impressorum, quibus numos cudendi nulla fuit potestas, stabilitati denique ac diuturnitati curam in custodiendis archiuis adhiberi solitam opponere possis. Sed esto, concedant se hisce rebus a numismatibus superari. Habebunt tamen & sigilla, quibus suam præstantiam tueantur, quæ paucis iam edisserere placet.

SIGILLA HISTORIAM MEDII ÆVI MAGIS QVAM NVMI ILLVSTRANT.

II. Primo igitur ea veluti propria sigillis laus est, quod mediæ ætatis res, vbi numis quodammodo destituimur, quam maxime illustrent. Quum enim historia antiqua multum lucis a numis mutuetur, omniumque Imperatorum Romanorum, Regumque Syrorum, Ægyptiorum, Parthorum, & Græcorum antiquitates e numis adhuc sint explicatæ; mediæ tamen ætatis historiam tam parum adiuuant, vt si absque sigillis essemus, multum forte in hac nobilissima historiæ parte essemus desideraturi. Exstant quidem numi Regum Francorum a Domino le Blanc in vnam seriem collecti: habemus etiam numismata Imperatorum Romanorum fere omnium ab Octauio de Strada aliisque descripta: Sed quot eorum suppositicia sunt? quot dubia? Sane qui vel vnam mihi numorum Cæsareorum seriem ostenderit, is Phyllida solus est habiturus. Merito equidem mireris numismatum medio æuo cusorum paucitatem, quum ex vltima antiquitate tanta eorum turba ad nos delata sit. Sed in promtu huius facti ratio est. In Germania enim in locum solidorum satis mature succedere bracteati, tenue numorum genus, quod paullo durius tractatum, in ipsis manibus defluit, tantumque sensim de sua integritate amisit, vt singulis decem annis decem noui cum quatuordecim antiquis commutarentur: quo factum est, vt ex ninium detritis noui demum cuderentur. Quæ quum ita sint, eos quidem bracteatos, qui communem sortem euasere, tanquam fractas e naufragio tabulas admiramur, eosque licet nec elegantia, nec pretio se commendent, antiquitate & raritate metimur. In aliis vero regionibus, vbi solidorum vsum diligentius seruatum reperimus, id tamen haud parum eorum numerum imminuit, quod barbaro æuo numi ad vsum potius, quam rerum gestarum memoriam cuderentur. Vnde subinde Magistratuum arbitrio denuo conflati, aut instaurati sunt, si pristinum valorem diuturno vsu aut hominum fraude amisissent. Quæ quum ita sint, non amplius mirandum est, numismatum medii æui numerum, cum antiquiorum, qui in Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Sueciæ, Daniæque gazophylaciis asseruantur, multitudine collatum, vix minimum esse. Hunc ergo defectum quantum supplent sigilla? Sane a Caroli M. ætate, (vt de Merouingorum sigillis cum P. Bartholomæo Germon non contendam,) vix se offeret Imperator aut Rex vllius gentis, cuius sigilla non aut lucem viderint, aut videre possent, dummodo diligentius ex archiuis publicis protraherentur. Ipsi nos supra in colligendis Imperatorum sigillis huius rei specimen dedimus. Oliuarius Vredius idem in Flandrensium Comitum historia sigillis illustranda præstitit, cuius institutum, si certæ quoque Regum Principumque familiæ imitarentur, esset certe, cur medii æui numismatum paucitatem æquiore animo ferremus.

SIGILLORVM QVAM NVMORVM ΓΝΗΣΙΟΤΗΣ CERTIOR.

III. Secundo & id habent sigilla, quo suam præstantiam tueantur, quod eorum γνησιότης pariter & νόθευσις facilius, quam numorum feriat oculos, atque adeo certiora e sigillis, quam e numis plerumque hauriantur. Quot quæso Romanorum, quot Græcorum, quot mediæ ætatis numismata circumferuntur, quorum laborat fides? Quot quæso præstantissimis Criticis imposuere, quibus deinde aliorum sagacius ingenium dicam scripsit? Non est huius loci exempla congerere, quæ facile se offerunt. Scilicet non est ea omnibus narium felicitas, vt odorando numorum ætatem diiudicent, quale quid de Italo quodam refert Wagenseilius. Quum igitur eo prolapsa esset hominum curiositas, vt in numis explicandis summam eruditi-

nem conſtituerent, omnesque perquirerent latebras, vt numiſma aliquod antiquum in vitam veluti reuocarent: plures reperti ſunt, qui obtruſis eiusmodi mercibus falli volentibus illuderent, numosque adulterinos cum veris non ſine fœnore commutarent. Obſeruauit iam hanc fraudem Baronius, de eiusmodi impoſtorum fraudibus ſummopere conqueſtus. Cuius generis hominibus neſcio an non & Biæum accenſeri oporteat, qui pluribus fucum fecit editis in lucem *Francia Metallica & Familiis illuſtribus Franciæ per numiſmata illuſtratis*, de quibus Labbeus: (a) *Verum vt id obiter Lectorem meum moneam, omnia hæc propemodum* (numiſmata) *conficta ſunt ad libitum, fucumque faciunt minus eruditis*, & paullo poſt: *Les familles de la France illuſtrées par les monumens des medailles &c. ibidem* (*Paris in fol. anno 1636*) *eodemque anno atque adeo eadem hoc eſt, ſubleſta, ſaltem in plerisque, fide, quæ nobis nuper cuſa & pro ingenio ac libidine cuiusque efformata pro priſcis obtruſit, vt norunt apprime rerum iſtarum periti, ſiue Pariſienſes ſiue exteri.* Quibus addenda etiam ea, quæ Papebrochius (b) de Biæi opere iudicat a Domino Tenzelio repetita. Operam luderem, ſi quæ inter Hottingerum & Conringium de numis Ebræorum, interque alios de quibusdam numis Conſtantini, Attilæ aliorumque acta ſunt, repeterem hic prolixius. Ex his ſane iam ſatis perſpicuum eſt, quam ſolenne aliquibus ſit, illudere in his rebus pariter ac illudi. Longe vero ab hac fraude abſunt ſigilla, quæ licet & ipſa nonnunquam impoſtorum artibus fuerint expoſita, ſe ipſa tamen facile produnt ob annexa diplomata, e quorum ſcribendi ratione, ſtilo, rebus contentis, notisque chronologicis facilius poterit fraus deprehendi. Numi enim ex ſe ipſis iudicandi ſunt, ſigilla e diplomatibus, quæ ſi genuina ſunt, & criticorum examina ſuſtinent, magnum ſigillis annexis præſtant præſidium: ſin minus, ſigillum quoque adulterinum pronunciant, ſi vel maxime ad genuini cuiusdam prototypum ſit expreſſum. Adparet id ex diplomate illo Lindauienſi. Si enim ſigillum ex eo detractum in aliquo gazophylacio oſtenderetur, vix aliquem fore exiſtimo, qui illud adulterinum aut ſuppoſititium eſſet habiturus. Multa enim illud habere genuinis ſimilia, immo ad ipſum genuinorum prototypum expreſſum eſſe, dudum eſt a Baluzio Mabillonioque obſeruatum. At vero quum ipſum diploma, cui annexum eſt, exſtet, idque criticorum telis dudum confoſſum ac plane enectum ſit: nemo iam amplius adulterino ſigillo falli ſe patietur, omnesque fraudem eo facilius ex reliquorum collatione deprehendunt, aliasque ſubinde, atque alias in ipſo ſigillo deprehendunt notas, e quibus impoſtura elucet, quas tamen, niſi diplomatis fides laboraret, nemo forte animaduertiſſet. Hinc nemo non videt, quanto facilius ſecuriusque ſit ſigillorum, quam numiſmatum examen inſtituere?

CHRONOLOGIA SIGILLORVM QVAM NVMORVM CERTIOR EST.

IV. Porro ſi chronologiam ſpectemus, quam animam hiſtoriæ non incongrue dixeris, in hac quoque parte ſigillorum præſtantia vel maxime profecto elucet. Quamuis enim antiqui numi, in quibus Conſulatus, Tribunitiæ poteſtatis, imperii anni, ſed & æræ vrbium regionumque ſatis diligenter annotantur, permultum facere videantur ad chronologiam emendandam, in eoque ſumma ingenia Spanhemius, Pagius, Noriſius, Harduinus, & Vaillantius elaborarint: ſæpe tamen crucem eruditis figunt eiusmodi notæ chronologicæ, & frequentius diuinantur, quam in oculos incurrunt. Quod in numis mediæ ætatis difficillimum eſt, eo quod omnes characteres chronologici in illis deſiderantur, ſolaque nomina & tituli eorum, quorum ſunt numi, ſatis nonnunquam obſcure indicantur. Immo vt numis bracteatis ſua aſſignetur ætas, fieri plane non poteſt. Licet enim in iis nomina eorum, a quibus cuſi ſunt, deſcribantur, nullus tamen adhuc lucem vidit, qui aut annum aut numerum, quo plures eiusdem nominis diſtingui ſolent, adſcriptum habeat, vnde neceſſe eſt in eorum diuinanda ætate ſæpius criticos hallucinari. Eximi quidem ex hoc ordine poſſet numus Bernardi Ducis Saxoniæ, quem Dn. Tenzelius (c) eleganter explicauit, in quo eruditorum nonnulli annum clɔ cLXXXI videre viſi ſunt, ſed quum characteres iſti, ex quo hunc annum ſibi concepere, admodum ſint obſcuri, magis ego quidem aſſenſerim Cl. Oleario, (d) qui nullos numeros in bracteatis occurrere candide fatetur, quocum etiam Dn. Thulemarius & Reuer. Gerhardus Abbas Loccumenſis, in hoc ſtudio verſatiſſimi, faciunt. (e) Hæc quum ita ſint, ſemper dubium remanebit, cuinam Principi, Epiſcopo, Abbati, aut Abbatiſſæ nummus bracteatus ſit tribuendus. Si enim numi præferunt nomen FRIDERICI IMP. HEN-

a) LABBEVS *biblioth. Nummar. p. 430.* b) PAPEBROCH. *Propyl. ad Act. Sanct. tom. 2. April. n. 49.* c) TENZEL. *dial. menſtr. anno 1691. p. 619.* d) OLEAR. *Iſagog. ad numophylac. bracteat. cap. 3. ſect. 4. p. 21.* e) *vid.* TENZEL. *dial. menſtr. an. 1693. p. 455.*

HENRICI. IMP. CONRADI. IMP. BERNARDI DVCIS, LVDEVVICI LANDGRAVII &c. quis quæso certo dixerit quis Fridericus, quis Henricus, quis Conradus, quis Bernardus aut Ludewicus hunc numum cuderit, aut quo anno id factum sit, a cuius tamen circumstantiæ cognitione tota sæpe numi explicatio dependet? At si sigilla consideres, omnia in iis certa atque explorata sunt. Non Principes modo, quorum sunt sigilla, accurate plerumque distinguuntur, sed & annus, immo & mensis & dies, quo adpensa sunt, adiiciuntur in diplomatibus. Quæ si vel maxime nonnunquam omissa sint, ex testium tamen nominibus, aliisque signis facile de diplomatis ætate coniectura petitur, vt adeo paucorum admodum sigillorum ætas possit ignorari. Immo postremis temporibus etiam annus diserte sigillis addi nonnunquam cœpit, veluti in sigillo Mariæ Ducissæ Burgundiæ adscriptus annus 1476 in sigillo Maximiliani Imperatoris, eiusque vxoris Mariæ Burgundæ annus 1477. in sigillo Georgii Ducis Saxoniæ apud Weckium (a) annus Domini 1515.

SIGILLA NVMIS MEDIÆ ÆTATIS SVNT ELEGANTIORA.

V. Præterea & elegantia sigilla numos mediæ ætatis longo post se interuallo relinquunt. Sane enim numi tum solidi tum bracteati dici non potest, quam sint sæpe deformes, quam crasso sculpturæ genere signati. Nescimus sæpe, hominesne videamus an monstra, litterasne an characteres magicos, quid? quod nonnunquam obscurum sit, vtrum viri, an mulieres, sancti an profani, nostro se sistant obtutui? id quod multis explicare exemplis liceret, nisi id esset ab instituto nostro alienum. Id modo hic non possum non referre. Nuper admodum quum numos Goslarienses quærerem, bonam eorum partem mihi suppeditabat vir quidam admodum honestus, cuius nomini parco. Is vero animaduertens, bracteatos mihi quam maxime esse in deliciis, mirari se, inquit, curiositatem meam, quod numos eiusmodi curarem, qui mera monstra idolorumque ethnicorum phantasmata, & Crodonem, inprimis diabolum sisterent. Meminisse se, parenti eiusmodi numos quamplurimos fuisse, sed cum religioni sibi duxisset, eos gazæ suæ inferre, sibi filiis eos dedisse, a quibus inter ludum & iocum fuerint perditi. Quin immo, quod maxime videbatur ridiculum & illud adiecit, sibi pueris non aliter fuisse persuasum, quam quod Crodonis aut dæmonum effigies in hisce numis fuerint expressæ, atque ideo semper cruce se ad eorum adspectum signasse. *Auditum admissi risum teneatis amici.* Satis ex his adparet, quam monstrosa nonnunquam exhibere videantur numi bracteati, quos licet sanioribus oculis intueantur eruditi antiquitatumque periti, imo licet nonnulli existent ceteris elaboratiores, parum tamen elegantiæ atque artis in plerisque elucere omnes agnoscunt. Cum his ergo si sigilla conferas optime conseruata, magnam sane illis præ numis mediæ ætatis præstantiam laudemque attribues. Simplicissima sane elegantissimo quouis numo bracteato elegantiora inuenies. Immo sunt nonnulla tam nitida tamque diligenter elaborata, vt nihil possit excogitari pulchrius. Quum igitur Romani numi eo præcipue nomine commendentur, quod sua elegantia ac arte omnium animos oculosque capiant quodammodo atque alliciant: non potest non & sigillorum pulchritudo, qua numos multum antecedunt, aliquam eis præ his laudem conciliare.

INSCRIPTIONES SIGILLORVM MAGIS PERSPICVÆ QVAM NVMORVM.

VI. Huc accedunt inscriptiones & perigraphæ, quæ in sigillis plerumque quam in numis accuratiores absolutioresque apparent. Quoties in numis bracteatis integræ voces transpositæ, confusæ atque in compendium missæ sunt? quoties ea, quæ restant, elementa atque apices sensum genuinum atque integrum haut constituunt? Paucis exemplis rem explicabo. Nonne quouis Sphingis ænigmate obscuriores sunt perigraphæ, quas in Friderici Imperatoris quibusdam numis inuenit Cl. Olearius (b) SVCECIPF ROTAPEI. vel SVDEIPI RÖTAPEI. Quis ex his characteribus sani quidquam, ac non potius mera monstra fingeret? Versis tamen vocibus & litteris hinc inde adiectis aut mutatis hæc prodit inscriptio: FRIDERICVS IMPERATOR. Qualem Oedipum requireret inscriptio numi cuiusdam Quedlinburgensis: ACIVQ ABT. I. CVN OLID. quam Cl. Olearius (c) ita explicat: *Agnesa CIVitatis Quedlinburgensis ABbaTIssa Filia CVNradi sOLIDus.* Dn. Schlegelius (d) vero hunc in modum emendandam putat: *ICVN (pro icon) sOLIDOrum Agnesæ CIVitatis Quedlinburgensis ABbatissæ*, ipso Dn. Olario (e) hanc emendationem non

a) WECK. *Part. IV. Chron. Dresd. tit. 9. p. 477.* b) OLEAR. *Isag. ad numophyl. bract. c. 3. sect. 4. p. 20 spicil. 1. antiqu. n. 3. 4. p. 5.* c) Idem *Anastas. Agnet. Quedlinb. Abbat. p. 6.* d) SCHLEGEL. *De numis Isenac. p. 42.* e) OLEAR. *Spicil. Antiqu. I. p. 15.*

non ſatis probante. Quis eſt tam lynceis oculis, vt peruideat inſcriptionem numi, quem e Schilderiano muſeo produxit Mellenius, (a) ita ſe habentem: IRR. NONCHA. ICV. OA LVDCGCRO. Vbi quidem Mellenius & Dn. Tenzelius (b) explicationem ſuam reticent: Olearius (c) legendum putat IRENarCHA---ALVDEGERO, Schlegelius vero: (d) LVDEGERI ImPeRatoris MONETAe ICVNCVLA. Quis non miratur hic ſtuporem eorum, qui flando feriundoque æri hac ætate præfuerunt, dum tanta nobis litterarum verborumque monſtra obtruſere, in quibus explicandis, qui verſantur, putant ſibi decimum tertium Herculis laborem veniſſe. Sane ſi Pignorius Kircherusque hoc numos vidiſſent, viderentur ſibi forte Aegyptiorum Hierophantarum monumentum aliquod videre, non numum in Germania cuſum. Hic denuo ſigillorum elucet præſtantia, in quibus inſcriptio ſemper genuinam ſententiam abſoluit, litteræ nunquam præpoſtera ratione conſtituuntur, abbreuiaturæ, quas vocant, verborumque compendia, nec tam frequentia ſunt, & facili plerumque negotio intelliguntur, nihil denique obſcurum aut abſtruſum occurrit, ſed plana atque expedita omnia. Sane nondum ſe obtuliſſe mihi ſigillum memini ſatis conſeruatum, cuius inſcriptionem non facili negotio ſim aſſequutus, præter vnicum illud Alberti Rigenſis Epiſcopi, ſupra deſcriptum, quod tamen non ipſe vidi, ſed ab alio mihi eſt ſuppeditatum, cuius pictor facile in litterarum ductu ſuis oculis minus familiari potuit cæſpitare. Quum igitur obſcuritas nullius mortalium, niſi forte Heracliti σκοτεινῦ ingenio poſſit eſſe in deliciis, omniumque iudicio perſpicuitas in laude ponatur: nemo non videt, quantum ſigilla numis bracteatis præſtent & quam facile ſuam laudem præ his tueantur.

HÆC SEQVENTIA MAGIS ILLVSTRABVNT.

VII. Sed clariora hæc erunt, ſi ad ſpecialiora deſcenderimus, & quomodo ſe ſigillorum vtilitas in omnibus fere elegantioris eruditionis partibus exſerat, oſtenderimus paullo accuratius.

CAPVT SECVNDVM.

DE VSV SIGILLORVM GRAMMATICO ET CRITICO.

I. Sigilla Grammaticæ Criticæque ſtudioſis proſunt.
II. Docent quæ ſingulis ſæculis fuerit forma litterarum.
III. Obſeruationes nonnullæ de forma litterarum.
IV. Obſeruationes nonnullæ de Diphthongis.
V. Obſeruationes de Abbreuiaturis.
VI. Obſeruationes de interpunctionibus.
VII. Obſeruationes de Orthographia.
VIII. E ſigillis genuina nomina propria reſtituenda.

I.

SIGILLA GRAMMATICÆ CRITICÆQVE STVDIOSIS PROSVNT.

LIcet curioſa hac ætate, quæ omnia vtilitate pariter & ſplendore metitur, Grammatica æque ac Critica tantum de ſua fama gloriaque amiſerit, vt Criticorum Grammaticorumque nomen plerisque ſordeat: ſunt tamen, qui inſigni earum artium vtilitate experiundo perſpecta & æſtimant illas, & e numero artium liberalium iniuria eximi agnoſcunt. Hisce ergo procul dubio ſatisfiet, ſi, quæ ex ſigillis ad incrementa harum artium exſpectanda videantur, paucis edocuero.

DOCENT QVÆ SINGVLIS SECVLIS FVERIT FORMA LITTERARVM.

II. Primo igitur inter omnes conſtat, nihil eſſe ad diſtinguendam cognoſcendamque veterum monimentorum ætatem vtilius, quam id vt habeamus exploratum, quæ ſingulis ſæculis ſcribendi fuerit ratio, quis litterarum ductus, quis connectendi mos, quæ litterarum compendia & ſimilia, quibus rite perſpectis facili negotio de aliorum monimentorum, eadem ſcriptura exaratorum ætate poterit iudicari. Sane hic character quum maxime ſit internus, & maximam tamen per tot ſæcula ſubierit mutationem: non poteſt non ad cognoſcendam rerum antiquarum ætatem plurimum conferre. Nota ſunt, quæ hac in re tentauit Mabillonius, quippe qui conquiſitis vndique diplomatibus genuinis, eorum ſcriptura litterisque diligenter depictis ac æri inciſis, docuit, quo pacto alia ad illa tanquam Lydium lapidem exigenda

a) MELLEN. *epiſt. de quibusd. num. bract.* p. 21. b) TENZEL. *ſupplem. II. hiſt. Goth. p.* 455. c) OLEAR. *Iſagog. ad numophyl. bracteat. p.* 33. d) SCHLEGEL. *l. c. p.* 40.

Ad Caput II. Partis II. n. 2

Literæ Sec V. et VI.

AC DEFGHILRSSVX

2) *Literæ Sec. VII.*

ACDEFHILMNRVX

Literæ Græcæ Sec. VII.

ΒΓΗΘ INOPCV pro Y

3) *Literæ e Seculo Christi* VIII.

AC EFGG LMM pro NC OPRTVX M vel IMP pro IMP

4) *Literæ Seculi IX.*

MABCLDEEFGHIKLMOPRS vel Z TVXZ

5) *Literæ Sceuli X.*

AAABCLDEFF FFGGGHILMNORRSVXNC (NC pro

6) *Literæ Seculi XI.*

AAAAÆBBCCDDEEEFGGGHHIILLLL

MMMNOoPPQRRRRSSTVvVXÆ (Æ pro Æ

7) *Literæ Seculi XII.*

AAAABCDDEEEEFGGHhhhhILLMM

MMMMNNNOPPRSTTVWXƎEXV pro VS

OR pro OR L pro LVS 9 pro VS ME 7 pro ET

8 *Literæ Seculi* XIII.

AABbCDDDAEGHhhhhILLOMMMNNNO

PPRSTVUUWXXZ vel Z pro ET P pro PER Æ 9 pro VS AM

9.) *Literæ Græcæ hujus Seculi*

A BZE HINOΠCTV pro Y

10. *Literæ Seculi* XIIII.

ABCDAFGHIKLMNOPQRSTVUXÆN ERFAABBCCDE

FGGIIKLmnopqrrSSstmX *Græcæ* ΛΔΕΙΚΛΝΟΠΡCSΤ

11) *Literæ Seculi* XV

ABCDEFGHIKLMNOPQ pro QVE RSTVU IA pro ET

12 *Literæ Seculi* XV *Græcæ*

ΛΑΓΕΗΘΙΚΜΝ ΟΠΡCϤ pro ST Φ ΩΥ

igenda ſint, licet & hic maxime inueniat P. Bartholomæus Germon, quæ carpat. At vero quum alia in diplomatibus, alia in ſigillis obſeruetur ſcribendi ratio: facturi videmur operæ pretium, ſi & nos percurrentes ſæcula, quæ ſingulis litteræ in ſigillis vſitatæ fuerint, declaremus. Id enim e ſigillis, quam numis & codicibus MSC, fieri poterit eo felicius, quo certior illorum quam horum ætas eſt. Subſiſtemus vero in præſenti tantum in ſigillis Græcorum & Latinorum, quum orientalia & rariora ſint, & monogrammatibus plerumque artificioſe connexis conſtent, ex quibus certa alphabeta extrahi vix poſſunt. Liceret forte ſingula litterarum genera propriis quibusdam nominibus vocare: dummodo integrum eſſet in conſilium adhibere Codicem MSC. Leonardi Wirſtelini, alias Hamaxurgi, de quo C. Bruſchius: (a) *Huius Abbatis ætate vixit in cœnobio S. Vlrici* (Auguſtano) *monachus quidam* Leonardus Wirſtelinus, *alias* Hamaxurgus *dictus, ex Sueuorum Menchingo natus, incomparabilis ſcriba, qui librum centum diuerſarum ſcripturarum Latinarum (quarum quamque peculiari proprio & erudito nomine appellauit) anno Domini 1522 Diuo Maximiliano Imperatori dedicauit, quem Abbas huius loci hodie adhuc habet, & mihi inſpiciendum dedit.* Hæc Bruſchius, qui & nomina ſcripturarum ſuo operi inſeruit, in eorum gratiam, qui pingendarum litterarum varietate & elegantia quadam delectantur. Sed quum hæc nomina ſatis barbara ſine ipſarum litterarum inſpectione intelligi non poſſint, non eſt, quod ea hic repetamus.

OBSERVATIONES NONNVLLÆ HVC FACIENTES.

III. Quum vero litterarum diuerſitas oculorum iudicio facillime pateat, conſultum putauimus, omnium ſæculorum, e quibus ſigilla ad nos peruenere, alphabeta in breui veluti tabella delineare, quam iam paucis explicabimus. Quod enim de numis pronunciat Cl. Otto Sperlingius, (b) *eſſe & fuiſſe ſemper numorum linguam & ſcriptionem peculiarem & in multis a vulgari diſcedentem*, idem & de ſigillis ſtatuendum eſſe comperio. Primis ergo ſæculis ad Carolingicæ familiæ interitum vsque litteræ quadratæ in ſigillis adparent, quæ nulla ſui parte a veteri elegantia diſcedunt, ſi excipias litteras A & F, quas in Caroli Calui & Arnulfi Imp. ſigillis non accurate Romanas deprehendi, ſed hoc modo ductas Λf, id quod etiam ſæculo X in ſigillo Arnulfi Comitis Flandriæ apud Oliuarium Vredium notaui. Nondum ergo tunc e ſigillis exulauit elegantior ſcribendi ratio, quæ tamen in inſcriptionibus iſtius ævi, plane euanuiſſe videtur. Si quis enim lapidem Bononienſem a Maluaſia (c) deſcriptum cum ſigillis noſtris contulerit, facile mecum ſtatuet, elegantiæ bonarumque litterarum ſtudium in palatiis, quam in priuatorum ædibus, diutius floruiſſe. Sæculis XI & XII litteræ quadratæ pleræque retentæ fuerunt, niſi quod A in ſuperiore angulo lineola transuerſa notari inciperet, quod ex ipſa tabula elucebit. Formæ etiam E. G. M. & Є. Ϭ. Ϻ. promiſcue vſurpabantur. Sæculo XII inualuerunt etiam hæ formæ ℏ pro H. ℳ pro M. ℙ pro P. At ſæculo XIII litteræ magis rotundæ quam quadratæ eſſe cœperunt. Tunc enim vſurpata ſunt U pro V. ℕ pro N. ℂ pro C. Ɛ pro E. ℴ pro M. Dici non poteſt quam cito hæc noua ſcribendi ratio orbem Chriſtianum peruaſerit. Eodem enim ineunte ſæculo in Gallia æque ac Dania numos rotundis eiusmodi litteris inſcribi cœpiſſe, cum antea characteres Romani Gallici vbique viguiſſent, auctor eſt is, qui Muſeum Regium Danicum deſcripſit. (d) Sæculo denique XIV litteræ Latinæ vix quidquam habent quadratis ſimile & magis ad Germanicam, quam vocant, fracturam accedunt, cuius rei originem e monachorum ſcribendi ratione petendam arbitror, qui tachygraphiæ ſtudentes hanc litterarum formam maxime habuerunt in deliciis.

OBSERVATIONES DE DIPHTHONGIS.

IV. Videndum etiam de diphthongis, de quibus maxima ſæpe eſt inter Criticos contentio. Et ſæculis quidem IIX, IX, X, & XI diphthongos in ſcripturis fuiſſe retentas, tot diplomata docent, ex quibus & id liquet, quod Æ non aliter quam ſeparatim fuerit exaratum ae, aut vnica littera ę cum virgula, quod & in littera maiuſcula E nonnunquam vidi obſeruatum. Sed num idem in ſigillis factitatum? Id quidem certo haud affirmauerim. Quum nondum ſe mihi obtulerit ſigillum hoc ævo adpenſum, in quo vel diphthongus occurrat, vel in locum illius alia littera ſit ſubrogata. In formulis enim Χρε *protege*, *Dei gra Rex* &c. non eſt locus diphthongo. Certius compertum habeo ſæculo XII & ſequentibus a diphthongorum vſu ſculptores abhorruiſſe. Licet enim in diplomatibus adhuc aliquandiu retinerentur, in

a) BRVSCH. *Chronol. Monaſt. p. 505.* b) SPERLING. *p. 32. de num. bracteat. orig.* c) MALVAS. *Marm. Felſ. ſect. 9. c. 5. p. 572.* d) *Auctar. Muſ. Reg. Dan. p. 70. 71.*

ſigillis tamen ſemper loco AE eſt E. e. g. ✠. HENRICVS DEI GRA. DVX BAVVARIE ⁊ SAXONIE, id quod ex innumeris ſequioris ævi ſigillis elucet. Nec tamen plane deſunt exempla diphthongorum in ſigillis obuiorum. Oliuarius enim Vredius (a) bina ſuppeditat ſigilla, alterum Roberti Friſonis anno 1072, alterum Caroli Boni anno 1122 Comitum Flandriæ, in quibus diphthongus AE vnica nota Æ exprimitur. En enim ipſas inſcriptiones: ✠. SIGILLVM ROTBERTI COMITIS FLANDRIÆ. KAROL. COMES FLANDRIE ET FILIꝰ REGIS DACIÆ. Vbi in poſteriore id eſt notatu digniſſimum, quod idem caſus Genitiuus in voce *Flandriæ* per E, in altera *Daciæ* per Æ ſcribitur, id quod argumento eſt, vſum τῶν Æ & E initio fuiſſe promiſcuum ac deinde τὸ Æ plane obſoleuiſſe.

OBSERVATIONES DE ABBREVIATVRIS.

V. Magnum etiam vſum antiquitatum ſtudioſus capiet ex compendiis litterarum & vocibus abbreuiatis, quæ noſſe eius multum intereſt, qui antiqua monimenta explicare cupit. Sæpe igitur (I) binæ vel plures litteræ connexæ ac veluti in vnum contractæ ſunt, quarum ductus quum operæ exprimere non poſſint, in tabula quærendæ ſunt. Sic vox IMP. in ſigillo Caroli Craſſi vnica litera M cum curuatura dextro fulcro adiecta, ſcripta adparet, ita vt fulcrum ſiniſtrum litteram I, dextrum cum curuatura P ſimul præſtet. Eodem pacto M & E, V & S, T & H, M & P, A & L, multæque aliæ litteræ contrahuntur, id quod etiam in multis veterum Inſcriptionibus fieri obſeruat Reineſius. (b) (II) Aliquando loco vocum, ſyllabarum aut litterarum nuda ponuntur ſigna, ſi forte ſpatium ipſas litteras non capiat. Notiſſimum eſt omiſſa N vel M ſuppleri hodienum lineola literæ anteriori impoſita. Id iam antiquitus factum conſtat, vbi tamen obſeruandum, (c) Carolingorum ævo lineolam hanc non in capite, ſed ad latus litterarum collocari conſueuiſſe hoc modo: XPE PROTEGE HLVDOVVICVM IMPERATORE. Poſt hæc tamen tempora frequentius capiti litterarum imponi cœpit, ita tamen, vt littera illa, cui imponebatur, ſæpe minor ceteris eſſet, e. g. PR̄CPS DE ANEHALT. SIGILL V̄ &c. Vbi porro obſeruandum eſt, crebro etiam alias litteras, quibus lineola non eſt impoſita, ceteris eſſe minores. In ſigillo ROBerti Friſonis Comitis Flandriæ anno 1702 vocales O & V ſemper ceteris ſunt breuiores hoc modo: SIGILL V̄ RoBERTI CoMITIS IvNIoRIS, alibi legere me memini: GRATIA. Quod facile condonandum videtur ſequiori ævo, quum & antiquæ inſcriptiones nonnunquam minores immo & curſiuas litteras quadratis miſceant. Scaliger enim hoc deſcribit monumentum:

D. M.
SANDALIVS. DICIt.
AMBVLA. SAEQVERE.
ME. CVM. OENVFORV
CVM. CaLICE. Et
tAPANtIONE.

Iam vt ad compendia litterarum tranſeamus, notiſſimum eſt ſignum 9, quod pro VS frequentiſſime in ſigillis etiam occurrit, ita vt ſuperiori parti litteræ vltimæ adiiciatur hoc modo: FERNANDꝰ. BALDVINꝰ. nonnunquam etiam in medio vocum e. g. AVGꝰSTI pro AVGVSTI. Id tamen non ſemper fit, ſed & alia in promtu fuit nota, qua abſentem ſyllabam vltimam ſupplerent, virgula nimirum aut ipſi litteræ annexa, aut ad latus poſita. Sic KAROLꝰ ſcripſere pro KAROLVS. SIGILLꝰ pro SIGILLVM, MECHTHILDꝰ pro MECHTHILDIS. IMPR̄ pro IMPERATOR. BALDꝰ pro BALDVINVS. Peculiaris quoque eſt nota ⊃ quæ pro ET in numis quoque ac ſigillis hinc inde occurrit, pro qua in ſigillo alio deprehendi notam, quæ duabus notis numeralibus binariis ſibi invicem impoſitis proxime accedebat. (III) Haut raro etiam non nullas litteras, quarum abſentia legentem non magnopere turbare videbatur, deficiente ſpatio abeſſe iuſſerunt. Sic e. g. DI. GRA ſcripſere pro DEI GRATIA. IMPR. pro IMPERATOR, AVGS pro AVGVSTVS, IMPRX pro IMPERATRIX, XPE pro

a) OLIV. VRED. *de ſigill. Comit. Flandr. p. 6. & 10.* b) REINES. *epiſt. 41. ad Hoffmann.* c) MABILLON. *p. 395. tab. 26. & 28, Vindic. Conring. p. 101.*

pro XPISTE, EPS pro EPISCOPVS, PMOGENITVS, pro PRIMOGENITVS, COMITTES pro COMITES, ECCLIE pro ECCLESIE, SCI pro SANCTI, HERICVS pro HENRICVS, PPOSITI pro PRÆPOSITI, FRTRVM pro FRATRVM, APLORVM pro APOSTOLORVM, LIQVSTI pro LIQVISTI, BAPTO pro BAPTIZO, DNI pro DOMINI, ROBTI pro ROBERTI. FRACORVM pro FRANCORVM, IHV pro IESV, FRIDICI pro FRIDRICI. IERLM pro IERVSALEM, PBRI pro PRESBYTERI. (4) Inter abbreuiaturas etiam retuleris, si quando tota vox vnica littera, aut binis notatur, veluti quando P. lineola transuersa traiectum ponitur pro PER. S. pro SIGILLVM. PA. pro PAVLVS. PE. pro PETRVS. PP. pro PAPA, P. cum cauda pro PRO &c.

OBSERV. DE INTERPVNCTIONE.

VI. Porro interpungendi distinguendique rationem singulis sæculis vsitatam quantum cognosse expedit? Notum est, Salmasium (a) distinctiones tanquam characterem quendam, ex quo de Codicum MSC ætate possit iudicari, agnouisse. Quemadmodum vero & in MSCtis & in Inscriptionibus magna in eo apparet diuersitas, ita & in sigillis non eadem est interpungendi ratio: Merouingorum æuo verba plerumque interpungere omiserunt. At Carolingi in suis sigillis antiquum reuocarunt morem, singula verba punctis distinguendi, quæ a Cicerone (b) *interpuncta verborum* vocantur. Qua de re etiam Seneca: (c) *Nos etiam*, inquit, *cum scribimus, interpungere consueuimus.* Sunt tamen etiam sigilla, in quibus nullis plane punctis verba distinguuntur, præcipue ea, quæ sæculo XI & sequenti prodierunt. In aliis singula verba binis punctis, quæ colon vocant, distinguuntur, immo nonnunquam singulis vocibus interiecta tria puncta hoc modo: ✠ S) GVIDONIS⁝ COMITIS⁝ FLANDRIE⁝ ET⁝ MARCHIONIS⁝ NAMVCEN⁝ Alias & rosæ loco punctorum adparent vel singulæ vel binæ: e. g. *SIGILLVM ❀ LVDOVICI ❀ COMITIS ❀ FLANDRIE ❀ NIVERNEN ❀ ET ❀ REGISTETEN. In calce Inscriptionis punctum sæpe omittitur, eiusque locum nonnunquam occupat lilium, stella vel aliud quidquam eiusmodi: Immo sunt sigillorum perigraphæ, in quibus & singulæ litteræ flore vel lilio distinguuntur. Commata vero ceteraque distinctionis signa penitus e sigillis exulant, quippe quæ licet veteribus non plane incognita, vix tamen fuere vsitata.

OBSERVATIONES DE ORTHOGRAPHIA.

VII. Ad ipsam orthographiam quod attinet, eius quoque cognitio haut parum facere videtur ad monimentorum ætatem rite diiudicandam. Quantum enim ingenia hominum, tantum & scribendi leges mutari cœperunt, vt constet nihil esse in vita mortalium stabile, aut perpetuum. Pauca hæc notare licebit. Primo igitur in Merouingorum sigillis quanquam litteræ parum a Romanis quadratis aberrant, in eo tamen habent quidquam singulare, quod vocem GRACIA per C scribant, id quod ex Dagoberti præcipue sigillis liquet: quod & in inferioris æui sigillis sæpius occurrit. Carolingorum æuo veluti propria sunt XPE pro CHRISTE, HLVDEVVICVS & HLOTHARIVS pro LVDOVICVS & LOTHARIVS. KAROLVS pro CAROLVS. ARNOLFVS pro ARNOLPHVS, quamquam & hoc iam sæculo X inueniamus. Cetera, si quis obseruare ipse voluerit, eum non dubitamus operæ pretium facturum. Huius generis sunt hæc APVT pro APVD, MICHI pro MIHI, LANTHGRAVIVS pro LANDGRAVIVS, FRITHERICVS pro FRIDERICVS, MARCIONISSA pro MARCHIONISSA, ASGARIA pro ASCHARIA, BONIFATIVS pro BONIFACIVS, RVDOLPVS pro RVDOLPHVS, RIGENBERGH pro RICHENBERG, SIGILVM pro SIGILLVM, MARESCALLVS pro MARSCHALLVS, WENCEZLAVS pro WENCESLAVS, BERC pro BERG, SVARXBVRC pro SCHWARZBVRG, BVRCRAVIVS pro BVRGGRAVIVS, aliaque huius generis plura, quæ ipse lector curiosus priuata industria facile colliget.

a) SALMAS. *epist. ad Sarrav. conf.* STRVV. *Acta litter. fascic. 1. de criter. MSC. §. 15. p. 17.* b) CIC. *cap. 46. de Orat.* c) SENECA *epist. 40.*

E SIGILLIS GENVINA NOMINA RESTITVENDA.

VIII. At maxime se sigillorum vtilitas exserit in genuinis antiquorum Principum Ciuitatumque nominibus constituendis emendandisque. Quum enim ea nosse curiosi sua multum interesse existiment: non possum non sigilla magnifacere, e quibus ea quam optime discimus. Magnam ab antiquitatum studiosis gratiam inierunt illustr. Ezechiel Spanhemius (a) & Vaillantius, (b) dum e numis genuina NICATORIS, DIONYSI, ΔΗΜΕΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, ANTIOCHI ΘΕΟΥ, ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΖΕΒΕΝΝΟΥΣ ΒΟΛΟΓΑΣΟΥ, ΑΒΓΑΡΟΥ, aliaque innumera restituerunt. Idem in mediæ quoque ætatis nominibus e sigillis fieri poterit haut minore cum fructu. Quum enim antiqua Græcorum Orientaliumque nomina aut ex voto aut boni ominis causſa essent indita, (c) atque adeo semper natales suos patriæ linguæ deberent, quæ a posteris etiam non corrupta intelligebantur facillime; nescio quo fato factum sit, vt nos præcipue Germani, qui dudum cum maioribus loqui dedidicimus, vix vllius antiqui nominis originem habeamus certam exploratamque, sed illas patrii sermonis reliquias non magis, quam Sinensium Afrorumque linguas, hodie intelligamus. Edidit Goldastus (d) e vetustissimo codice San-Gallienſi prolixum Catalogum Nominum propriorum, quibus Alamanni quondam adpellati. Ea si quis paullo attentius adspiciat, mirabitur sane orbem tam cito factum esse alium, vt posteri maiores non capiant amplius. Vnde Ioachimus Vadianus: (e) *Atque hic*, inquit, *iterum sese offerunt Germanica testium nomina, aspera quidem & ipso sono horrorem quendam præferentia, sed quæ ipsa tamen Germanis non minus apte significarint, quam Græca Græcis & Latina Latinis. Non temere enim, sed ratione, & de natura moribusque enata causſa imposita sunt, quanquam originem & etymologiam in multis hodie perdifficile sit deprehendere propter vitiata longo abusu nomina, & mutatam a posteris scribendi rationem. De qua re libro rerum Germanicarum tertio scite ab Rhenano est proditum.* Hæc quum ita sint, operæ sane pretium est, e sigillis in primam inquirere nominum propriorum orthographiam, dependentemque inde pronunciationem, qua inuenta facilius de etymologia poterit iudicari. Antiquos enim linguam suam calluisse, atque adeo nobis melius sua verba exprimere valuisse, ipsa ratio suadet, quum illi proprietatis, nos soni ac elegantiæ potius habeamus rationem. Sic KAROLVS procul dubio propius accedit ad antiquam pronunciationem & originem quam CAROLVS, HLVDEVVICVS, quam LVDOVICVS, HLOTHARIVS quam LOTARIVS, CVONRADVS & CHVONRADVS, quam CONRADVS, HEINRICVS quam HENRICVS aut HINRICVS, ADELBERTVS quam ALBERTVS aut ALBRECHTVS, WILLELMVS aut GVILLELMVS quam WILHELMVS, HEZIL quam ETHELO, ROTBERTVS aut RODBERTVS quam ROBERTVS aut RVPERTVS. THIODORICVS aut THEODERICVS quam DITERICVS. Eadem vtilitas in prouinciis etiam & vrbibus obseruatur, quarum *nomina* cum antiqui enunciarent simplicius, posteri ad Romanam analogiam magis composuere, quo factum est, vt pleræque suum genuinum nomen ignorent. Manifestum id est ex voce *Ascania*, qua Comitatus Aschersleb ienſis hodie in Anhaltinorum Principum titulo notatur. Quas coniecturas inde de Ascenate, Ascanio, Ascaniisque arripuerint Brotuffius, Peucerus, Spangenbergius, Albinus, Auctor Vindiciarum Anhaltinarum, Dresserus & Reineccius aliique huius commatis historici, dudum explosere Pfannerus (f) & Sagittarius (g) cuius hic verba repeto: *Quia enim caput huius comitatus ac vrbs primaria idiomate Teuthonico non Ascania, sed Aschersleb ium vocatur; fortean coniecturæ foret locus, Aschersleb ienſem comitatum olim audiisse, qui postea antiquiori ac elegantiori vocabulo Comitatus Ascaniæ dici cœperit.* Hanc vero Sagittarii sententiam non coniectura, sed ipsa rei veritate niti, non modo e diplomatibus, verum etiam sigillis probauit Dominus Knauthius. Bernhardus enim Alberti Vrsi filius initio hac perigraphe vsus est in sigillis: BERNHARDVS DEI GRATIA COMES ASCHERSLEVE postea quam vero Ducatu Saxoniæ auctus est, hanc sigillis incidit inscriptionem: BERNHARDVS DVX SAXONIE ANGRIE WESTFALIE, COMES ASHERSLEVE. Eadem sigilla docent postea adhibitas voces ASCARIE, ASGARIE, ASHARIE, donec tandem ASCANIA antiquius elegantiusque vocabulum enatum sit. Sic & arcem Anhaltinam olim ANEHALT

a) SPANHEM. *de vsu & præstant. numism. p. 85. 375. 399. 460. 86. 425.* b) VAILLANT. *de numism. Reg. Syr. passim.* c) HIER. WOLFF. *ad Isocr. panegyr. p. 286.* d) GOLDAST. *tom. 2. part. 1. Antiqv. Alam. p. 92. sqq.* e) VADIAN. *lib. 2. de collegiis & monast. p. 44.* f) PFANNER. *de præcip. Princip. Germ. gentib. c. 10.* g) SAGITT. *Hist. Princip. Anhalt. cap. 1. n. 5.*

HALT & ANAHALT audiuiſſe, ex iisdem ſigillis ſcimus. Quid? quod ſigilla nonnunquam nomina penitus amiſſa ac plebis peruerſa pronunciatione in alium plane ſonum detorta feliciter reſtituant. Eſt in vicinia ſplendidum ſatis monaſterium Richenbergenſe, cuius originem ac fata in antiquitatibus noſtris Goslarienſibus cum cura deſcripſimus. Id ab aliquot ſæculis vix aliter vocatum video, quam *Reifenberg* aut *Rifenberg*, quum tamen ſigilla æque ac diplomata genuinum nomen RICHENBERG inculcent, quod paullatim nunc veluti renaſci incipit. Dania, quod hodie vocatur regnum, olim Daciam audiuiſſe plura teſtantur auctorum teſtimonia, ſed quum ea fere non adeo antiqua ſint, plerique eruditi ſequioris æui ignorantiæ aut κακοζηλίᾳ hoc tribuunt. At e ſigillis (a) conſtat, iam ineunte ſæculo XII id fuiſſe frequentiſſimum. Vnde malim ſtatuere, hoc nomen ex antiqua pronunciatione **danßko**, quam ex auctorum ignorantia, eſſe profectum. Sic comitatus, qui hodie HANNONIA vulgo *Hennegau* audit, olim in ſigillis vocabatur HAINOIA, Namurcum NAMVCVM, *Brunsviga* BRVNESVVIC, Francofurtum FRANKENOFVRT, Stolberga STALBERG, Hildeſia HILDENESHEIM, Bamberga BABENBERG, Eichſtetum EISTETVM, Lubeca LVBICE, Numburgum NVENBVRGVM vel NVWENBVRGVM, Dresda DRESEDENE, Eiſenberga YSEMBERC vel ISENBERG. Haut raro in ſcriptoribus antiquis ſe offerunt vrbium nomina, quæ qualibus hodie ſint tribuenda, non ſatis claret. Hic quoque ſigilla ſe commendabunt. Auctor eſt Gregorius Turonenſis, (b) *Chlogionem vtilem ac nobiliſſimum in gente ſua Regem Francorum fuiſſe, qui apud Diſpargum caſtrum habitauerit, quod ſit in termino Thoringorum.* Dici non poteſt, quantopere inter eruditos de hoc caſtro Diſpargo ſit diſputatum. Wendelinus de natali ſolo Legum Salicarum (c) & Henſchenius, (d) per Diſpargum intelligunt Diſthemium Brabantinam. Bucherius (e) Heinsbergam Iuliæ oppidum, Browerus (f) Dielesburgum in ſylva ſagonia, Gelenius (g) Deſenbergam in Weſtphalia, alii Dœsborch ad Iſalam, Petauius (h) denique, Auctor monum. Paderbornenſ. (i) Sagittarius (k) Duisburgum ad Rhenum. At ab his omnibus diſcedit Chiffletius, qui cum in Lumine I. Salico cum Henſchenio & Wendelino feciſſet, mutata poſtea ſententia in Anaſtaſi Childerici (l) Diſpargum explicare mauult de Deuſonis caſtro ad Furam in Brabantia, tum quia nomen quadret, tum quia caſtrum ibi olim exſtitiſſe conſtet. Probat hoc ſigillo iſtius municipii, exhibente caſtrum cum duobus vexillis & inſcriptione: ✠ S. SCABINORVM DE DVSEBORCH. Quo ſigillo fretus Chiffletius ita ſuam ſententiam prodit: *Habemus ergo Duisburgum caſtrum, habemus eiusdem ſigilla vetuſtiſſima; conſtat etiam ſitum olim vel in ipſa Tungrenſi Diœceſi vel ſaltem in confinio, vt plane poſſimus affirmare, fuiſſe Disbargum ſeu Diſpargum caſtrum, in quo Rex Clodio habitauit, ſedemque primum regni Francici conſtituit.* Noſtrum quidem hic non eſt, tantas componere lites. Vel hoc tamen exemplo liquet, quid ſigilla ad reſtituenda antiqua nomina conferant, & geographiam etiam mediæ ætatis hinc inde illuſtrandam. Sed quorſum mea ſe diffundit oratio? Charta me credo deſtitueret, ſi omnia, quæ de propriis nominibus e ſigillis obſeruari poſſent, hic prolixius vellem perſequi. Habebunt hic, in quo ſuam exerceant induſtriam ii, quibus antiquam patriæ linguam, e buſto veluti reuocare curæ cordique eſt, qui ſe ſane multum ſigillis non minus, quam diplomatibus aut numis iuuari experiundo diſcent.

CAPVT TERTIVM.

DE VSV SIGILLORVM HISTORICO.

I. Hiſtoria e numis adhuc egregie illuſtrata eſt.

II. At numi Hiſtoriam antiquam tantum illuſtrant, ſigilla etiam mediam.

III. Hiſtoria Sanctorum e ſigillis illuſtratur.

IV. Eccleſiæ facies etiam e ſigillis elucet.

V. Eccleſiarum origines e ſigillis diſcuntur. Vt & conuerſiones Gentium.

VI. Ciuilem hiſtoriam e ſigillis illuſtrari, teſtimoniis docetur.

VII. Vſus ſigillorum in genealogia patet ex inſcriptionibus.

a) OLIV. VRED. *p. 10. 11.* b) GREG. TVR. *Hiſt. lib. 2. c. 9.* c) WENDEL. *de natali ſolo LL. Salic. cap. 14.* d) HENSCHEN. *diatrib. de trib. Dagob. lib. 4. cap. 8. p. 246.* e) BVCHER. *lib. 15. Belg. Rom. c. 10.* f) BROWER. *lib. 1. Antiqu. Fuld. c. 2.* g) GELEN. *in hierotheca Engelbertina.* h) PETAV. *Part. 1. Rat. Temp. lib. 6. c. 13.* i) *Monum. Paderb. p. 156. ſq.* k) SAGIT. *de regn. Thur. lib. 2. cap. 2. p. 148.* l) CHIFFLET. *cap. 1. p. 7. ſq.*

VIII. Idem vſus ſe prodit in ſcutis gentilitiis.
IX. Hiſtoria Principum e ſigillis illuſtrata.
X. Sigilla docent prouinciarum inter fratres diuiſionem. Obſeruatio de titulis antiquorum.
XI. Vſus ſigillorum in ſtudio antiquitatum.
XII. Ritus quidam ſacri in ſigillis exhibiti. Obſeruatio de mitra Epiſcopali.
XIII. Obſeruationes de barba Clericorum.
XIV. Arma varia in ſigillis exhibita, veluti vexilla. Obſeruationes de Gonfanonibus.
XV. Obſeruationes de gladiis & calcaribus.
XVI. Obſeruationes de clypeis.
XVII. Obſeruationes de thoracibus & loricis.
XIIX. Obſeruationes de chirothecis & ocreis.
XIX. Obſeruationes de ornamentis equorum apud veteres. Antiqui ſine fræno, ſtapiis & ephippiis equitarunt. Equi veſtiti.
XX. Res veſtiaria medii ævi e ſigillis petenda. Obſeruationes de tunicis longioribus. Coronarum forma varia in ſigillis ſpectatur. Vt & pileorum. Obſeruationes de capillis & barbis. Obſeruationes de palliis. Obſeruationes de habitu illuſtrium feminarum.
XXI. Sigilla num etiam Architecto proſint?
XXII. Vtenſilia in ſigillis obuia.
XXIII. Effigies ſummorum virorum ad virtutem inflammant.
XXIV. Num ſigilla Principum vultus exacte referant?

I.

HISTORIA E NVMIS ADHVC EGREGIE ILLVSTRATA EST.

MAgnam adhuc gloriam conſequuti ſunt ii, qui hiſtoriam variarum gentium numis illuſtrare, eaque, quæ a vetuſtis Scriptoribus memoriæ ſunt prodita, ex iis aut confirmare aut ſupplere ſuſtinuerunt. Id enim inde vtilitatis ad orbem litterarium rediit, (a) vt ea, quæ Scriptores retulerant, multo certiora inpoſterum ſint, & multa præterea quotidie emergant in lucem, quæ, absque numis ſi eſſemus, plane ignoraremus. Quantum incrementi Romanæ hiſtoriæ dederunt numi a ſexcentis collecti? quantum hiſtoriæ Syriacæ & Ægyptiæ numi Vaillantii, Herodianæ numi Harduini? Quid in hiſtoria Parthica eſſemus ignoraturi, ſi Wagnero Arſacidum hiſtoriam numis illuſtratam perpolire per mortem licuiſſet? Quantum eſſet quæſo, quod de antiquorum ſacris ritibus, de eorum armis, ſupellectile domeſtica, ſacrificiis, templis ac Deorum ſimulacris compertum haberemus, niſi ea in numis nobis ſeruata eſſent? Iam chronologiæ & geographiæ, quas duas hiſtoriæ alas iure meritoque appellaueris, quantum in numis præſidii eſt? Docent id Noriſii, Pagi ac Harduini labores, qui vel ex ſolis Actis Eruditorum Lipſienſibus non ignoti poſſunt eſſe curioſis.

AT NVMI HISTORIAM ANTIQVAM TANTVM ILLVSTRANT, SIGILLA ETIAM MEDIAM.

II. Attamen aut fallor ego, aut propria hæc laus eſt numis antiquis & modernis, nec ad mediæ ætatis numiſmata pertinet, quæ & maxime ſæpius ſunt ſterilia, & ob omiſſas notas chronologicas admodum obſcura. Tentauit quidem le Blanc hiſtoriam Regum Franciæ, Tenzelius hiſtoriam Moguntinam, Mellenius Hiſtoriam Regum Vngariæ atque Imperatorum Romano-Germanicorum eodem pacto numis illuſtrare: ſed quum in ſterili meſſe verſarentur, ſæpius neceſſe habuere, numos ex hiſtoria, quam hiſtoriam e numis illuſtrare. Verum hunc defectum ſupplebunt quam maxime ſigilla, quæ quantum vſum in hiſtoria præſtare poſſint, paucis dicemus.

HISTORIA SANCTORVM E SIGILLIS ILLVSTRATVR.

II. Primo igitur inſignem ſibi inde vtilitatem polliceri poſſunt ii, qui hiſtoriam ſacram amant. Habebunt hic multas Sanctorum imagines, quorum hiſtoriam & martyria eo maiore iucunditate e numis perdiſcent, quo certius firmiusque ea, quæ videmus, quam quæ legimus, animo inſident. Non enim putandum eſt, nudas tantum Sanctorum imagines, quod in numis fieri ſolet, hic oſtendi, ſed plerumque ex eorum hiſtoria aliquid additur, quod ſcitu dignum eſt. Sic ſi quis Abdonis & Sennis capita in Ringelheimenſium ſigillis intuebitur, (*) ſtatim e coronis notabit, martyres hosce Regulos fuiſſe Chriſtianos, quod & martyrologia docent. Ex palmis in Sanctorum manibus conſpectis quiuis iudicabit, eos martyres eſſe. Sed ſi abſolutiſſimam Sancti cuiusdam hiſtoriam in ſigillo expoſitam deſideras, en ſigillum Eccleſiæ S. Ægidii Brunſuicenſis iam (**) ſupra deſcriptum. Habes hic S. Ægidium miſſificantis habitu, coram altari calice libroque inſtructo ſtantem, cum lemmate: S. EGIDIVS, pone quem in genua prouolutus ſe ſiſtit Rex, quem Carolum Martellum eſſe ex addita inſcriptione: KAROLVS REX, conſtat, cuius manibus adſcriptum AVE MARIA, vt preces eum recitare ſcias. Pone hunc ſubſiſtunt bini monachi, ad miſſam ſeruientes: Supra altare denique Angelus

a) *Vid.* SPANHEM. *diſſ. 5. 6. 7. de vſu & præſtant. numiſ.* *) *TAB. XV. n. 8.* **) *TAB. XV. n. 4.*

Angelus volans ſchedam tenet, cui inſcriptum: DIMISSVM PECCATVM. Perigraphe primaria his abſoluitur: SIGILLVM ECCLIE S. EGIDII IN BRVNESWICH. Poterat ne hiſtoria Ægidii dilucidius omnium oculis exponi? Quæ omnia vt rectius intelligat Lector, audiemus Vincentium Bellouacenſem: (a) *Huius ergo* (Sancti Ægidii) *famam Rex Carolus audiens, & ab eo viſitari deſiderans, impetrato eius aduentu, ab eo reuerenter eſt exceptus, cumque interloquendo Rex rogauit, vt pro ſe dignanter oraret, quia quoddam facinus fecerat, quod nulli vnquam, nec ipſi Sancto, confiteri audebat. Sequenti itaque dominica dum Sanctus Egidius celebrans pro Rege oraret, adparuit ei angelus Domini, ſuper altari cedulam ponens, in qua ſcriptum erat per ordinem & Regis peccatum, & Egidi precibus iam dimiſſum, ſi tamen eius pœniteret, & ab eo ceſſaret. Adiunctum quoque erat in fine, quod quisquis ſanctum Egidium pro quocunque commiſſo inuocaret, ſi tantum ab illo deſiſteret, remiſſum ſibi a Deo eſſe procul dubio crederet. Oblata ergo Regi cedula, Rex agnito peccato ſuo procidens veniam petiit.* Quamuis igitur hæc ſiue fabula, ſiue legenda haut parum ſuſpecta videatur cordatis, nec male iudicent Centuriatores Magdeburgici, ſi cetera, quæ de Ægidio referuntur, vera ſint, certo ſtatuendum, illum delirum & ſtolidum hominem fuiſſe: iuuabit tamen & ſuperſtitioſas de Sanctis fabulas noſſe, atque ex illis de ſæculorum iſtorum infelicitate iudicare.

ECCLESIÆ FACIES ETIAM E SIGILLIS ELVCET.

IV. Pontificum bullæ ſemper admonebunt hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudioſum & de priſtina Romanæ eccleſiæ integritate, & de inſecuta lamentabili corruptione. Nunquam intuebitur capita Petri & Pauli, quin antiquorum modeſtiam laudet, quibus adeo nihil de Petri cathedra Romæ conſtituta, deque eius dominatu conſtitit, vt Paulum ei ad dextram locarent. Quantumuis enim ſe torqueant Pontificii, vt veriſimilem huius rei rationem excogitent, nihil tamen adhuc præter nugas egerunt. Videbit præterea, pontificum ſigilla nihil habere, quod aut decantatum illum totius orbis primatum, aut monarchiam indicet. Quod licet & ſequiores pontifices ſint imitati, id tamen non alia ratione fecerunt, quam ne a maiorum ſuorum veſtigiis diſcedere viderentur. At æque mirabitur in ſequioris ævi ſigillis creſcentis in dies & ad faſtigium contendentis pontificii dominatus veſtigia. Quid enim ſibi aliter volunt pontificum imagines clauem e cœlo protenſam arripientes, quam id ſibi ſoli tribuere iam cœpiſſe pontifices, quod cum aliis Chriſti miniſtris olim habebant commune. Quo ſpectant inſcriptiones: QVOD NECTES NECTAM, QVOD SOLVES IPSE RESOLVAM. item TV PRO ME NAVEM LIQVISTI SVSCIPE CLAVEM. Prior enim eodem iure ad omnes Chriſti miniſtros & rerum diuinarum diſpenſatores pertinens, a Papa ſibi ſoli arrogatur, manifeſto iniuſti dominatus argumento. Poſterior vero præterea etiam opinionem de merito bonorum operum iam tum pullulantem inculcat. Quaſi enim Chriſtus ideo clauem tribuiſſet Petro, quod nauem reliquerit, aut quaſi cum claue aliquod dominium ac non potius miniſterium ſit conſequutus. De eadem corruptione eccleſiæ teſtabitur precationis formula AVE MARIA non raro in ſigillis eccleſiarum obuia, hominum imagines coram ſanctis procumbentes atque orantes, ſancti tutelares vrbium in turrium mœniumque faſtigiis tanquam ad cuſtodiam diſpoſiti, palmæ ſacram peregrinationem indicantes, cuius rei iam ſupra e Vredii ſigillis exempla bina adduximus.

ECCLESIARVM ORIGINES E SIGILLIS DISCVNTVR.

V. Eiusdem hiſtoriæ ſacræ ſtudioſi intereſt ſcire eccleſiarum origines & fundationes, quæ licet e diplomatibus multo accuratius & certius diſci poſſint, ſæpe tamen fundationum diplomata, quæ vocant, perierunt, nec quidquam præter incertas traditiones ſupereſt. At in alio forte diplomate conſeruatum eſt ſigillum huius eccleſiæ, in quo origo eius memoriæ perenni conſecrata reperitur. Tale quid euenit mihi in inquirenda origine Eccleſiæ Montis S. Petri Goslarienſis, de qua quum diu fruſtra laboraſſem, atque ipſum fundationis diploma ætatem non tuliſſet, omnem demum dubitationem mihi exemit ſigillum huius eccleſiæ antiquiſſimum, in quo prouoluta in genua Regina offert S. Petro templum binis turribus inſtructum, cui adſcriptum: AGNES IMPX. Quum igitur diplomata etiam Agnetis Henrici III. Coniugis liberalitatem in hanc eccleſiam prædicarent, nihil amplius reſtabat dubii, quin illa Fundatrix eſſet. Sic aquilæ & coronæ eccleſiarum ſigillis additæ nihil declarabunt aliud, quam a Cæſare, aut Rege eccleſiam eſſe conditam idque ſupra aliquot exemplis demonſtrauimus. Denique & de conuerſione gentium aliquando ſigilla teſtantur. Iam ante deſcripſimus ſigillum (*) Alberti I. Epiſcopi Rigenſis, in quo prope ſtantem epiſcopum & baptizan-

VT ET CONVERSIONES GENTIVM.

rem,

a) VINCENT. BELLOV. *Spec. lib. 24. c. 140. tom. II.* *) *TAB. XIII. n. 9.*

tem, Pruſſi & Liuones ad templa orant cum inſcriptione: PRIE & LIVO, in inferiore parte Eſthonibus in aqua conſtitutis atque baptiſmum veluti exſpectantibus imminet Spiritus S cum lemmate: ESTONI. Perigraphen paullo obſcuriorem nos ita iam ſupra explicauimus: S. ALBT. DI GRA. EPISCOP. LIVONIEN. BAPTiZO GEnTES QVARVm cOR ABLVO MEnTES. Nemo non videt, conuerſionem gentis Liuonicæ hic indigitari. Nihil enim aliud ſibi vult vas aquaticum, quod Archiepiſcopus manu geſtat, nihil aliud viri ad templa orantes, nihil aliud Spiritus S. Eſthonibus imminens, nihil denique aliud Eſthones aquæ inſiſtentes, vt de verſu taceam:

Baptizo gentes quarum cor abluo, mentes,

qui quomodocunque ſe habeat, de nulla re alia, quam de hac conuerſione poterit explicari. Fuit hic Albertus I domo Buxhofdanus, Canonicus Bremenſis, qui poſt Meinhardum & Bartholdum Rigenſem cathedram tenuit. Quamuis vero primus Liuones Chriſtum docuerit Meinhardus, (a) quippe cuius ſepulcro Rigæ adſcriptum:

Hac ſunt in foſſa Meinhardi *præſulis oſſa.*
Nobis PRIMO FIDEM DEDIT *annis quatuor idem,*
Actis millenis centenis nonaquegenis
Annis cum ſenis hic ab his it ad æthera pœnis.

Albertus tamen, quæ anteceſſores inchoauerant, perfecit, totamque Liuoniam, neſcio an ſatis Apoſtolico convertendi ritu, ad Chriſtum pertraxit. Gladio ſane Pauli non minus, quam Petri clauibus vſum eum eſſe memoriæ prodidit Arnoldus Lubecenſis, (b) cuius verba, quum maxime ſigillum noſtrum illuſtrent, hic repeto: *Poſthæc Dominus Albertus, Bremenſis Canonicus in ſedem defuncti ſublimatus eſt. Qui quum adhuc iuuenili floreret ætate, magna morum pollebat maturitate. Et quia vir parentatus erat, ornatus fratribus & amicis, in vinea Domini cooperatores habuit plurimos. Nec facile exprimere potero, quantam inuenerit gratiam apud Reges & Magnates, qui ei cooperabantur pecuniis, armis, nauibus, victualibus,* (quis quæſo Apoſtolis hæc arma carnalia ſuppeditauit?) *inter quos Dominus Andreas Archiepiſcopus Lundenſis, Bernhardus Pachelburgenſis, Iſo quoque Verdenſis manus ſuas domino conſecrauerunt. Obtinuerat etiam a ſede Apoſtolica, vt ſi quos inueniſſet viros religioſos, ſiue de Ordine Monachorum ſiue Regularium Canonicorum, vel aliorum Religioſorum, ipſos ſuo labori cooperatores efficeret. Vnde ipſum ſequebatur multitudo maxima & militum manus copioſa. Cumque frequenter æſtiuo tempore exercitum duceret contra crucis Chriſti inimicos, non ſolum Liuones, verum etiam alias barbaras nationes, (INPRIMIS ESTHONES) ita ſibi ſubiecerat, vt ab eis obſides acciperet, & pacis conditiones cum eo facerent. Creuit igitur Eccleſia Dei per venerabilem virum Albertum, bene diſpoſita Præpoſitis, parochiis, cœnobiis.* Ex his licet peruerſa conuertendi ratio ſatis eluceat, puduit tamen, credo, Apoſtolum militem, tam triſtis rei memoriam in ſigillo conſeruare: atque hinc, quidquid præſtiterat per Liuoniam, Spiritui Sancto adſcribere maluit, cuius tamen arma non niſi Fidem, Charitatem, Patientiam, Spem, Preces & Verbum Dei eſſe, ex Scripturis liquet.

CIVILEM HISTORIAM E SIGILLIS ILLVSTRARI TESTIMONIIS DOCETVR.

VI. Ciuilis hiſtoria quantum e ſigillis poſſit illuſtrari, iam multis exemplis in variis ſcriptis probarunt Ducheſnius, Chiffletius, e noſtrisque Browerus, Weckius, Obrechtus, Tenzelius, aliique plures. Inprimis hoc agnouit Magnus Pereiſcius, Gaſſendo (c) teſte, identidem dictitare ſolitus, *SIGILLA, numiſmata, aliaque id genus teſtes eſſe antiquitatis incorruptos, quodque ex iis addiſcerentur, quæ fruſtra requireret quis ex hiſtoriographis omnibus.* Luculentum quoque huius rei exemplum dedit Oliuarius Vredius, qui Comitum Flandriæ hiſtoriam & genealogiam elegantiſſimis eorum ſigillis illuſtrauit, tantumque inde hiſtoriæ præſidium promittit, vt ſtatim in fronte libri fateatur, *Hiſtoriam Comitum Flandriæ concinnatam ſe habere, cui ex ipſorum Comitum diplomatibus, eorum item* SIGILLIS *& ab auctoritate Scriptorum, ſingulis Comitibus coætaneorum, fidem facere decreuerit.* Et paullo poſt: *Genealogiam genuinamque Comitum ac Domus Flandricæ poſteritatem non a cœcis coniecturis, vbi hactenus plerumque contigerit, verum ab ipſis qua Comitum qua eorundem vxorum*

a) ARNOLDVS *l. 7. c. 8. p. 513. conf.* ALBERT. STADENS. *ad ann. 1195. 1197.* CRANZ *Vandal. lib. 6. c. 9. 10.* ARNKIEL. *Cimbr.* Heidenbekehr. *lib. 6. c. 7. p. 335. ſq.* b) ARNOLD. *Lubec. Chron. lib. 7. c. 9. p. 515.* c) GASSEND. *lib. 2. Vit. Pereiſc.*

rum liberorumque SIGILLIS *comprobatam dare se conatum esse*, ait. Animaduertit hunc vsum etiam Mabillonius, (a) optans, vt hodie Regum sigilla maiori cura imprimerentur, ex quibus multum præsidii aliquando eorum Historia esset habitura. En eius verba: *Sane ad historiam Regum nostrorum non parum conducit hæc tractatio, optandumque esset, vt plus hodie diligentiæ adhiberetur in efformandis Regiis SIGILLIS, quæ pro caducitate ceræ vix annis triginta integra perseuerare possunt. Nam si apud antiquos tanta fuisset materiæ fragilitas, nullam hodie Caroli M. aut Ludouici Pii eorumque successorum effigiem haberemus. At non tantum secundæ stirpis Regum sed & primæ imagines in SIGILLIS adeo integræ ad nos vsque peruenerunt, vt cera ipso ære ac plumbo paullo minus durabilis videatur.*

VSVS SIGILLORVM IN GENEALOGIA PATET EX INSCRIPTIONIBVS.

VII. Vt vero, quo se diffundat hic vsus, dilucidius pateſcat, placet inde ordiri, vnde maxime historiam ciuilem ordiendam putant, genealogia nimirum, quæ profecto e sigillis multum poterit illustrari. Quod enim in numis nunquam fieri solet, id in sigillis satis fit frequenter. Adiiciuntur enim subinde parentis & fratrum nomina, quod quantum lucis genealogiæ afferat, satis liquet. Anno 1129 abrupta Balduini Ferrei Comitis Flandriæ stirpe, totus hic comitatus deuolutus est ad Carolum, a quo sequentis stirpis Comites descendunt, qui cuias fuerit, eius sigillum (b) docet, ita inscriptum: S. CAROLI COMITIS FLANDRIE ET FILII REGIS DATIE. Ex quo patet, Carolum hunc patre vsum esse Canuto, Rege Danorum, qui ducta in matrimonium Adela, Roberti Frisonis, Flandriæ Comitis filia, filio insignem hereditatem parauit. Abrupta denuo stirpe Normannica, hereditas deuenit ad Guidonem, cuius parens Guilielmus de Dampetra Margaretham, Balduini Imperatoris Constantinopolitani Comitisque Flandriæ filiam, vxorem duxerat. Adeptus igitur hereditatem natales suos hac sigilli perigraphe testatus est: (c) S. GVIDONIS. DE DAMPETRA. FILII. COMITISSE FLANDRIE ET HAINOIE. Dabo & alia huius generis sigilla, genealogiam multum illustrantia. Anno 1265 Robertus Betunienſis, Comes Flandriæ hunc titulum in sigillo adhibuit: S. ROBERTI PMOGENITI. COIT. FLANDR. ATTR. ADVOC BETH. ET TENR. DNI. Huc etiam pertinent sequentes sigillorum perigraphæ: ✠ SIGILLVM PHILIPPI FILII REGIS FRANCORVM. DVCIS BVRGONDIE. ✠ SIGILLVM. THOME. DE SABAVDIA. COMITIS, ex quo patet, Thomam hunc, cui Flandria iure dotalitio a Ioanna Comitissa Flandriæ, Balduini Imperatoris filia obtigerat, gente Sabaudum, hoc est, Thomæ Sabaudiæ Comitis filium fuisse. ✠ S. MARGARETE SORORIS COMITISSE FLANDRENSIS FILIE COMITIS FLANDRIE. ✠ SIGILLVM CVNRADI FRATRIS THVR. LANDGRA. (d) Quum igitur hoc sigillum adpensum sit anno 1229, facile patet, per Thuringiæ Landgrauium hic intelligi Henricum, Hermanni filium. Eiusdem generis est sigillum Henrici Thuringiæ Landgrauii, vulgo Heinrichs ohne Land, quod delineauit Cl. vir Christianus Schlegelius, (e) adpensum anno 1274, atque ita inscriptum: S. HEINRICI. FILII ALBERTI LANTGRAVII THVRINGIE. Quod sigillum eo rarius & præstantius est, quo incertiora sunt, quæ de hoc Henrico adhuc circumlata fuerunt. Quum enim e liberis Alberti a nonnullis plane eximeretur, magnam profecto gratiam habemus laudato Schlegelio, qui eum huius sigilli beneficio loco suo restituit. Eodem ritu Albertus degener anno 1255 adhuc iuuenis parentis in sigillo (f) meminit hisce verbis: ✠ S. ALBERTI H. MARCHIONIS MISNENSIS FILII. Sic porro & Fridericus, Henrici Marchionis Misnensis filius, qui se plerumque *Dominum ciuitatis & territorii Dresdensis* vocauit, anno 1292 in sigillo apud Weckium (g) hac inscriptione vsus est: ✠ S. FRIDERICI. FILII. HEINRICI. MARCHIONIS MISNENSIS. Fridericus vero Thuringiæ Landgrauius Balthasaris filius apud eundem (h) natales suos hac sigilli perigraphe testatus est: S. FRIDERIC. THVRING. LANTG. VII. MARCH. MISNE. FILII. DNI. BALTH. Et quamuis eorum, quos adhuc retuli, principum genealogia satis alioquin certa videatur: nemo tamen non videt, multum in sigillis, si diligentius inquirantur, ad restituendas illustrium familiarum genealogias esse præsidii.

a) MABILL. *lib. 2. c. 16. n. 1. p. 135. de R. D.* b) *ap.* VRED. *p. 10.* c) VRED. *p. 40.* d) TENZEL. *bibl. curios. an. 1704. p. 1071.* e) SCHLEGEL. *de veteri Cella n. 56. p. 72.* f) TENZ. *bibl. curios. anno 1704. p. 326.* g) WECK. *Part. 2. Chron. Dresd. tit. 1. p. 158.* h) Id. *Part. 3. tit. 3. p. 242.*

IDEM VSVS SE PRODIT IN SCVTIS GENTILITIIS.

VIII. Sunt etiam ſigilla, in quibus licet inſcriptio genus principum reticeat, ſatis tamen defectus ſuppleri poteſt ex adiectis ſcutis gentilitiis, quæ clare de eorum origine teſtantur. In vniuerſum hoc notandum eſt de ſigillis epiſcoporum, qui ex eo tempore, quo ſcuta gentilitia inualuerunt, inſignia non modo Eccleſiarum & familiarum ſuarum in ſigillis vſurparunt, eaque vel ſola vel cathedris Epiſcopalibus vtrinque affixa. Vnde facile ii, quibus illuſtrium familiarum inſignia nota ſunt, de epiſcopi gente coniecturam petent, licet vel maxime illa aut ab hiſtoricis prætermiſſa, aut non ſatis recte ſit allegata. Eadem vtilitas exſpectanda e ſigillis illuſtrium feminarum, e quibus non modo hiſtoria, verum etiam genealogia præcipue earum lumen accipit. Sic Agneſam Duciſſam Sileſienſem, quæ anno 1300 vixit, Auſtriacam fuiſſe, ex ſcuto Auſtriaco, quod in ipſius ſigillo occurrit, collegit Millichius. (a) Sed nos nonnulla obſeruabimus ad ſigillum MECHTILDIS DEI GRA. COM. ASCH. ET PRINCIPIS DE ANEHALT, Heinrici I Principis Anhaltini coniugis, quod iam ſupra deſcripſimus. Principem hanc fuiſſe domo Brunſuicenſem, omni dubio caret. Id enim manifeſto liquet ex ſcuto duobus leopardis inſignito, quod ſiniſtra tenet. Vnde & Auctor Chronicæ Brunſuicenſis (b) *Otto Senior*, inquit, *ex Mechtilde genuit Mechtildem, quam duxit Henricus Pinguis, Comes de Anehalt, & genuit Ottonem Comitem, & facta eſt propter ſui diſcretionem poſtea Abbatiſſa in Gheroude.* Diploma, cui hoc Mechthildis ſigillum adpenſum, datum eſt *Aſchariæ anno 1267 VIII Cal. Martii in die Cathedræ S. Petri*, idque ſtatim poſt obitum Mariti, qui Auctore Vindiciarum Anhaltinarum (c) & B. Sagittario (d) teſtibus, eodem anno fatis conceſſerat. Iam tum ſane Henricum I in viuis eſſe deſiiſſe, ex ipſo diplomate ſatis liquet, alias enim nec filii nec mater contractum inter Eccleſiam SS. Simonis & Iudæ & fratres de Reinſtede firmare potuiſſent, quod tamen hoc anno conſtanter factum, docet etiam hæc notitia Chærici, a Sagittario deſcripta: (e) Anno 1267. legen Fürſt Otto und Heinricus, filii Heinrici I durch Zulaſſung matris Mechtildis das Schloß und Stadt Wegeleben mit dem Gerichte, Müntze und anderer Gerechtigkeit unter das Ertz-Stifft Magdeburg, und nehmen ſolches vom Ertz-Stifft wieder in Lehen. Hinc dubitandum non eſt, quin Henricus I Mechtildis maritus iam ad plures abierit. Iam vero ſequente ſtatim anno 1268, Hoppenrodio teſte, (f) Mechtildis quædam a Clemente IV Papa Abbatiſſa Gernrodenſis confirmata eſt, quod eleganter conſentit cum teſtimonio Anonymi Brunſuicenſis, *Mechtildem nimirum factam eſſe propter ſui diſcretionem Abbatiſſam in Gheroude*, hoc eſt Gerenrode. Et quamuis ex his verbis colligat B. Sagittarius, id ab obitu ſtatim mariti factum eſſe: per *ſui diſcretionem* tamen intelligere malim renunciationem tutelæ, in qua adhuc filii per annum fuerant. Iam igitur ex hoc ſigillo noſtro, ſi cum loco Maderiano conferatur, ſatis adparet, quam male ſcripſerit Hoppenrodius: *Familia, ex qua nata fuit* (Mechtildis Abbatiſſa) *intercidit:* quem errorem tamen, ſi vel ſolum ſigillum noſtrum vidiſſet, poterat evitare. Eodem ergo pacto, quo Dominus Knauthius (g) ex Leone in monimento Cellenſi Illuſtris cuiusdam feminæ obuio probat, iſtud non Hedwigis fundatricis, natæ Marchioniſſæ Brandenburgicæ, quod voluit Dn. Schlegelius, (h) ſed Agnetis Bohemicæ imaginem referre, etiam e ſcutis in ſigillis Principiſſarum depictis de earum origine iudicari poterit.

HISTORIA PRINCIPVM E SIGILLIS ILLVSTRATA.

IX. Præter vſum genealogicum etiam hoc ipſo permultum ſigilla conferunt ad hiſtoriam ciuilem, quod præclare docent, quibus ſenſim dignitatibus prouinciisque aucti Principes fuerint, quod quantopere ſcire expediat, facile liquet. Dudum inter eruditos diſputatum fuit, quo primum tempore Archiepiſcopi Rhenani titulo Archicancellariorum vti cœperint. Ex ſigillis tamen facile poteſt demonſtrari, eos multo citius iura huius dignitatis exercuiſſe, quam titulum adſcriberent. Sane enim non modo Sifridus Archiepiſcopus Colonienſis anno 1207 hoc tantum titulo vtitur: SIFRIDVS DI GRA SCE. COLON. ECCLIE ARCHIEPS. verum etiam S. Engelbertus, qui quum ſummum in Imperio locum teneret, ac abſente Imperatore omnia Henrici VII Regis auſpiciis adminiſtraret, nulla tamen alia, quam hac anno 1225 vtebatur perigraphe: ENGELBERT. DEI. GRATIA. COLONIENSIS. ECCLIE ARCHIEPISCOP9. E Moguntinis quoque, quos iam inde ab Ottonis M. imperio hunc togatæ militiæ locum ſerie non interrupta tenuiſſe conſtat, ante Gerhar-

a) MILLICH. *diſſert. de conſtit. Bolcon. II. Duc. Sileſ. ſect. 1. cap. 1. n. 7. p. 13.* b) *ap.* MADER. *p. 21. Antiqv. Brunſv.* c) *Vindic. Anhalt. p. 5.* d) SAGITT. *hiſt. princip. Anhalt. cap. 2. p. 21.* e) Id. *l. c. p. 29.* f) HOPPENR. *annal. Gernrod. ap. Meib. p. 435. Tom. II.* g) KNAVTH. *epiſt. ad Schlegel. ap. Tenzel. bibl. curioſ. 1704. p. 529.* h) SCHLEGEL. *de vet. Cella n. 14. p. 28.*

Gerhardum II, qui anno 1288 cathedræ impositus est, vix quemquam sese Archicancellarium in sigillis vocasse comperio. Vnde merito mireris antiquorum modestiam, qui magni esse quam dici maluerunt, atque has sæculares dignitates sacri muneris veluti accessiones habuerunt, soloque Archi-Episcoporum nomine omnem dignitatem suam complecti voluerunt. In sæcularium principum sigillis non sine iucunditate spectamus, quo pacto sensim prouinciarum titulorumque numerus creuerit. Non enim putandum est, eum tum viguisse morem, qui hodie obtinet, vt prouinciarum nomina, quæ iure magis quam possessione sua esse ferebant, titulo adscriberent. Sed si titulum auctum in sigillis reperimus, certo credere licet, eam prouinciam tum ad familiam hanc siue hereditate, siue iure belli, siue alio iusto titulo deuolutam esse. Huius rei exemplum non potest aliunde melius, quam e sigillis familiæ cuiusdam iusta serie dispositis obseruari. Denuo igitur in subsidium vocabimus Oliuarium Vredium, & quomodo sensim auctæ sint Flandrensium Comitum opes & dignitates, ex eorum sigillis ostendemus:

Anno 941 Arnulfus Comes Flandrensis in sigillo se vocauit FLANDRENSIVM MARCHISVM, quem titulum etiam anno 961 ipse, vt & eius nepos Arnulfus anno 972, Balduinus anno 1056 & 1066, & Robertus Hierosolymitanus annis 1090. 1093. 1101. Balduinus Securis anno 1119 in diplomatibus nonnunquam adhibuerunt. Ex quo constat, id quod vix a scriptoribus memoriæ proditum fuit, Flandriam initio non Comitatum, sed Marchionatum fuisse.

Anno 1065 Balduinus Pius se vocauit COMITEM, quem titulum etiam sequentes Comites Robertus Friso, Robertus Iunior, Balduinus Securis, Carolus Bonus, Guilielmus Normannus, Theodericus Elsatius vsurparunt, licet e diuersis familiis orti.

Anno 1164 Philippus Elsatius se vocauit COMITEM FLANDRIE ET VIROMANDIE, quod argumento est, eum cum vxore Elisabetha, maiore natu filia Heriberti Comitis Viromanduorum, hunc comitatum familiæ suæ adiecisse.

Anno 1292 Balduinus Hannoniæ Comes ducta Margaretha, Theoderici Comitis Flandrensis filia, atque vtroque Comitatu coniuncto in sigillis se cum vxore vocauit COMITEM FLANDRIE ET HAINOIE, MARCHIONEM NAMVCI. Quamuis enim iam Balduinus Montensis anno 1067 ducta in vxorem Richilde, Raginerii IV Hannoniæ Comitis filia, prouinciis suis Hannoniam adiecisset, male tamen consuluerat posteris, diuisis inter filios prouinciis, & Flandria Arnulpho, Hannonia Balduino concessis, quo factum est, vt extincto Arnulpho frater Balduinus a Flandriæ successione excluderetur, & modo e Danica & Normannica, modo e Lotharingica prosapia principes Flandria potirentur, donec denuo hi comitatus per matrimonium hoc coniungerentur. Ceterum has prouincias vna cum titulo retinuere Balduinus Imperator Constantinopolitanus anno 1194. 1203. Fernandus Lusitanus eius gener, anno 1211, & vxor huius Ioanna anno 1212, &, qui defuncto Fernando hanc duxit, Thomas Sabaudus anno 1237, vt & Ioannæ soror Margaretha anno 1244.

Anno 1247 Guilielmus de Dampetra, cui Margaretha altera Balduini Imperatoris Constantinopolitani filia nupserat, addidit superioribus titulum DOMINVS DE DAMPETRA. Vnde eius filius Guido sigillo inscripsit: S. GVIDONIS DNI DE DAMPETRA COMITIS FLANDRIE ET HAINOIE.

Anno 1248 idem Guido ducta vxore Mechtilde, filia Roberti Aduocati Atrebatensis, Bethuniæ & Teneramundæ Domini, easdem ditiones suis prouinciis adiecit, quod iterum patet ex eius sigillis, in quibus se vocat ATTBATN ADVOC. BETHVN > TENREMODE DNVM. Quod & anno 1265 Robertus eius filius imitatus est.

Anno 1272 idem Robertus Comes cum vxore Iole Comitis Niuernensis filia jure dotalitio accepit Comitatum Niuernensem, eumque superioribus titulis adiecit, quod & Ludouicus eius nepos anno 1322 fecit.

Anno 1330 idem Ludouicus titulo suo adiecit Comitatum Registetensem, quem per decessum matris suæ Mariæ fuerat adeptus, quem in hoc Ludouicus filius anno 1346 est imitatus.

Anno 1384 denique Margaretha filia huius Ludouici nupta Philippo Duci Burgundiæ, Ioannis Gallarum Regis filio, ampliſſimas has poſſeſſiones cum Burgundi prouinciis coniunxit, vnde hic prodiit titulus: PHILIPPVS FILIVS REGIS FRANCIE, DVX BVRGONDIE COMES FLANDRIE ARTESII, BVRGONDIE PALATINI DOMINI DE SALINIS. COMES REGISTEDEN̄ ET DOMINVS MASOLIE. Quibus titulis ſenſim deinde acceſſerunt Baronia Donzyaci, Ducatus Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburchi, Comitatus Hollandiæ, Seelandiæ, Dynaſtia Friſiæ &c. Vnde Carolus vltimus Burgundiæ Dux anno 1430 hac perigraphe in ſigillo eſt vſus: S. Caroli: dei: gracia: Burgundie: Lotharingie: Brabantie: Limburgie: & Luxemburgie: ducis: Flandrie: Artheſi: Burgundie Palatini: Hannonie: Hollandie: Zellandie: & Namurci Comitis: Sacri: Imperii: Marchionis: dni: Friſie: de Salinis: Mechlinia:

Hæc ſunt, quæ ex ſolis Flandriæ comitum ſigillis de prouinciarum dignitatumque acceſſione ac mutatione ad horum Comitum hiſtoriam notari atque hauriri poſſunt, quæ multo accuratius ab ipſo Oliuario Vredio enarrantur. Quod ſi igitur ceterarum quoque familiarum figilla iuſta ſerie exſtarent, quis dubitaret, quin certiora multa de earum incrementis & mutationibus ſimus habituri? Quæ titulorum ſyrmata nobis obtrudunt vulgo recentiores Chronicorum Compilatores? Quid de antiquis Marchionibus Brandenburgenſibus, quid de Ducibus Saxoniæ, quid de aliis potentiſſimis familiis certi habemus atque explorati? Et tamen huic defectui hiſtoriæ medii ævi facili negotio poſſent mederi illi, qui eorum ſigilla, quorum procul dubio adhuc innumera in archiuis paſſim latent, diligentius in lucem protraherent. Scio equidem, idem ipſa quoque eorum diplomata præſtare poſſe. Sed illa ideo diligentius ſeruantur, quoniam multa in iis forte exſtant, quæ ignorari, familiarum intereſt. Verum nihil tale verendum videtur, ſi ſola ſigilla iuſta ſerie diſpoſita eadem methodo, qua Vredius vſus eſt, publici iuris fierent. Quantum enim inde hiſtoria Principum lucis ſit habitura, nemo eſt, quin videat.

SIGILLA DOCENT PROVINCIARVM INTER FRATRES DIVISIONEM.

X. Hæc titulorum ratio, ex ſigillis tutiſſime petenda, etiam hoc nomine magni videtur facienda, quod accurate ex iis liquet, quam quisque fratrum prouinciam in hereditatis diuiſione obtinuerit. Tam enim religioſi antiqui Principes in titulis eligendis fuere, vt raro aliam, quam cui præerant, prouinciam nomini adſcriberent. Præcipue id adparet ex ſigillis Marchionum Miſnenſium, qui multis prouinciis, veluti Thuringia, Landesberga, Marchia Orientali ſeu terra Pliſſnenſi aucti, diuiſis ſubinde inter ſe prouinciis ſuam quique prouinciam titulo adſcripſere, ita vt alii ſe Marchiones Miſnenſes & Orientales, alii Landesbergenſes, alii Landgrauios Thuringiæ &c. appellarent. Immo Fridericus Heinrici Marchionis Miſnenſis filius anno 1311 in ſigillo apud Antonium Weckium (a) ab vnica ciuitate Dresdenſi ſe vocauit *Marchionem de Dresden.* Ita enim ſe habet ſigilli inſcriptio: ✠. S. FRIDERICI. DEI. GRACIA. MARCHIONIS. DE. DRESDEN. (*) Magnum profecto hæc obſeruatio vſum habet in conſtituendis veterum genealogiis. Sæpius enim factum eſt, vt binæ aut plures familiæ viderentur, quæ tamen non niſi totidem vnius eiusdemque familiæ lineæ fuerunt. Quod patet ex antiqua familia Comitum Keuernburgenſium, quam fere omnes hodie eiusdem cum illuſtriſſima gente Schwarzburgica originis eſſe credunt. Digna etiam notatu ſunt Brunſuicenſium ducum ſigilla, de quibus nonnulla ſubnectam. Henricus Leo tribus diuerſis vſus eſt ſigillis. Anno 1154 adhibuit ſigillum iſtud equeſtre, quod ſupra deſcripſimus cum lemmate: ✠. HENRICVS DĪ GRA DVX BAWARIE ET SAXONIE. Iam antea anno 1146 hanc in ſigillo vſurpauerat perigraphen: HEINRICVS DEI GRACIA DVX BAWARIE. (b) Denique anno 1191 proſcriptus iam & prouinciis exutus ſigillo impreſſit leonem cum titulo: HENRICI DVCIS SIGILLVM. Patet ergo ex his ſigillis, non alias prouincias nomini ſuo adſcribere auſum eſſe Henricum, quam eas, quas aut reuera poſſidebat, aut iure ſuo fretus propediem ſe ſperabat recuperaturum. Sane enim anno 1146. quo Bauariæ ſe Ducem appellauit, Welphus eius tutor Bauariam iam ab aliquot annis felicibus armis pæne totam ſubiugauerat, licet deinde Conradi III Regis potentia ille impediretur, quo minus ius pupilli penitus in patrio ducatu ſtabiliret. Anno 1154 eo potiore iure Saxoniæ Bawariæque Ducem ſe poterat vocare, quod eo ipſo anno, Gunthero (c) teſte, hic Ducatus

OBSERVATIO DE TITVLIS ANTIQVORVM.

a) WECK. *Part. 2. Chron. Dreſd. tit. 5. p. 193.* *) *TAB. XVII. n. 4.* b) MEIBOM. *Tom. I. Rer. Germ. p. 484.*
c) GVNVHER. *lib. 1. Ligurin. p. 299.*

catus in comitiis Goslarienſibus iam ei redditus fuerat. Denique anno 1191 ſolo Ducis titulo contentus neque Saxoniam neque Bauariam nomini adſcripſit, quam vtramque prouinciam ei æmulorum potentia extorſerat. Otto autem eius nepos licet nondum dux Brunſuico-Luneburgenſis creatus, in ſigillo tamen ſuo hac vſus eſt perigraphe: SIGILLVM OTTONIS DVCIS DE BRVNESWICH. Auus enim, omnibus amiſſis prouinciis ſolam Brunſuicenſem, quippe allodialem, nec lege beneficiaria poſſeſſam retinuerat. Quum igitur maiores in titulis ſuis tam accurati fuerint, nullamque prouinciam adſcripſerint nominibus, quam non reuera poſſederint, perſpicuum eſſe puto, quanta ex ſigillis vtilitas ad eorum hiſtoriam reſtituendam emendandamque poſſit redundare.

VSVS SIGILLORVM IN STVDIO ANTIQVITATVM,

XI. Sed maximus ſigillorum vſus elucet in ſtudio antiquitatum, quod adhuc a reſtitutis vsque literis omnibus elegantioris litteraturæ ſtudioſis fuit in deliciis. Conſtat inter omnes, e Romanorum numis ritus atque conſuetudines antiqui æui omnium feliciſſime hauriri. Quidquid enim theologia gentilium habuit cerimoniarum, (a) quidquid in re bellica armorum, ſignorum, trophæorum, arcuum triumphalium, triumphorum, pugnarum naualium (b) fuit, quidquid artes inſtrumentorum & ſignorum, (c) quidquid denique Architectura antiqua elegantiæ & ſplendoris, res domeſtica vtenſilium, agricultura & res equeſtris inſtrumentorum & ſupellectilis habuit, id omne in numis egregie delineatum conſpicitur, ac ante oculos ponitur, vt adeo, quidquid ſcriptores deſcribunt ſubinde paulo obſcurius, e numis ad oculum pateat. Quod igitur in antiquis ritibus numi, idem in mediæ ætatis rebus moribusque ſigilla præſtant, idque multo felicius, quam numi bracteati, in quibus artificum ruditas prohibuit, quo minus res, ita vt erant, depingerentur. Quod paucis nunc exemplis demonſtrabimus.

RITVS QVIDAM SACRI IN SIGILLIS EXHIBITI.

XII. Cui ſacros medii æui ritus intueri volupe eſt, is curioſitati ſuæ conſulet, ſi altaria, ſacerdotes miſſificantes, ſacrum Epiſcoporum, Abbatum & monachorum habitum, aliaque huius generis in ſigillis paſſim obuia ſpectauerit. Inueniet habitum eorum multum ab hodierno diuerſum, mitras haut paullo humiliores, peda omni fere ornatu deſtituta, omnia denique, quam hodie, modeſtiora. Dicemus nonnulla de mitra. Eam ante ſæculum XI haut fuiſſe in vſu, multi ex ſcriptorum ſilentio colligunt. (d) Id ſane e ſigillis etiam patet, in quibus non eo ſolum tempore, verum etiam paullo poſt Epiſcopi Pontificalibus ceteris induti ſæpe ſine mitra adparent. Dn. Caſpar Caluoer (e) in Rituali Euangelico hanc in rem laudat bullam Victoris II in Goslarienſi Eccleſia ſeruatam, quam ſupra deſcripſimus, in qua Pontificis caput ſolo camelucio obnubitur, nullaque aut infula aut corona triplex præterea conſpicitur. Sed multo dilucidius hoc adparet ex ſigillo Bernardi, Epiſcopi Hildeſienſis, qui & ipſe vitta ſolum humiliore caput cooperuit. Infulæ ſane altioris nullum video veſtigium. Equidem iam mihi in promtu haut ſunt antiquiora Epiſcoporum ſigilla, quæ tamen ſi inquirerentur diligentius, facile negotium omne expedirent. Interea notamus, Menardum (f) etiam & Carolum du Freſne (g) ingenue fateri, nullam omnino eius mentionem inter ornamenta Pontificum apud veteres Auctores, qui de officiis diuinis ſcripſere, aut in Sacramentariis libris, aut in antiquis Liturgiis fieri, adeo vt vix ante annum 1000 ea Pontificibus & Epiſcopis tribuatur.

OBSERVATIO DE MITRA EPISCOPALI.

OBSERVATIONES DE BARBA CLERICORVM.

XIII. Solet porro de Clericorum barba quæri, alendane ſit illa, an ponenda? Notum eſt, in hoc vel maxime ſe ab inuicem diſtinguere Græcæ Romanæque Eccleſiæ ſacerdotes, quod hi barbam radant, illi eandem tanta cura alant, vt vitam minoris quam hoc dignioris ſexus decus habeant, (h) nec dubitent multi ad radendam barbam damnati hanc ignominiam turpi ad Mahomediſmum apoſtaſia redimere. At Latini Sacerdotes tanto magis barba abhorruerunt, quo certius illis perſuaſerat Gregorius VII. PP. (i) *totius occidentalis Eccleſiæ Clerum ab ipſis fidei Chriſtianæ primordiis barbam radendi morem tenuiſſe*. Iam ſi ſigilla conſulamus, totam rem multo tenebimus exactius. Ex iis quidem verum eſſe conſtat, toto fere medio æuo epiſcopos æque ac ceteros ſacerdotes imberbes ſe ſiſtere; id vero ſequiore etiam æuo factitatum eſſe, ſigilla plane faciunt dubium. Satis id demonſtrat

a) SPANHEM, *epiſt. ad Morell. p. 179.* b) Id. *p. 187.* c) OLEAR. *curieuſe* Müntz-Wiſſenſchafft. *part. I. n. 16. 17. 18. p. 39. ſq.* d) *Vid.* CARD. BONA *lib. 1. rer. Liturg. c. 24.* e) CALVOER *Ritual. euang. part. 2. ſect. 3. cap. 30. p. 528.* f) MENARD. *ad ſacramenta, libr. Gregor. M.* g) DV FRESNE *Gloſſar. Lat. part. 2. p. 589.* h) *vid.* WILHELM. TYR. *lib. 11. cap. 2.* i) GREGOR. PAPA VII. *lib. 8. ep. 10.*

Bulla Concilii Basileensis, cuius aliquot ectypa ipse possideo, in qua Pontifex æque ac ceteri plerique Episcopi, qui Spiritum S. implorantes exhibentur, barbis satis promissis circamentum vestiuntur. Scio equidem, Cl. Hermannum van der Hardt idem sigillum inter acta Concilii Constantiensis edidisse, episcoposque omnes exhibuisse imberbes. Sed vereor, ne lineamenta bullæ, quam ipse delineandam curauit, paullulum a vetustate confusa sint. Eæ sane, quas ipse inspexi, barbas Episcoporum satis notabiles ostendunt, quas etiam ideo satis diligenter expressere tum Zimmermannus (a) tum nuperrime Dn. C. Caluoer. (b) Vt adeo vix videatur ambiguum esse, concilii Basileensis ætate a barbis non adeo abhorruisse Episcopos. Certe non amplius illos nefas duxisse, barbatos sacra facere, constat exemplo Bessarionis, Cardinalis Trapezuntii, qui proditæ in concilio Florentino patriæ Religionis pretium tulit galerum Cardinalitium. Hic enim promissæ barbæ studiosior patrium morem, Latinis licet adscriptus, diligentissime retinuit. Qua de re lepida sunt, quæ refert Pomp. Sarnellus: (c) *Papam factum fuisse Bessarionem, nisi barba promissiore fuisset vsus. Vnde Cardinalem Auenionensem ad collegas conuersum; Nondum, dixisse, barbam rasit, & nostrum caput erit? Immo quum Ludouicus XI Rex Galliæ eius barbam non sine scommate tetigisset, illum præ mœrore esse mortuum.* Quod ipsum etiam Gobelinum, vnde Sarnellus hæc procul dubio hausit, narrare memini. Quamuis vero ex hoc loco constare videatur, singulare hoc fuisse Bessarionis exemplum, atque adeo Latinis non admodum placuisse, non tamen imitatione caruit. Semel enim ostensa barbam promittendi licentia, verisimile est, eam ab Episcopis auide arreptam, vtpote quibus semper libuerat, sæcularium Principum splendorem sequi. Vnde demum nec ipsos quidem Pontifices Romanos barbæ puduit. Primum id fecisse Iulium PP. II. auctorem habeo Spondanum, (d) ita scribentem: *Eum denique ferunt, vt se formidabiliorem redderet, prolixam barbam aluisse contra fere morem maiorum, qui barbam deponere consueuerant, quanquam potuerit etiam id præstare ad maiorem quandam intuentibus reuerentiam incutiendam. Nec tamen hoc ab initio feciſſe, obseruant alii ex numismatibus, vultum eius primis Pontificatus annis imberbem repræsentantibus, cum alia barbatum exprimant.* Vidit procul dubio eiusmodi numum Iulii II primis Pontificatus annis cusum Pallatius, (e) quippe qui vultu eum pingit imberbi & plane læui. Ex his satis liquet, scrupulosas veterum in alendis ponendisque barbis rationes sequiore æuo negligentius cœpisse obseruari.

ARMA VARIA IN SIGILLIS EXHIBITA.

XIV. Dicere hic etiam prolixius liceret de variis armorum generibus, veluti vexillis, scutis, galeis, gladiis, nisi iam in superiore parte plura nobis, rem initio alio ordine tractaturis, de hisce rebus calamo effluxissent, quæ hic repetere nihil attinet. Intra paucas igitur obseruationes iam opera nostra stabit. De vexillis iam supra diximus, ea non vnius omnia eiusdemque generis fuisse, quippe quum in his rebus ingenii humani indoles ad mutationem prona quam maxime eluceat. Hinc iucundum pariter & vtile erit antiquitatum studiosis varia vexillorum genera e sigillis colligere, vt & ex his signis monimentorum aliorum ætatem discernere discant. Quum eam operam in antiquitatum studiosorum gratiam iam supra susceperimus, vt galearum varia genera delinearemus: idem hoc institutum nostrum sequi iuuat in vexillis, quæ in sigillis Principum & ecclesiarum occurrunt. Horum itaque potiora hæc sunt:

VELVTI VEXILLA.

Illud

a) ZIMMERM. *Amœnit theol. nerv. 5. p. 602.* b) CALVOER *Part. 2. sect. 3. Ritual. Euangel. c. 30. p. 528.* c) SARNELL. *lettres ecclesiastiches. ep. 12.* d) SPONDAN. *ad ann. 1503. n. 7.* e) PALLAT. *Tom. III. de gest. Pontif. p. 741.*



Illud vexillorum genus, quod ſigno ⊙ notauimus, vocatur Gonfanon, quod nomen præcipue in Italia egit radices, vbi hodienum auditur. Mediæ ætatis Scriptores vocant *Confanonem*, alii *Cunfanon*. Vnde vero vox originem habeat, paullo eſt obſcurius. Auctor Auctarii Muſei Danici (a) vocis originem in Septentrione quærendam ratus, eam repetit a voce Danica Gud, quæ Deum, & *Fane*, quod vexillum notat, vt adeo *Gonfanon* idem ſit ac vexillum Sacrum, eine GOttes-Fahne. Sed quum ſæpius ſcribatur *Gonfano* vel *Confano*, item *Guntfano*, nunquam vero *Gudfano*, vix video, quo pacto doctiſſimi huius Auctoris etymologia locum inueniat. Interea negari non poteſt, vocem e Germanico Fahne fuiſſe compoſitam, id quod etiam agnoſcit Doctiſſ. Carolus du Freſne. (b) Sed vnde prior ſyllaba acceſſit? Mea quidem ſententia deriuanda videtur a voce antiqua *Gunna*, *Guna*, *Gonna*, *Gouna*, *Gowne*, quæ veſtem villoſam notat. Vexilla enim eiusmodi pellibus hermineis exornari ſolita, admodum videtur veriſimile. Ceterum *Gonfanon* ſæpius quidem notat quamlibet haſtam, ex qua flammulum ſiue infulæ dependent, qualibus in pompis ſolennioribus olim principes inprimis eccleſiaſticos vti conſueuiſſe, multis exemplis probat Carolus du Freſne. (c) Vnde etiam natum eſt nomen *Guntfanonariorum* iis tributum, quibus aut cuſtodia huius vexilli aut geſtatio demandata fuit. Sic Carolus Caluus in Capitulari anno 865. (d) *Et miſſi noſtri de ipſo miſſatico prouidentiam habeant, qualiter vnusquisque Epiſcopus vel Abbas ſeu Abbatiſſa cum omni plenitudine, & neceſſario boſtili apparatu & ad tempus ſuos homines illuc transmiſerit cum GVNTFANONARIO, qui de ſuis paribus cum miſſis noſtris rationem habeat.* Ad quem locum

OBSERVATIONES DE GONFANONIBVS.

a) *Auctar. Muſ. Dan. Commentar. ad numiſm. p. 91.* b) DV FRESNE *Part. 2. Gloſſ. Lat. p. 679.* c) Idem *l. cit.* d) *ap.* BALVZ. *tit. 37. p. 199. Tom. 2.*

locum ita differit Sirmondus: (a) *GVNTFANONARIVS vexillifer vel Dux. Manſit vocis vſus apud Italos, qui vexillum GONFALONEM vocant. Ac Romæ nunc etiam GONFANONARIVM ſiue vt vulgo enunciant GONFALONARIVM Eccleſiæ nuncupant magiſtrum ſeu præfectum vexilli militiæ eccleſiaſticæ. Et apud Florentinos ſuperioribus ſæculis ſtatus fuit magiſtratus, qui GONFALONARIVS IVSTITIÆ dicebatur.* Eſt etiam, quando Gonfanon accipitur pro vexillo Regni præcipuo, quod veluti ſacrum reipublicæ pignus plerumque venerabantur, Romanorum, vt videtur, exemplo, quibus ſigna & aquila militarium numinum loco erant. Talis eſt Gonfanon Romanæ Eccleſiæ, cuius ferendi munus Duces Parmenſes in inſignibus ſuis teſtantur. Tale eſt vexillum Danicum, quod Waldemaro II Regi Daniæ aduerſus Liuones, profanos depugnanti miſiſſe dicitur Pontifex Romanus, aliis vero cœlitus dicitur delapſum. Illud Auctor ſupra laudatus (b) prolixius deſcribit, Danisque ſummo in honore fuiſſe ait, tanquam certum victoriæ pignus, donec anno 1500 in bello Dithmarſico eius fecerint iacturam. Diſerte illud vexillum vocat *Gonfanonem*, nec diſſimulat tamen, ſequiore æuo ſucceſſiſſe nomen *Dane-braage*, quoniam multis coloribus diſtinctum fuerit, quod eorum lingua eſt *braage*. De eiusmodi vexillis ſacris, veluti Germanorum vexillo S. Georgii & S. Mauritii plura hic differere, iliada eſſet poſt Homeros ſcribere, quum in doctiſſimorum virorum Scriptis in cauſſa noni Electoratus hinc inde editis tota hæc de vexillis Imperii Romano-Germanici hiſtoria accuratiſſime ſit excuſſa atque expenſa. (c) Singularis Gonfanonum vſus eſt in ſigillis, in quibus vicem præſtant tegumenti inſignibus principum impoſiti, quod artis heraldicæ ſcriptores vocant *un Pavillon*. Quemadmodum enim viris excellentioribus, ita & eorum ſcutis gentilitiis eiusmodi gonfanones ſolebant adiici: Hoc teſtatur Sigillum Ottonis & Henrici Comitum in Aſcharia & Principum de Anehalt ſupra a nobis deſcriptum, in quo eiusmodi Gonfanon ſcuto Anhaltino impoſitus conſpicitur, eo fere modo, quem Duces Parmenſes ſuis inſignibus obſeruant. Exſtant etiam apud Oliuarium Vredium (d) ſigillum Ludouici Comitis Flandriæ minus, ſiſtens leonem, inſigne Flandrenſium Comitum, cui impoſita galea, ala aquilina ornata, e qua velum dependens itidem leonem, Flandriæ ſymbolum impreſſum habet. Quamuis vero illud plane diuerſum videatur a Gonfanone noſtro, vexilloque Anhaltino admodum diſſimile, adparet tamen inde, vexilla ſcutis gentilitiis iam olim conſueuiſſe imponi. Vnde hodienum artis heraldicæ ſcriptores ad exornanda rite ſcuta gentilitia (ein Wapen völlig auff zu zieren) poſt vmbraculum, pallium, cœlum, galeas, coronas, armigeros, teſſeras ordinis equeſtris, & ſymbola etiam requirunt vexillum (die Standarte oder Haupt-Fahne.) Cuiusmodi inſignium elegans exemplum eſt ſcutum Regis Galliarum, ab Imhofio (e) accurate ſecundum omnes regulas heraldicas depictum. Denique Gonfanones etiam ſunt vexilla iſta ſiue labara, quæ in ſolennibus feſtiuitatibus apud Romanenſes circumferuntur. Quo ſenſu ſumitur in Chronico Murenſis Monaſterii, vbi hæc leguntur: *Sunt hic & 2 offertoriala, & linteum analogium ſubter euangelium ponendum in feſtiuis diebus, & 5 Confanones, & 1 ſericum ſuper ſedile ſacerdotis ponendum.*

OBSERVATIONES DE GLADIIS ET CALCARIBVS.

XV. Non minorem voluptatem ſentiet antiquitatum ſtudioſus, ſi cetera mediæ ætatis arma veſtesque luſtrauerit. Mirabitur gladios initio breuiores & acutiores, poſtea maiores tantæque molis, vt modo clypeis modo thoraci prolixa catena alligarentur. Obſeruabit non ſine iucunditate antiqua calcaria, non eadem ſemper forma confecta, ſed modo in rotulam aculeatam, modo in vnicam cuſpidem deſinentia. Huius certe generis calcaribus anno 1207 vſum video Guilielmum Normannum in monumento Monaſterii Bertiniani, quod exhibet Oliuarius Vredius, (f) vt & in numo, quem idem exhibet. Eadem pedibus adſtrinxere ſæculo XII Bernardus Dux Saxoniæ in numo bracteato, anno 1221 Ludouicus Thuringiæ Landgrauius in ſigillis & numis a Domino Schlegelio delineatis, (g) anno 1200 Theodericus, Marchio Miſniæ, in ſigillo, eiusdem induſtria ſeruato, (h) Henricus Comes de Blankenburg, Hermannus Landgrauius Thuringiæ, Burchardus Comes de Mansfeld aliique Comites in numis bracteatis

a) SIRMOND. *not. ad Capitul. ap.* BALVZ. *p. 796. Tom. 2.* b) *Auctar. Muſ. Danic. p. 91.* THOM. BARTHOLIN. *diſſ. de ordin. Danebr. f 8.* c) *Conf.* VLRIC. OBRECHT *diſſert. de vexill. Imper. &* BECMANN. *notit. dign. diſſ. 8. c. 2. p. 278.* d) OLIV. VRED. *expoſ. Sigill. Com. Flandr. p. 60.* e) IMHOFF *de famil. Gallic. p. 1.* f) VRED. *Expoſit. ſigill. Comit. Flandr. p. 14.* g) SCHLEGEL. *diſſ. de num. Iſenac. Tab. 2. n. 1. 2. ſqq. Tab. 1. n. 1. 2. 3.* h) Idem *de Vet. Cella n. 24. p. 36.*

ctеatis ab eodem depictis explicatisque, (a) Otto Diues & Tidericus Afflictus in monimento Cellenſi. (b) Denique Henricus Leo, Fridericus Palatinus Comes Sommerſenburgenſis & Otto Princeps Anhaltinus in ſigillis a me alibi laudatis. Obſeruabit etiam, antiquiſſimos calcaria plane neglexiſſe, id quod præcipue in priorum Comitum Flandriæ ſigillis a Vredio explicatis aliisque a Weckio delineatis animaduertet. Notabit porro ſingulare genus calcarium, nec in cuſpidem nec in rotulam deſinentium, ſed ſimilium ſagittæ, qualia adhibuit Fernandus, filius Sancti Regis Luſitaniæ, in ſigillo, quod depingit Vredius. (c) Denique nec rotulas in calcaribus plane nouas deprehendet. Sigillum enim Friderici, Sueuorum Ducis, quod dedit Obrechtus, (d) iam anno 1181 illas in vſu fuiſſe docet. Zylleſius (e) quoque dedit ſigillum Cunradi Comitis de Lucelemburc, ex quo apparet, anno 1135 calcaria rotulis inſtructa non ignorata fuiſſe. Immo iam inde a Philippo, qui anno 1164 vixit, tantum non omnes Flandriæ Comites in ſigillis eiusdem generis calcaria adhibuerunt. Non vocabo in ſubſidium varia monumenta principum, in quibus calcaria eiusmodi recentioris formæ adparent: ſed id modo obſeruabo, in antiquiſſimis ſepulcris non raro illa inueniri. Auctor eſt Ioannes Puricellus (f) detecto tumulo Bernardi Regis Italiæ, Pipini filii, calcaria quoque inuenta fuiſſe, quæ his verbis ipſe deſcribit: *Sed & Bernardi pedibus ita calceatis aurata induerunt calcaria, ex ære, quod nos vulgo Rame nominamus. Figuræ tamen illa erant, parum admodum ab hodiernis & noſtratibus diuerſæ: in exterioris cornu extremitate paruum erat & rotundum foramen, e quo ſuperne fibula, inferne autem anſula ex eodem ore pendebant. Anſulæ conſutaclauiculo erat corrigia & corio rubri pariter coloris, quæ deſub pede per alterum inferioris cornu foramen modice longum deducta, & illi fibula inſerta, calcar pedi adſtringebat. Rota vero e calcaris dorſo modice prominens ſenis & perbreuibus circum radiis acuminata vergit deorſum.* Eiusdem fere formæ calcaria haut raro ſuppeditant ſepulcra Cimbrica. Cl. Wormius (g) inuentum in ſepulcro refert calcar inuſitatæ magnitudinis, cuius longitudo pedem & tres vncias æquat, rota vero 12 radiis ſatis longis eſt inſtructa. Antiquiſſimum eſſe vel mira eius moles docet. Quanquam enim Wormius ex arcu, quo pedibus adſtringebatur, paullo arctiore colligit, hominem iuſtæ ſtaturæ illo vſum, atque ideo de Haraldo, Rege quodam Daniæ ſuſpicatur, magis tamen ſe mihi probant rationes doctiſſimi Arnkielii, (h) quas ipſius dialecto deſcribam: Es kan ſeyn, daß der Sporen-Bogen nicht gantz geweſen, ſondern ein Stück davon abgekommen. Aus der langen Sporen-Stange ſcheinet, daß der Reuter oder Träger deſſelben ein ſehr groſſer Menſch müſſe geweſen ſeyn, deſſen Füſſe von des Pferdes Bauch herunter gehangen, daß er mit gebeugeten oder gekrümmeten Füſſen des Pferdes Bauch mit den Sporen hat anſtoſſen müſſen. Aliud calcar rotula octo radiorum ornatum ex Rieſtii (i) Colloquiis menſtruis depingit laudatus Arnkiel. (k) Denique Auctor Auctarii Muſei Danici (l) ſæpius laudatus teſtatur, antiquos Daniæ Reges nouis equitibus militibusque a ſe creatis calcaria ænea aut ferrea inaurata dediſſe, quæ ſpithamam plerumque longitudine æquabant, rotis ſatis grandibus & ſex fere radiis inſtructa, quæ non niſi in ſolennioribus pompis adhibita, in eorum denique funeribus ad ſepulcra ſuſpendebantur. Addit etiam, hiſce calcaribus ordinarie inſculptas eſſe primas Regii nominis litteras veluti M ſi Magnus, E ſi Ericus, H, ſi Ioannes vocaretur. Ex qua obſeruatione illud Wormianum calcar, vndecies quippe littera H exornatum poterit illuſtrari. Sed omnium tutiſſime e ſigillis formæ calcarium colligi poterunt. Proinde ſi quis Dominum Tenzelium auctorem ſequutus de calcaribus veterum commentari inſtituerit, non parum lucis huic materiæ mea quidem ſententia affundet, ſi præter auctores ſimul conſuluerit ſigilla, vtpote in quibus plura forte calcarium genera a nobis feſtinantibus hic non obſeruata inueniet.

XVI. Tranſimus ad clypeos, quorum varietate non minus ſe oblectabit antiquitatum ſtudioſus. Si enim formam ſpectet, quot eorum genera in ſigillis inueniet? Habebit orbiculares, triangulares, ouales, acutos, id quod ex hac paucorum delineatione adparebit. OBSERVATIONES DE CLYPEIS.

a) SCHLEGEL. *epiſt. ad Schmiedt. de numo Comit. Blanckenburg. n. 1. 3. 4. 5. 6. 11. 12. 13. 14. 15.* b) Idem *n. 33. de Vet. Cella. p. 44. n. 24. p. 36.* c) VREDIVS *l. c. p. 28.* d) OBRECHT. *prodr. rer. Alſat. cap. 10. p. 229.* e) ZYLL. *part. 3. defenſ. S. Maximin. p. 54.* f) PVRICELL. *Monum. Ambr. Mediol. p. 71.* g) WORM. *lib. 1. Monum. cap. 7. p. 49. ſq.* h) ARNKIEL. Cimbr. Heyden-Begräbniß. *lib. 1. cap. 23. p. 170.* i) RIEST. Monatlich. Geſpräch. *VI. p. 81.* k) Id. *loc. cit.* l) *Vid.* TENZEL. *Bibl. curioſ. ann. 1706. p. 366. ſq.*

Deinde ſi materiam ſpectes, illa quidem in ſigillis non adeo exacte diſtingui poteſt, e *limbis* tamen ſcuta antiquiſſima ambientibus, aliisque indiciis colligi quodammodo poterit, vera eſſe, quæ iam olim de Germanorum tabulis ſcripſerunt Cornelius Tacitus (a) & alii, ea nimirum vel lignea vel ex ſtuppa linteisque firmiter compactis fuiſſe confecta, aut corio bubulo obducta. Siquidem in hac materia iſtis quidem temporibus ſatis videbatur eſſe præſidii aduerſus tum gladiorum tum ſagittarum ictus. Tertio obſeruationem merebitur clypeorum ſitus, quippe qui licet vel natura magiſtra ad ſiniſtrum latus pertineat, dextræ tamen nonnunquam, ceu e ſigillis diſcimus, ſunt alligati. Sane Arnulfus primus Flandrenſium Comes ſcutum in dextro humero gerit. Quarto & hoc diſerte antiquitatum ſtudioſi intereſt, quod clypei plerumque vinculo coriaceo aut catena collo alligarentur, ne ſcilicet in conflictu eius facerent iacturam, amiſſorumque armorum ſubire infamiam cogerentur. Denique & oculos paſcet mira imaginum ſcutis adpictarum varietas, quæ origo eſt totius artis heraldicæ, de qua paullo poſt erit dicendi locus.

OBSERVATIONES DE THORACIBVS ET LORICIS.

XVII. Si ipſas veſtes, quibus armati accingebantur, ſpectauerit paullo accuratius, habebit ſane & hac parte, quo curioſitati ſuæ ſatisfaciat antiquitatum amantior. Equidem Annales Colmarienſes ab Vrſtiſio (b) publicati veterum armaturam hunc in modum deſcribunt: *Armati reputabantur, qui galeas ferreas in capitibus habebant, & qui Wambaſia, ſiue tunicam ſpiſſam ex lino vel ſtuppa vel ex veteribus pannis conſutam* (c) *& deſuper camiſiam ferream, ſiue veſtem ex circulis ferreis contextam, per quam nulla ſagitta homo vulneratur.* Multo diſtinctius

a) TACIT. *lib. 5. annal.* b) VRSTIS. *Tom. II. Script. Rer. Germ. p. 57.* c) *Huius generis tunicas vocabant* perpunctas, *quod acuſtipatæ ac perpunctæ eſſent. Vid. Car. du Freſne tom. 3. Gloſſ. Lat. p. 247.*

ſtinctius tamen omnia e ſigillis concipimus. Ex iis enim patet, I. antiquiores nonniſi breuiores thoraces in medio per lumbos cinctos induiſſe, eosque II. paulo poſt circulis ferreis non tam contra ſagittarum quam gladiorum ictus præmuniuiſſe. III. Iſtos circulos, quos & annulos vocabant, ſenſim feciſſe minores, vt etiam ſagittas ſuſtinerent, quo loricarum genere munitos poëtice hunc in modum eleganter deſcribit Guntherus in Ligurino: (a)

Chalybum munitus pectora textu,

& Auitus: (b)

Hi loricarum vaſto ſub tegmine gaudent,
Intexit creber ſibimet quas circulus hærens.

IV. Nec deeſſe thoraces æque ac loricas, quibus eodem tractu adhærent galeæ aut certe mitræ, galeis ſupponendæ. V. Ornatus cauſſa nouas ſuperindui cœpiſſe ſiue camiſias, ſiue tunicas manicis carentes. Sic Sanſonem ſub tunica panceream habuiſſe, & præ eius grauamine natare non potuiſſe refert Twroczius. (c) VI. Has porro tunicas nonnunquam lectiſſimis coloribus ſolitas diſtingui, aut VII inſignibus etiam gentilitiis ornari, donec iuſti ſuccederent thoraces ferrei. VIII. Porro in ſigillis notabit loco circulorum ferreorum nonnunquam adhiberi ſolidas laminas, (*maculas* vocabant,) ex eadem materia artificioſe conſutas, vt veluti ſquamis piſcium reſponderent, (vnde & *Scammatæ* quaſi *Squamatæ* dicebantur,) facilique negotio quaqua verſum flecterentur. Loqui de his videntur Sylueſter Giraldus: (d) *Vndique ferro veſtiti, alii loricis longis, alii* LAMINIS FERREIS, ARTE CONSVTIS. Guiliermus Brito: (e)

- - - - *Inter*
Pectus & ora fidit MACVLAS THORACIS,

Vt & Tidericus Langenius in Saxonia: (f)

Tunc infinitus populus ratibus redimitus
MASCLIS ornatus, ad quæuis bella paratus.

& infra: (g)

Gens armatorum venit ex hoc Vngariorum
Millia MASCLORVM Rex quinquaginta ſuorum
Secum ducebat.

Ibi enim *maſclum* idem eſſe ac *loricam maculis conſutam* facile adſentior Carolo du Freſne, (h) Vides, quantum e ſigillis veterum armatura poſſit illuſtrari. Id vt eo dilucidius adpareat, loricas tunicasque ſingulorum generum quibusdam hic iconibus e ſigillis petitis delineabimus.

a) GVNTHER. *Ligurin. lib. 2. ap. Reuber.* b) AVIT. *l. 5. poemat.* c) TVROZIVS *Chron. Hung. de Geyſa Rege c. 65.* d) SYLV. GIRALD. *lib. 1. de expugn. Hibern. c. 21.* e) GVIL. BRITO *lib. 11. Philippid. p. 232.* f) *ap.* MEIB. *Tom. 1. p. 806.* g) Ibid. *p. 810.* h) DV FRESNE *Tom. 3. Gloſſ. Lat. p. 473.*

OBSERVATIONES DE CHIROTHECIS ET OCREIS.

XVIII. Nihil iam in mediæ ætatis armatura reſtat amplius, quam manuum pedumque inuolucra, quæ paucis etiam in antiquitatum ſtudioſorum gratiam e ſigillis conſiderabimus. Manus tegere eo magis erat neceſſarium, quo maiori eſſent periculo expoſitæ. Conſtat enim gladiorum manubria non ita fuiſſe comparata, vt manus intra illa tuto deliteſceret, quod ſequiore demum æuo fieri cœpit, ſed parum diſcrepaſſe a cultorum manubriis, ſolum ſi exceperis ferrum transuerſum, quod manubrium a ferro diſtinguebat. Hinc excogitatæ ſunt chirothecæ vel e corio ſolidiore conſutæ, vel ferreis annulis obductæ, vel totæ e laminis ferreis flexilibus confectæ. Omnium horum generum chirothecæ in ſigillis occurrunt. Vbi tamen ſingularis ea obſeruatio, quod iſtas initio non vtrique manui aptauerint, quum ſiniſtræ plus ſatis in clypeo eſſet præſidii, ſeo dextræ tantum, qua gladius erat vibrandus. Sane enim in ſigillis Comitum Flandriæ ab Oliuario Vredio delineatis ſiniſtra manus non ſemel nuda adparet, quum dextra ſit chirotheca munita. Ceterum quia parum ab hodiernis diſcrepant chirothecæ in ſigillis obuiæ, non eſt, quod earum icones hic inſeramus. De ocreis id modo obſeruo, in ſigillis antiquorum Principum, qui ſe armatos ſiſtunt, ocreas, adparere ſimpliciores, & ad pedis figuram tam accurate confectas, vt veluti nudis equitare pedibus videantur. Poſtea pedes veſtiuerunt annulis ferreis, eodem modo, qui in loricis adparet, contextis. Denique pedibus ſubligarunt laminas ferreas, aut coria bubula, ex quibus ſenſim enatos credo ocrearum ſuperiores ambitus, (die Stolpen vocant) quos hodie aſſuere amant. Ceterum & id docent ſigilla, iam antiquum eſſe morem, quem hodie multi reuocant in vſum, vt ocreæ in ſuris diuiderentur, ac deinde loro per foramina vel fibulas traiecto conſtringerentur. Sed hæc minutiora ſpectaturis danda erit opera, vt ſigilla quam optime conſeruata obtineant.

Facile

Facile enim vetuſtas arrodit ceram, ſculptorumque, qui minutiſſima quæuis religioſe exprimebant, lineamenta confundit.

XIX. Tranſimus ad rem equeſtrem, phaleras ceteraque equorum ornamenta, in quibus veterum modo modeſtiam & ſimplicitatem, modo pompam & elegantiam admirabitur rerum eiusmodi curioſus. Gratiam forte aliquam ab huius generis hominibus inibimus, ſi aliquas hic dederimus obſeruationes, quæ nobis varia ſigilla luſtrantibus ſe obtulerunt. Hinc primo illud attendi meretur, quod antiquiſſima ſigilla equos plerumque ſiſtant, nullis ephippiis aut ſtapedibus, ac ne frænis quidem inſtructos, quæ tamen res ad rem equeſtrem ita exiſtimantur hodie neceſſariæ, vt nemo hoc adparatu deſtitutus equum temere auſurus ſit conſcendere. Veteres tamen hoc auſos eſſe, patet ex ſigillis, inprimis antiquiſſimis, veluti Comitum Flandriæ, in quibus nulla huius adparatus veſtigia ſe offerunt. Vnde Oliuarius Vredius: (a) *In hoc*, inquit, *aliisque circa hæc tempora ſigillis interdum nec equorum* FRÆNA *conſpiciuntur, nec* EPHIPPIA, *nec* SVBICES ILLI PEDANEI, *qui Romanis ignoti fuerunt, vt nec nomen quidem habuerint, nouo nunc vocabulo ſtapedes dicti. Nempe antiquitus generoſum ducebant, equo inſilire, eumque regere iubis adprehenſis.* Hæc Vredius, ſequutus, vt opinor Guilielmum du Choul (b) e marmore depingentem equitem Romanum leuiter armatum, cuius equus nec ſtapedibus nec freno inſtructus eſt. Quamuis vero hæc, quæ de Romanis notat Vredius, conſiſtere non ſatis poſſint, quum & Hieronymus & alii voces *Stapia, biſtapia, ſtapeda, Aſtrabas*, & *Aſtrabaria* (c) vſurpent, verum etiam Romæ vetus hæc ſuperſit inſcriptio:

OBSERVATIONES DE ORNAMENTIS EQVORVM APVD VETERES. ANTIQVI SINE FRENO, STAPIIS ET EPHIPPIIS EQVITARVNT.

AMOR FVIT EQVO DVM ASPECTVI
FORMOSISS. DVRMIONIÆ PVELLÆ
VIRGVNCVLÆ SVMMA POLVORIA
PLACERE CVPEREM CASV DESILIENS
PES HESIT STAPIÆ TRACTVS INTERII.

Germanos tamen antiquos generoſo homine dignum duxiſſe, equum ſine eiusmodi adminiculis commode temperare, facilius concedam, quippe quos rei equeſtri omnium maxime ſtuduiſſe, maximamque ſibi inde laudem quæſiuiſſe tot auctorum teſtimoniis conſtat. II. Ephippia antiquiſſima comperio eſſe ſimpliciſſima, nihilque differre a puluinaribus, niſi quod plura ex vtraque parte lora per equi latera defluant, ornatus elegantiæque cauſſa. III. Ephippia porro non quidem eo, quo hodie fit, ritu equo adſtringebantur, ſed loro per pectus equi tranſeunte, ſeu antilena alligabantur, vt decidere non poſſent. IV. Atque illud lorum pectorale tanquam præcipuum equi ornamentum multis phaleris, tintinnabulis globulisque exornabant. Tintinnabula in ſigillis perſpicue admodum exprimuntur, deque iis iam ſupra memini me nonnulla differere. Ceteræ phaleræ ex ipſa ſigillorum diligenti inſpectione, quam deſcriptione qualicunque perſpicientur rectius. V. Cetera quoque lora ſi ſpectes, multo aliter antiquos equos ſternere ſolitos adparebit, quam nobis hodie ſolenne eſt. Frontem enim equi aliquando lata faſcia ornabant, quæ frontalis præberet ſpeciem. Non raro etiam poſtilena ab ephippio per clunes equi tranſibat, qualem hodienum in equis, quos currui iungimus, non item in iis, quibus vehimur, adhibemus. VI. Sed maxime ſplendorem & magnificentiam oſtenderunt antiqui in veſtiendis equis, ſiquidem non poſteriora tantum, verum etiam anteriora equi variis ſtragulis & dorſualibus pulcherrime pictis ac variegatis velabant, ita vt nec de capite quidquam, præter aures, emineret. Mira in hoc eorum adparuit ſolertia, vt equos quam pulcherrime veſtitos haberent. Modo enim inſignia gentilitia in ſtragulis his vbique depingenda curabant, modo illas tintinnabulis diſtinguebant, modo iisdem ſubſternebant loricas ferreas, ita, vt ſupra diximus, ex annulis ferreis contextas. Poſtremum hoc quemadmodum in ſigillis Vredianis ad oculum patet, ita & in Auctoribus habet præſidium. De dextrariis enim ita Annales Colmarienſes, (d) *Hi equi cooperti fuerunt* COOPERTORIIS FERREIS, *id eſt, veſte ex* CIRCVLIS FERREIS *contexta.* Inquirenti in huius rei originem illud mihi præcipue occurrit notatu dignum, quod ſigilla antiquiora equos ſiſtant omnibus eiusmodi ornamen-

EQVI VESTITI.

a) VRED. *expoſit. Sigill. Comit. Flandr. p. 9.* b) GV. DV CHOVL. *Caſtrametation des Romains. p. 56. 61.*
c) HIERON. MAG. *lib. 2. Miſcell. cap. 14.* SALMAS. *ad Spatran.* d) *ad ann. 1298. p. 57. ap. Vrſtiſ. Tom. II.*

namentis deſtitutos, vnde in eam propendeo ſententiam, veſtes eiusmodi equinas eo demum tempore cœpiſſe adhiberi, quo occidentales principes in orientem paullo frequentius ſiue religionis, ſiue belli ſacri cauſſa proficiſci cœperant. Quum enim ante iſtas peregrinationes Germani patriorum morum eſſent ſeruantiſſimi, ex eo demum tempore cœperunt maiorem ſplendoris, quam frugalitatis antiquæ habere rationem. Vnde par eſt credere, eosdem hæc quoque equorum ornamenta ex oriente mollitiarum eiusmodi ſemper ſtudioſiſſimo in patriam inuexiſſe. Reges ſane Orientales multo prius, quam occidentales principes equos eiusmodi phaleris & tegumentis ornaſſe, & poſtea in hac re pæne inſaniiſſe, plura monimenta docent. Carolus du Freſne in gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis (a) delineauit Balduinum II. Regem Hieroſolymitanum inſidentem equo, cuius etiam pedes tibialibus ſericis more Græcis non inuſitato veſtiuntur, vt cetera ornamenta ſatis ridicula omittam. Quamuis vero eo dementiæ nunquam proceſſerint occidentales, vt pedibus equorum tibialia, hoc eſt, Herculi ſoccos aptarent, ex iis tamen, quæ dixi, admodum fit veriſimile, eos in ceteris equorum ſtragulis orientalium luxum fuiſſe imitatos. VII. Præcipue vero illorum cura in ornandis equorum capitibus adparuit, quippe quibus modo dracones, aquilas, alas, modo flores & lilia, modo plumas pauonum & ſtruthionum imponebant. Immo ſunt ſigilla, in quibus cornua fronte præferunt equi, aut talia ornamenta, quæ galeis ferreis reſpondent. VIII. Sequiore æuo fræna multo latiora, quam initio, fiebant, multisque phaleris ac tintinnabulis diſtinguebantur, nonnunquam duplex erat frænum nimirum latius alterum, alterum tenuius, illud ornatus, hoc commoditatis cauſſa adhibitum. IX. In aliis ſigillis cauda equina ſub dorſuali latet & ſumma ſaltem extremitate præeminet, in aliis per foramen traiecta eſt. Id vero foramen & ipſum inornatum eſſe noluerunt. Siquidem ei aptabant figuram capitis leonini, vt adeo cauda e leonis rictu defluere videretur. Præterea in dorſo equi ſæpe adparent lilia, globi, tintinnabula aliaque huius generis ornamenta, quæ ſpectantur facilius, quam deſcribuntur. X. In ipſa equitatione attendi meretur, quod veteres generoſum putarint & decorum, ſi equo inſidentes pedes quam maxime antrorſum protenderent. Quæ omnia e ſigillis multo accuratius, quam e ſcriptoribus diſcuntur.

RES VESTIARIA MEDII ÆVI E SIGILLIS PETENDA.

XX. Non minus e re ſua eſſe credent antiquitatum ſtudioſi, vt reliquam quoque antiquorum rem veſtiariam perſpectam habeant. Quanta vero hic meſſis e ſigillis exſpectanda? Liquido ex iis conſtabit, quo ſingulis ſæculis in ſingulis regionibus veſtium genere Reges, Principes, illuſtres feminæ priuatique vſi ſint? Quod quam ſit ad illuſtrandos medii æui ritus vtile futurum, vel inde patet, quod quum de antiquorum re veſtiaria aliquot eruditiſſimi viri luculentis ſcriptis egerint, de mediæ ætatis veſtiendi ritu nemo adhuc quidquam, quod ego ſciam, elucubrarit ex omni parte abſolutum. Ii enim, qui velut aliud agentes hanc materiam tetigerunt, vix huc videntur referendi. Nos, quum omnem materiam non niſi iuſto tractatu exſequi liceat, paucis obſeruationibus erimus contenti:

OBSERVATIONES DE TVNICIS PROLIXIORIBVS.

I) Maiores noſtros a Francorum ætate in vniuerſum video togas prolixiores in pace breuibus thoracibus prætuliſſe, veſtesque adeo ad talos vsque promiſiſſe, quippe quem habitum viris credebant digniorem. Hinc vbicunque aut Principes aut priuati ſtantes, ſedentes, (equitantes enim & velut ad bellum compoſitos breuiorem habitum induere commoditatis cauſſa oportuit) ſemper toga promiſſa adparent veſtiti. Sic Cæſares, ſic Reges, ſic Principes Comitesque finguntur, vt adeo breuiorem habitum, qui hodie inter plerosque obtinet, ante ſæculum XV vix inuenias. Ex eo enim tempore cœperunt ſenſim tunicas reddere breuiores. Quod tamen iam tum non adeo placuit viris antiquæ grauitatis ſtudioſis. Ita enim Æneas Syluius: (b) *Dicentem ſæpenumero Fridericum audiuimus, malle ſe febri teneri, quam ſaltationi operam dare. At Galli, vt quam leuiſſime ſaltent, veſtium, quibus nec nates, turpe dictu viſuque, obtegunt, vſum inuenere. Sequitur Hiſpania Gallicas ineptias. Italia vero damnat, deteſtatur, abhorret. Nam quid turpius, quam ita veſtitum eſſe hominem, vt quaſi nudus pudenda quæuis in propatulo habeat?*

II) An Franci etiam prolixis eiusmodi tunicis talaribus vſi ſint, certo non dixerim, quum numi æque ac ſigilla nonniſi Imperatorum protomas exhibeant, ex quibus de toto habitu iudicare non licet. Breuiores tamen tunicas patrio ritu amaſſe, magis crediderim, adductus

a) DV FRESNE *Gloſſar. Græc. in Tabulis æneis ibid. annex.* b) ÆN. SYLV. *Comment. ad lib. 1. in dict. & fact. Alphonſ. Reg. p. m. 11.*

ctus præcipue loco Eginhardi, (a) quo Carolum M. non niſi ſemel atque iterum Romæ tunica prolixiore vſum teſtatur. En ipſa eius verba: *Veſtitu patrio, hoc eſt, Francico vtebatur: ad corpus camiſiam lineam, & feminalibus lineis induebatur: deinde tunicam, quæ limbo ſerico ambiebatur, & tibialia: tum faſciolis crura & pedes calceamentis conſtringebat: & ex pellibus lutrinis thorace confecto, humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio ſemper accinctus, cuius capulus ac baltheus aut aureus aut argenteus erat: aliquoties & gemmato enſe vtebatur, quod tamen non niſi in præcipuis ſolennitatibus, vel ſi quando exterarum gentium legati veniſſent, faciebat. Peregrina vero indumenta, quamuis pulcherrima, reſpuebat, nec vnquam eis indui patiebatur: excepto, quod Romæ ſemel Adriano Pontifice petente (& iterum Leone ſucceſſore eius ſupplicante,) LONGA TVNICA ET CHLAMYDE amictus & calceis Romano more formatis induebatur.* De ceterorum Regum Francicorum habitu elegans exſtat locus Monachi San-Gallenſis in vita Caroli M. (b) *Erat antiquiorum ornatus vel paratura Francorum, calceamenta forinſecus aurata, corrigiis tricubitalibus inſignita, faſciolæ crurales vermiculatæ, & ſubtus eas tibialia ac coxalia linea, quamuis ex eodem colore tamen artificioſiſſimo opere variata; ſuper quæ & faſciolas in crucis modum intrinſecus & extrinſecus, ante & retro longiſſimæ illæ corrigiæ tendebantur: Deinde camiſia glizzina. Poſthæc baltheus ſpatæ colligatus. Quæ ſpata primo vagina fagea, ſecundo corio qualicunque, tertio linteamine candidiſſimo cera lucidiſſima roborato ita cingebatur, vt per medium cruciculis eminentibus ad peremtionem gentilium auraretur. Vltimum habitus eorum erat pallium - - Tum baculus de arbore malo nodis paribus admirabilis, rigidus & terribilis cuſpide manuali ex auro vel argento cum cælaturis inſignibus præfixo portabatur in dextra.* Sed ſatis hæc Eginhardi monachique Sangallenſis deſcriptio illuſtratur tum imaginibus Caroli Calui & Lotharii Imperatorum a Baluzio (c) editis, tum effigie Caroli M. patritii, quam Petauius, (d) Chiffletius (e) & Tenzelius (f) dederunt, in qua, cum ipſe Carolus M. tum Primicerius & Secundicerius eodem plane induti habitu adparent, quem deſcribit Eginhardus, ſolum ſi excipias pallium, circulum aureum & calceos Romanos, quæ ad Patritiatum potius, quam gentilem Francorum habitum videntur referenda. Tunica certe, feminalia, faſcesque, quibus crura conſtrinxiſſe Eginhardo dicitur, hic eleganter expreſſa, quiuis perſpiciet. Quemadmodum igitur Francorum ætate breuiori habitu delectabantur Germani, ita emortua Carolingorum gente quum Saxones ad imperium adſpirarent, ſimul prolixior habitus videtur inuectus. Talem ſane fuiſſe Saxonum veſtiendi ritum a Francorum moribus admodum diuerſum, ex hoc Gobelini Perſonæ (g) patet teſtimonio: *Et erant* (Saxones) *veſtiti deſuper* LONGIS SAGIS, *longas haſtas, & ſcuta parua portabant, & cultellos latos ad renes gerebant, ac per ſcapulas longa diffuſa cæſarie incedebant, ita quod Francis propter habitum peregrinum & ferocitatem miraculo fuerunt.* Sed quum nec hæc quidem ſatis ex ſigillis poſſint demonſtrari, ac Gobelinus de militari potius quam ciuili Saxonum habitu loqui videatur, rem in medio relinquo.

CORONARVM FORMA VARIA IN SIGILLIS SPECTATVR.

III) Capita Reges coronis, ceteri pileis, aut mitris potius tegebant. Coronæ dici non poteſt, quam variorum generum fuerint. Vix duo ſe offerunt Reges, qui iisdem coronis vtantur. Lubet hinc ex ſigillis nonnullas hic depingere, vt de earum diuerſitate eo accuratius conſtet. Optarem, vt etiam Francorum diademata poſſim hic dare, ſed quum primæ ſtirpis Francorum Principes & Reges, ceu ex Marco Wulſonio obſeruat Chiffletius, (h) coronas non geſtarint, ſed ſimplices duntaxat ex auro circulos, quos caſſidi ſuperponebant, a Carolingorum tantum diadematibus, quorum nonnulla in bullis & ſigillis eorum conſpiciuntur, licebit incipere. Certum enim eſt, etiam Carolingos diademata aurea gemmisque diſtincta adhibuiſſe, idque his verbis de Carolo teſtatur Eginhardus: (i) DIADEMATE *quoque ex* AVRO *&* GEMMIS *ornatus incedebat.* Attamen frequentius in ſigillis prætulerunt laureas, veteres potius Romanorum Impe-

a) EGINHARD. *de vit. & geſt. Carol. M. p. 10.* b) *ap.* BALVZ. *tom. II. p. 741.* c) Idem *Tom. II. Capit. p. 1276. 1277. 1279. conf. p. 1307.* d) PETAV. *in Gnoriſm.* e) CHIFFL. *in Anaſtas. Childer. cap. 9. p. 130.* f) TENZEL. *Biblioth. curioſ. anno 1705. repoſit. 2. pluteo. 6.* g) GOBELIN. *ætat. 5. Coſmodrom. c. 11. p. 159.* h) CHIFFLET. *c. 9. Anaſtaſ. Child. p. 134.* i) EGINH. *de Vit. & geſt. Carol. M. p. 10.*

Imperatores, quam patrios ritus in hoc imitari. Nec igitur prorſus ea deſideret lector, aliquot addidimus e ſigillis, quibuscum conferendæ quatuor coronæ, binæ a Carolo Caluo, tertia a Lothario Imperatore, quarta à neſcio quo Rege vſurpatæ, quas debemus Baluzio. (a)



1. Corona Dagoberti M.
2. Caroli M.
3. Zuenteboldi.
4. Ludouici Tranſmarini.
5. Lotharii I. Reg. Franc.
6. Rotberti I. Reg. Franc.
7. Ottonis I Regis.
8. Ottonis I. iam Imperat.
9. Ottonis II. Reg.
10. Ottonis III. Imp.
11. Ottonis eiusdem.
12. Henrici II. Sancti.
13. Conradi II.
14. Henrici III.
15. Eiusdem.
16. Heinrici IV.
17. Eiusdem.
18. Henrici V.
19. Lotharii II.
20. Conradi III.
21. Friderici I.
22. Friderici eiusdem.
23. Ottonis IV.
24. Mariæ eius vxoris.
25. Friderici II.
26. Henrici VII.
27. Conradi IV.
28. Wilhelmi.
29. Rudolfi Habsburgici.
30. Ludouici Pii.
31. Caroli IV.
32. Friderici IV.
33. Balduini Imp. Conſtantinop.

a) BALVZ. *Tom. II. Capit. p. 1276. 1277. 1279. 1307.*

De

De pileis non æque certa omnia atque explorata ſunt. Non raro enim Principes æque ac priuati in ſigillis aut galea caput obnupti, aut plane nudo capite ſe ſiſtunt. Quod non ita eſt accipiendum, ac ſi ſemper nudo capite inceſſerint, ſed quod magis decorum putarent, Principes viros nudo capite depingere. Vnde quæ Celeb. Wedelius (a) de numis, eadem recte de ſigillis pronunciabimus: *Non obſtat vero, in numis antiquis, gemmis & ſtatuis ordinarie magis nudo vel ſaltim non operto capite exhiberi icones Imperatorum aliorumque, quod ibi natiua magis forma & facie viſendi ſint. Rariſſimi & hodierno ſæculo ſunt numi pileati recentiores, nemo tamen inferat inde, non in vſu eſſe pileos. Quod vulgatiſſimum eſt, id fere omni ſæculo minus ſcriptis celebratum, ſed ſuppoſitum potius & fruſtraneum, vt ſcriberetur, habitum.* Ne tamen plane hic ſigillorum ope videamur deſtitui, en aliquot pileorum figuras: quamuis virorum fere principum propriæ fuiſſe videantur. VT ET PILEORVM.



Primum & quartum pileorum genera rotunda ac depreſſa inter vetera Comitalis dignitatis inſignia referenda communi nomine audiebant *Mortaria*, ob ſimilitudinem aliquam vaſis rotundi, in quo res fractu faciles piſtillo teruntur. Vocantur & alias *birreta* ſeu *pilei*, vel *corona comitis*, & in ipſo creationis actu Comitibus conceduntur hac formula: *Te N. & tuos filios, & deſcendentes legitimos in infinitum, in veros Comites creamus, cum poteſtate portandi, vel vtendi* BIRRETO, *ſeu* PILEO, *vel* CORONA COMITIS, *cum* PALLIO *ſeu* MANTELLO, *ANNVLO & quibuscunque aliis ad dignitatem* COMITIS *pertinentibus.* (b) Quintum, ſiue globulis aureis, ſiue tintinnabulis exornatum, eſt Conradi Comitis de Lucelemburc, cuius ſigillum adpenſum anno 1135 inter diplomata San-Maximiniana delineauit Zylleſius. (c) At notandum maxime eſt ſecundum, Saxonicæ familiæ proprium atque ideo in galeam Saxonicam translatum, de quo infra nonnulla dicemus. Nec putes velim recens hoc pileorum genus eſſe. Antiquiſſimum enim & Germanis iam olim ſolenne fuiſſe, probat numus Traiani Imperatoris a celeb. Wedelio (d) explicatus.

IV) Non multa dicam de capillis & barbis, quas modo promittebant, modo tondebant, modo in hanc, modo in aliam formam componebant. Id vnde rectius, quam e ſigillis diſci poterit? In numis bracteatis vix vnquam barbatum Principem intueberis. Etiam illos, quos ſolidi & ſigilla barbam aluiſſe docent, imberbes ſiſtunt bracteati. *Cui rei* (inquit Cl. Otto Sperlingius) (e) *nullam cauſſam reperire poſſim aliam, quam monetariorum moribus in Anglia, ex qua primos ſuos Dani habuiſſe videntur, hoc factum. Illi enim plerumque ſine barba Reges ſuos in numis expreſſerunt, præſertim in cauis, in quibus barbatos non amabant: nec decorum eſſe, nec moris inter numorum elegantias recepti credebant. Eadem ratione in numis Germanicis reperiuntur ſculpti, rariſſime cum barba, vtut maiores noſtri illam amarent & colerent, vt ex variis exemplis & hiſtoriis manifeſtum reddere poſſemus, ſi hoc nunc agere liceret.* Malim ego id artificum inertiæ adſcribere, quæ vix admittebat, vt barbas tam ſubtili cælatura in tam rudi numorum genere exprimerent. Vtut ſit, magna in hoc adparet ſigillorum præſtantia, in quibus & comæ & barbarum rationem habitam reperimus. Speciminis loco vnicam hanc dabo obſeruationem. Veteres auctores Francorum deſcribentes habitum, plerumque eorum cæſariem prolixamque comam admirantur. Claudianus (f) Marcomerem Clodionis auum & Sunnonem e maioribus illius quendam vocat *Reges crinigero vertice flauentes*, & Eumenius (g) exaggerat *Francorum corpora barbara & prolixo crine rutilantia.* Poſtea vero ſecuto tempore licet omnes Franci ſtrictim tonderentur, omnisque in Francia, in primis Orientali coma interdiceretur plebi, donec Petri Lombardi Magiſtri illius ſen- OBSERVATIONES DE CAPILLIS ET BARBIS.

a) WEDEL. *diſſ. de num. pileat. p. m. 1.* b) CHIFFLET. *in Anaſtaſ. Childer. p. 139.* c) ZYLLES. *p. 3. p. 54.* d) WEDEL. *diſſert. de numis pileat. p. 4. & 5.* e) SPERLING. *p. 31. de num. bract.* f) CLAVDIAN. *lib. 1. de laud. Stilic.* g) EVMEN. *laud. Conſtantii Cæſ.*

tentiarum interceſſione, vt ferunt, eam alendi licentiam impetrarent: (a) ſemper tamen Regibus ius iſtud promittendi comam ſartum tectumque manſit, omnesque fere Merouingicæ ſtirpis Reges hunc habitum maximi fecerunt, nec vnquam patrium morem deſeruerunt. Id quam eleganter in ſigillis exprimitur? In iis fere ſemper Merouingi horribili pæne facie ac inuolitantibus vtrinque in humeros capillorum cirris conſpiciuntur, quemadmodum e tabulis æneis (*) Mabillonii (b) & Childerici annulo adparet.

V) Poſſent plurima commemorari de collis antiquorum nudis, de manicis ſtrictioribus, de calceis & tibialibus, ſed malo hæc aliis relinquere, in ſigillis conſpicienda. In cingulo vero mirum eſt, quam antiqui affectarint elegantiam. Patet id ex Vita S. Batildis Reginæ, vbi hæc Regina fertur *ipſum regale, quo cingebatur, CINGVLVM a ſacris lumbis abſtuliſſe, fratribusque in eleemoſynam dediſſe.* Cui enim bono fuiſſet fratribus cingulum, niſi a pretio illud ſe commendaſſet? Ita & Venant. Fortunatus: (c)

Pulcra topaziacis oneratur ZONA lapillis.

Eiusmodi cingula plura eleganter variegata ſigilla Cæſarum, Principum ac Abbatiſſarum ſuppeditant, quæ curioſus Lector infra conſpicere ſuoque lubitu expendere poterit.

OBSERVATIONES DE PALLIIS.

VI) Commune vtrique ſexui erat pallium ſatis prolixum, quod ante pectus fibula conſtrictum in terram vsque defluebat. Vbi ſimul obſeruandum eſt, pallia illa plane deſtitui patagiis, quæ hodie iſtis affuuntur, quod & ex aliis monumentis obſeruat Antonius Matthæus: (d) Quamuis vero Principum pallia, ſi cetera ſpectes, non adeo multum diſcrepare videantur ab hodierno vſu, longe alia tamen Imperatores noſtri & Reges ſibi ſumſerunt, nimirum quadrata, quibus ſi induebantur, bini anguli in alterutro humero fibula conſtringebantur, reliquus pannus in alterum armum colligebatur, vt vtraque manus libera eſſet, pectus vero æque ac tergum pallio decore tegeretur. Deſcripſit hoc Regium velamen Monachus Sangallenſis: (e) *Vltimus habitus eorum erat* PALLIVM CANVM *vel* SAPHIRINVM QVADRANGVLVM DVPLEX *ſic formatum, vt quum imponeretur humeris, ante & retro pedes tegeret, de lateribus vero vix genua contegeret.* Sed quum illa deſcriptio ſit paullo obſcurior, merito ad ſigilla potius confugiendum videtur, vbi oculis multa eiusmodi pallia ſe offerunt. Vix enim a Carolo M. occurrit Imperator, quin in ſigillis huiusmodi pallio ſe veſtiuerit, quod in humeris eſt fibula conſtrictum. Inprimis hic veſtiendi mos adparet e ſigillis Henrici I, Ottonis I, Ottonis III, Henrici II, Henrici III & Henrici IV, vt & aliquot eorum ſucceſſorum, dignis ideo, quæ cum allegato Monachi Sangallenſis loco conferantur.

OBSERVATIONES DE HABITV ILLVSTRIVM FOEMINARVM.

VII) Tranſimus ad illuſtrium feminarum habitum, vbi mitras modo in ſuperiore parte planas, modo rotundas capiti impoſitas notamus, quibus quidem non occiput inuoluebant, vt hodie mulierculis ſolenne eſt, ſed verticem non aliter ac pileo tegebant. Eiusmodi mitras non modo in Comitiſſarum Flandriæ, verum etiam noſtris ſigillis infra delineatis conſpicere licebit, quibus & alia principum feminarum ſigilla a Tenzelio, Schlegelio, Milichio aliisque edita iungi poterunt.

VIII) Ex his mitris plerumque per humeros defluebant capilli, quippe quos præcipuum ſuum ornamentum credebant mulieres. Nec putandum eſt, innuptis id ſolis placuiſſe, quas iam veteri æuo comæ ornare credebantur; ſed & deſponſis idem mos fuit obſeruatus, id quod ex Comitiſſarum præcipue Flandriæ & Agnetis Duciſſæ Sileſienſis ſigillis patet.

IX) Nec deſunt tamen etiam ſigilla in quibus mulierum e mitris ſupra deſcriptis vtrinque dependent vittæ ſeu faſciæ, quæ ſub mento conſtringuntur. Immo in quibusdam ſigillis capitis ornatus Principum feminarum non multum diſtat a tæniis peplisque, quibus moniales faciem obuoluunt.

X) Collum modo nudum, modo veſte tectum adparet. At turpis illa vbera oſtentandi conſuetudo, qua noſtri ſæculi mulierculæ iam veluti deſipiunt, e medio æuo plane exulat. Vnde adparet, quanto ſanctius ſuam pudicitiam habuerint olim honeſtæ feminæ, quam

a) CONRING. *de habitu Corp. German. p. 15. 16.* CHIFFLET. *c. 9. Anaſtaſ. p. 103. ſq.* *) *TAB. III. n. 1. 23. ſq.* b) MABILL. *l. 2. c. 16. conf. tab. 19. 21. 22. de R. D.* c) VEN. FORT. *lib. 8. poem. 4.* d) ANT. MATTH. *Analect. vet. æui p. 480.* e) MONACH. S. GALL. *Vit. Car. M. lib. 1. c. 36.*

quam hodie, quum iam nihil fere habeant adeo a natura reconditum, quod non iuuenum puerorumque oculis exponant, peſſimo ſane exemplo ſufflantes alentesque ignem, quem extingui magis ſua intereſſet. Sed hoc praui ſæculi dedecus iam alii grauiſſimis verbis deteſtati ſunt. Nos ad alia pergimus.

XI) Si collum nudum eſſet, ex eo in pectus pendebat monile, hoc eſt, cimelium aureum vel gemmeum, quod aperte ſe offert in ſigillo Mathildæ Aſcanienſis.

XII) Reliquum corpus tegebatur prolixa ſtola, quæ ad pedes vsque defluebat, & ſuperiore quidem corporis parte ſtrictior, in inferiori multis plicis ornata, ac denique limbo elegantiore erat prætexta. Manicæ plerumque ſtrictiores ad manus vsque pertingebant, vt adeo recentior videatur mos brachia ad cubitum vsque nudandi.

XIII) Ea veſtis per lumbos aut ſupra illos nonnunquam elegantiore zona cingebatur, aliquando etiam zona deeſt, vbi tamen ſuperior ſtolæ pars plerumque tam eſt ſtricta, vt omnes corporis artus exprimat.

XIV) Exterius Principum feminarum tegumentum æque ac Principum virorum pallium eſt, quod in pectore fibula vel faſcia conſtrictum per tergum defluit, & egregie plerumque eſt exornatum. Hæc igitur omnia, vt & alia plura, ſi quis ſecum expendere accuratius, adhibitisque ſigillis aliis intueri voluerit, habebit ſane campum, in quo excurrat: quoque multa, quæ a medii æui ſcriptoribus de habitu & re veſtiaria ſui temporis ſcribuntur, optime explicet atque illuſtret. Nobis ad metam properantibus vel ſpecimen dediſſe ſuffecerit.

SIGILLA NVM ETIAM ARCHITECTO PROSINT?

XXI. Equidem qui ædificandi ſcientiam profitentur, multo maiorem percipient vtilitatem, ſi veterum Græcorum, Romanorumque elegentiam ex eorum numis diſcere ſtudeant, in quibus templa, prætoria, amphitheatra, arcus triumphales, pontes, columnæ & alia huius generis ad abſolutiſſimas architecturæ regulas compoſita ſunt, (a) quum e contrario medio æuo nouum inualuerit ædificandi genus, quod ita eleganter deſcribit Nicolaus Goldmannus (b) à celeberrimo Chriſtophoro Leonhardo Sturmio, Profeſſore Mathematum Francofurti ad Oderam, in lucem editus: Alſo hatte die gute Bau-Kunſt ihr Ende erreichet, wie es die folgende Zeiten ausgeweiſet haben. Denn die mitternächtiſchen Völcker überſchwemmeten mit groſſen Heeren und Grauſamkeit, als eine Sündfluth gantz Italien, und Rom muſte als ein ungeheuer Luſt-Gebeude zur Erden ſtürtzen, alſo daß man in Wahrheit ſaget, es liege das alte Rom in dem neuen begraben. Nach dieſem hat das wilde und wüſte Leben, als eine anfällige Seuche in gantz Europa zugenommen, man hat etliche hundert Jahr nach einander nichts als durchbrochene und durchbohrete Stein-Berge an ſtatt zierlicher Gebeude auffgerichtet ꝛc. Attamen quum etiam ſimplicitatem medii æui pernoſſe iucundum ſit, non fruſtra erit antiquitatum ſtudioſus, qui in ſigillis varias turres, pontes, templa, altaria, loculamenta Sanctorum nauesque conſiderauerit.

VTENSILIA IN SIGILLIS OBVIA.

XXII. Non minus delectari ſolent rerum antiquarum curioſi, ſi varia veterum vtenſilia domeſticamque ſupellectilem expendere liceat. Harum rerum magnam copiam nobis offerunt ſigilla, in quibus throni, ſellæ, claues, crates, cultri, ferræ, libri eorumque ornamenta aliaque huiusmodi innumera exhibentur, ſpectatu ſane non indigna.

EFFIGIES SVMMORVM VIRORVM AD VIRTVTEM INFLAMMANT.

XXIII. Denique quis non niſi inſigni voluptate ſe ſentiat perfundi, quoties in fumoſis hiſce ceris tot Cæſarum, Regum, Principum, Epiſcoporum aliorumque de eccleſia reque publica præclare meritorum hominum effigies ſpectare ac coram ſibi intueri eorum facies videtur? Quis eorum virtutes ex ipſo vultu veluti emicantes ſpectans, non ad æmulationem ſe incendi intelligat? Quis non orantium pietatem, fundatorum liberalitatem, in veſtitu modeſtiam, in toto denique corporis habitu virilem quandam grauitatem admiretur? Omnes ſane in eo conſentiunt, nihil eſſe ad poſterorum virtutes inflammandas efficacius, quam ſi maiorum iis imagines ad maieſtatem & ſummam ſeueritatem compoſitæ tanquam domeſtica, quæ ſequerentur, exempla proponantur. Romani ſapientiſſimi mortalium, quibus nulla gens magis vnquam orbis imperium meruit, pulcrum hoc ſequebantur inſtitutum, vt diſpoſitis per atria maiorum imaginibus ceræ impreſſis poſterorum animos ad tuendum familiæ decus inflammarent. Hinc Plinius: (c) *Apud maiores*, inquit, *in atriis hæc erant, quæ ſpectarentur, non ſigna exterorum artificum, nec æra, aut marmora. Expreſſi cera vultus, ſingulis*

a) *Vid.* OISEL. *tab. 106. vsque 109.* b) GOLDMANN. *Architectur. Ciuil. l. 1. cap. 2. p. 4.* c) PLIN. *lib. 35. cap. 2. Hiſt. Nat.*

gulis disponebantur armariis - - - stemmata vero lineis discurrebant, ad imagines pictas, Tablina codicibus implebantur & monumentis rerum in magistratu gestarum. Aliæ in foribus & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis: quæ nec emtori refringere liceret, quæ etiam dominis mutatis domus ornamenta erant; eratque hæc stimulatio summa & ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare, in alienum triumphum. Adeo multum vitæ mortuorum vultus inspirant languentium animis; Tam difficile est, sacras eorum facies, quas Mars & Sapientia habitant, sine honesta æmulatione, aut pudore certe intueri. Contigit id Manlio Torquato, de quo Valerius Maximus: (a) *Videbat*, inquit, *se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati seueritate conspicua imago posita erat, prudentissimoque viro succurrebat, effigies maiorum suorum cum titulis suis, idcirco in primæ adium parte poni solere, vt eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.* Quibus merito accenseas Q. Maximum & P. Scipionem, illa belli fulmina, quæ se maiorum imaginibus ad honesta facinora impulsos sæpenumero profitebantur. Testatur id his verbis Sallustius: (b) *Sæpe audiui Q. Maximum, P. Scipionem, præterea præclaros Ciuitatis viros solitos ita dicere, quum Maiorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi: scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in se habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquauerit.* Quæ quum ita sint, non parum profecto ii consuluisse posteritati censendi sunt, qui historias suas variis veterum effigiebus ex epitaphiis aliisque monumentis depromtis distinguunt, quod hodie faciunt pæne omnes, qui elegantioris litteraturæ sunt studiosi. Sane enim quum illustres animæ exemplis maiorum, quam regulis malint ad virtutem incendi, facile patet, quantam vim habitura sint exempla, si non modo ex scriptorum chartis legi, sed & ipsis oculis coram inspici possint. Præclare id docuit incomparabilis Gisbertus Cuperus, (c) quamuis in solis numis pro instituti ratione adquiescat. Eadem vero etiam de sigillis dicenda videntur. Persuasissimus enim sum, magna cum iucunditate Principes iuuentutis in historia patria exerceri posse, si maiorum sigilla eo methodo, q Oliuarius Vredius vsus est, ederentur, iisque breuiter subiicerentur eorum res gestæ. Ita enim futurum esset, vt & historiam cum voluptate imbibant, & tædium omne, quod ex scripto capere forte possint, consideratione tam diuersorum vultuum habituumque facile abstergatur, & denique tacite simul discentium animi ad imitandam Maiorum virtutem inducantur.

NVM SIGILLA PRINCIPVM VVLTVS EXACTE REFERANT.

XXIV. Sed posset quisquam in eam sententiam deuenire, non multum iucunditatis afferre posse imagines, quas tam inerti æuo sculptas constet, inde enim colligi, vultus eorum non satis accurate in sigillis fuisse expressos. Verum enim vero hic in vniuersum obseruandum videtur, non vnam esse eandemque omnium sigillorum rationem. Certe in Francorum Regum Imperatorumque sigillis vultus eorum satis accurate depingi, dudum agnouerunt Peirescius, Mabillonius, Tenzelius aliique. Iam de Peirescio ipsa adducam Gassendi (d) verba: *Commendans Peirescius VETERA SIGILLA, quæ coram inspexit ectypisque expressa tulit ex Archiuis Abbatiarum S. Dionysii, S. Germani, S. Mauri, & ceterarum, vt in quibus continerentur GERMANÆ EFFIGIES KAROLI Magni, HLVDOVICI Pii, HLOTARII Imperatoris, PIPINI REGIS Aquitaniæ, KAROLI Calui, CAROLI simplicis, aliorumque Regum ex secunda stirpe: Hæc sane, inquit, satis refellunt, tumulos & statuas hisce principibus confectas ante quadringentos aut quingentos annos.* Tantum scilicet sigillis tribuebat Peirescius, vt & monimenta cetera alios vultus referentia, eorum auctoritate reiiceret. An vero idem de sequenti æuo sperandum sit, non facile dixerim. Oliuarius Vredius ipse ea de re videtur dubitare. Vnde in præfatione ita monet: *Sicubi effigies, Comitum eos vultus ad viuum exacte non referant, quos repræsentant: - - - nihil a me meisque anaglyptis; totum vero a priscis sculptoribus illorum sigillorum, vnde cera expressa est, erratum esse scito; Ita enim illa dedi in ære, qnemadmodum reperi in cera: non vt esse debent, sed vt sunt, neque meum esse putaui, vllo modo ea vel corrigere, vel innouare.* Interea negari non poterit, sculptores, quantum per sæculi simplicitatem licuit, eorum, quos sculpserunt, vultuum maxime habuisse rationem, operamque dedisse, vt eos quam accuratissime exprimerent. Hinc non

a) VAL. MAX. *lib. 5. cap. 8. n. 3.* b) SALLVST. *de bello Iugurt.* c) GISB. CVPER. *de vtilit. quam ex numis principes capere possunt.* d) GASSEND. *lib. 2. Vit. Peiresc.*

non erit verendum, ne ſigilla exhibeant barbatum, qui barbam non aluerit; ne naſum aquilinum affinxerint illi, qui depreſſo fuerit vſus; ne os prælargum tribuerint illi, cui minutius dediſſet natura. Eſto igitur, non omnia vultuum lineamenta ad viuum præſentari, iucundum tamen erit, qualemcunque ex ſigillis ſibi formare ideam de eius vultu, cuius ſigillum videmus. Denique nec obiici poterit, lineamenta vultuum ob materiæ fluiditatem facile poſt tot elapſa ſæcula confundi potuiſſe: nam non deſunt ſigilla, quæ tam accurate omnia referunt, ac ſi nuperrime fuiſſent expreſſa. Inprimis diuturni temporis iniurias feliciſſime euitarunt ea ſigilla, quæ ipſi membranæ imprimebantur. Quum enim membrana ita plicaretur, vt ſigilla intra diplomata laterent, multum iis fuit tum aduerſus incautas manus, tum contra puluerem præſidii. Sed de his ſatis.

CAPVT QVARTVM.

DE VSV SIGILLORVM HERALDICO.

I. Vſum etiam ſigilla præſtant in Politicis & Moralibus.
II. Sed maxime in Heraldica.
III. Sigilla docent ſcutorum gentilitiorum originem. Scuta antiqua gyronata & ſtriis diſtincta non ſunt teſſeræ gentiles.
IV. Inſignia quando invaluerint?
V. Inſignium partes in ſigillis perſpicue conſpiciuntur.
VI. Vnde cimeria in ſigillis nata?
VII. Amplius de hac materia diſputatur.
IIX. Faſciarum in ſigillis gentilitiis origo.
IX. Atlantum origo.
X. Emblemata inſignium e ſigillis ſæpe reſtituenda.
XI. Inſignium tota hiſtoria e ſigillis petenda.
XII. Concluſio tractationis.

I.

VSVM ETIAM SIGILLA PRÆSTANT IN POLITICIS ET MORALIBVS.

MIretur nemo, me ſigillorum vtilitate, quæ in aliis ſcientiis ſeſe exſerit, nondum oſtenſa ad finem ruere, quum enim mihi temporis quam maxime parco non niſi ſpecimen dare curioſis libuerit, dedi operam, vt omni re, quanta liceret, breuitate defungerer. Non equidem multum laborandum eſſet, ſi & præſtantiam ſigillorum in ciuili moralique ſcientiis oſtendere vellem. Quam multa enim ad pietatem, liberalitatem, fortitudinem omnesque virtutes ceteras exempla in ſigillis proponantur, iam ſuperiore capite aliqua ex parte dictum eſt. Quot vero controuerſiæ ex antiquorum Principum titulis, ſcutis gentilitiis inſignibusque ceteris a Politicis decidi poſſint, quiuis paullo prudentior, me quoque indicente, ipſe æſtimabit: Sed quum de litibus eiusmodi Principum ſcribere meum non ſit, ac ſine exemplis res non ſatis clara ſit futura, quæ tamen inuidia non carent; aliis hanc partem relinquo perpoliendam.

SED MAXIME IN HERALDICA.

II. At de heraldica arte nonnulla adhuc monere viſum eſt. Eam enim ex ſigillis haut parum poſſe illuſtrari nemini puto dubium fore. Certe quum ad inſignium cognoſcendam originem nihil ſit vtilius, quam antiquiſſima luſtrare monumenta, in quibus illa depicta ſunt, facile adparet, facturum illum operæ pretium, qui & ſigilla conſuluerit, ex quibus non modo armorum figura, ſed & ætas cognoſci poteſt. Ne tamen nimium excreſcat libelli moles, placet totam de ſcutis gentilitiis tractationem paucis hiſce obſeruationibus abſoluere.

SIGILLA DOCENT SCVTORVM GENTILITIORVM ORIGINEM.

III. Primo non dubito, ex ſigillis, ſi diligentius colligerentur, accurate demonſtrari poſſe, quonam tempore cœperint Principes inſignibus vti. Quum enim totus Principum habitus in ſigillis curatius exprimeretur, cui dubium eſſet, quin etiam ſcutorum imagines a ſculptoribus ſint obſeruatæ? Memini me iam ſupra nonnulla de inſignium origine dicere. Attamen & hic e re erit, nonnulla monere. Initio igitur nihil aliud in ſcutis delineatum fuiſſe ſigilla docent, ac varias ſtrias, ſeu colores varios. Talia ſcuta tenent Conradus I, Henricus I, Otto I, Ludouicus Thuringiæ Landgrauius, quorum ſigilla infra adparebunt. Ea modo notatur diuerſitas, quod ſuo quisque arbitrio alii ſtrias iſtas a peripheria vmbellæ ad centrum, alii perpendiculariter, alii horizontaliter, alii aliter ducere voluerint, quod obſeruantes nonnulli veterum morum non ſatis periti, ſcuta eiusmodi lectiſſimis coloribus veterum Germanorum exemplo variegata, inſignia familiarum gentilitia continere exiſtimarunt.

SCVTA ANTIQVA GYRONATA ET STRIIS DISTINCTA NON SVNT TESSERÆ GENTILES

Cuius rei exemplum ſatis notabile proferam. Exſtat Audomaropoli in S. Bertini cœnobio effigies Wilhelmi Normanni, Comitis Flandriæ, ſaxo ſepulcrali inciſa, quæ ſcutum ſuſtinet cum emblemate a poſteriorum Flandrenſium Comitum inſignibus prorſus diuerſo. Quum enim hæc Leonem erectum ferant, illud modo a circulo vmbilicum eius obeunte in octo ſegmenta (gyros vocant) ex æquo diuiſum eſt, hoc modo:



Videntes hoc monumentum nonnulli, quibus vetuſti ritus non adeo in numerato fuerunt, eo prolapſi ſunt, vt Comitibus Flandriæ duplicia inſignia aſſererent, altera antiqua ſcutum eiusmodi gyronatum, altera recentiora, leone notata. Hinc Iperius (a) de Liderico Harlebecano: *Hic*, inquit, *arma detulit auri & azuri diſtincta pyramidibus, vmbonis centro ſcuto rubeo iunctis. Ipſe eſt ſtipes & radix, a quo Flandriæ Comites proceſſerunt, qui omnes hæc armorum inſignia detulerunt, vsque ad Philippum, qui aurum cum nigro leone conquiſiuit.* Immo alii multum inter ſe contenderunt, tum in quot ſegmenta ſcutum illud deſcribatur, tum quibus coloribus diſtinguatur. Immo Oliuarius Vredius (b) aſſerere non dubitat, huiusmodi inſignium nullum vnquam apud Flandriæ Comites vſum fuiſſe, potiusque ea eſſe a Cœnobitis Bertinianis, a quibus illa deinde Comitibus tributa ſint, illam ob cauſſam, quod ex iis aliqui fuerint etiam Bertini Abbates, alii in habitu religioſo ibi ſepulti. Verum neuter rem videtur ex omni parte tetigiſſe. Nec Iperius enim inſignia Flandrica, inde comminiſci, nec Vredius ipſam lapidis antiquitatem ſuſpectam reddere, aut monaſterii inſignia hic agnoſcere debuerat. Quam enim νοθεύσεως notam habet monumentum præſtantiſſimum? Quid ſimile inter ſcuta Guilelmi & monaſterii Bertiniani? illud modo gyronatum, hoc ſeptem bacillis liligeris & vno pedo abbatiali in rotam diſpoſitis conſtat. Quo iure porro negabit Vredius, Flandriæ Comites eiusmodi ſcutis vſos, quum ipſe proferat numum elegantiſſimum, cuius altera facies ſiſtit Comitem, dextra gladium, ſiniſtra ſcutum gyronatum tenentem, altera crucem quatuor roſis circumdatam. Rectius itaque meo quidem iudicio ſenſiſſent, ſi docuiſſent, ſcuta eiusmodi gyronata non quidem inſignium loco, attamen tum Comitibus Flandriæ tum aliis Germaniæ principibus ſolennia fuiſſe, nondumque eo tempore ſui oblitos fuiſſe Germanos, quos iam Tacitus ſcuta lectiſſimis coloribus diſtinxiſſe auctor eſt. Quemadmodum vero ex ſcutis Conradi I, Henrici I, Ottonis I, Ludouici Thuringi, Adelberti Comitis in varia ſegmenta deſcriptis colligere non poſſumus, ea antiqua familiæ inſignia fuiſſe, ita nec idem de Flandriæ Comitibus garrire debuiſſet Iperius.

IV. De

a) *Chron. Belg. fol. 99.* b) OLIV. VRED. *de ſigill. Flandr. p. 12 13.*

INSIGNIA QVANDO INVALVERINT.

IV. Deinde occasione expeditionum cruciatarum cœperunt paullatim homines figuris eiusmodi scutorum orbi impressis tanquam gentilitiis quibusdam tesseris vti, easque non amplius mutare, vt paulo ante fieri consueuerat, sed perpetuo retinere, atque ad posteritatis etiam vsum veluti consecrare. Hinc nullum temere sigillum sæculo XI antiquius suppetit insignia gentilitia præferens, quod quidem falsi suspicionem effugiat, certo documento, non reiiciendam esse eorum sententiam, quibus ante expeditiones illas sacras insignium vsus ignoratus creditur. Id vero quibus e monumentis rectius, quam e sigillis demonstrabitur? in quibus & scuta principum & eorum adeo insignia quoque statim insculpta fuisse constat. Sed quum hanc rem iam supra aliquot exemplis illustrauerimus, non est, quod iam plura commemoremus.

INSIGNIVM PARTES IN SIGILLIS PERSPICVE CONSPICIVNTVR.

V. Deinde & omnes illæ partes, quas in armis gentilitiis heraldicæ artis magistri desiderare solent, ex sigillis quam rectissime poterunt explicari. Docebunt hæc scutorum figuras, docebunt eorum situm modo rectum, modo obliquum, sed & galearum ratio omnis e sigillis Principum disci poterit. Quum de his omnibus iam supra multa dixerimus, duo præcipue momenta adiicimus, alterum de cimeriis, quæ in galeis habentur, alterum de fasciis, quibus galeæ scutaque ornari hodie solent.

VNDE CIMERIA IN INSIGNIBVS ENATA?

VI. Cimeriorum, qualia in armis gentilitiis sunt, vsum antiquissimum ac cum Romanis communem (a) comperio. Quamuis enim Herodianus (b) nuda Germanorum capita referat, ac diserte scribat Tacitus: (c) *paucis loricæ: vix vni alteriue cassis aut galea*: non desunt tamen luculentissima auctorum testimonia, quæ galeas eiusmodi cimeriis ornatas Celtis ac in his Germanicis quoque gentibus familiares fuisse testantur. Diodorus Siculus (d) de Gallis: *Æneis*, inquit, *vtuntur galeis, cum magnis adpendicibus, ad prolixam ostentationem factis, aliis namque cornua adfixa sunt; aliæ auium, aut quadrupedum formas expressas habent.* De Cimbris eadem testatur Plutarchus: (e) *Galeas quærebant, quæ repræsentarent sæuarum beluarum rictus & inusitatas figuras, quas alatis fastigiantes cristis adparebant eminentiores.* Quibus aliisque scriptorum locis permotum credo Cluuerum (f) vt Germanorum etiam duces subinde cum galeis alatis cristatisque depingeret. Nec vero est, quod antiquos tantum Germanos ita se ad terrorem hostium composuisse existimemus. Idem enim media quoque ætate adhuc factitatum esse, sigilla docent, quorum pauca hic exempla adducam. Philippus Comes Flandriæ anno M. C. LXIV galeæ loco vtitur pileo leone ignito. Thomas Sabaudus anno M. CC. XXXVII non quidem cimeriis eiusmodi galeam instruxit, attamen semper in galeæ vertice adparet annulus, cui illa solita sunt alligari. Robertus Primogenitus anno M. CC XCI & MCCC XXII galeæ impositit draconem. Anno M CCC XXIX Ludouicus Cressiacensis cornua bubula, inter quæ leo sedet, anno M CCC XLVI Ludouicus Maleanus alam, anno M CCC LXI Philippus Burgundus lilium quinquefolium, quo & ceteri deinde eius successores vsi sunt. Immo & Carolus V binas alas interque eas caudam pauoninam satis excelsam galeæ infixit. Sic & Bernhardus Comes de Aschersleue, qui postea Dux Saxoniæ est renunciatus, in binis sigillis apud Knauthium (g) galeæ impositum habet pileum acuminatum multis cristis exornatum; eius in Anhaltina gente successores in aliquot, quæ vidi, sigillis galeæ infixas habent duas cristas decussatim positas. Alia eiusmodi cimeria in sigillis Vlrici Comitis de Hagenowe & Wilhelmi Nobilis viri de Isenburch infra delineatis, vt & aliis a Wockio editis ipse lector curiosus obseruabit. Ceterum maxime huc pertinere videntur ea, quæ de Galtero Comite Bolonienſi scribit Guiliermus Brito: (h)

Cuius equum, cuius clypeum galeamque nitentem

Balenæque iubas ceu cornua bina gerentem,

Tum iam Victores post pugnam in castra redisse nt,

Vidit & agnouit Rex atque exercitus omnis.

Alibi

a) *Vid.* DV CHOVL. *Castramentat. des Romains. p. 99.* b) HERODIAN. *lib. 6.* c) TACIT. *de morib. Germ. c. 6.* d) DIOD. SICVL. *lib. 6. biblioth.* e) PLVTARCH. *in Mario.* f) CLVVER *lib. 1. Germ. ant. cap. 50.* g) KNAVT. *antiqu. pag. Anhaltin. p. 17. 19.* h) GVIL. BRITO *lib. 9. Philippid. p. m. 291.*

Alibi (a) eiusdem galeam ita describit:

- - Gemina e sublimi vertice fulgens
Cornua conus agit superasque eduxit in auras
E costis assumta nigris, quas faucis in antro
Branchia Balena Britici colit incola ponti.
Vt qui magnus erat magnæ superaddita moli
Maiorem faceret phantastica pompa videri.

Taceo plura alia exempla, quæ curiosus Lector facile obseruabit.

AMPLIVS DE HAC MATERIA DISPVTATVR.

VII. Hæc igitur cimeria in insignia gentilitia quoque cum ipsis paleis transtulerunt principes, inprimis cum in galeis non minus ac in scutis ea inualuisset ratio, vt insignia auita conseruarent, atque ad posteros quoque constanti vsu consecrarent. Viderunt id iam alii. Nam vt, qui recentius armorum gentilitiorum tractarunt caussas, veluti Menestrierium & τὸν πάνυ Spenerum prætream, solius hic verba adducam Stewechii: (b) *Ex re militari haut dubie mos, quo etiamnum hodie insignia familiarum exorta atque distincta videmus; quum galeis insident leones, lupi, cerui, canes, aquilæ, vultures, dracones, & aliarum bestiarum siue capita, siue cornua, siue pedes. Originem moris tam antiqui spero me nunc primum inuenisse. Ab Ægyptiis enim descendisse, obseruaui apud Diodor. Sicul. lib. 2. vbi ille Reges eorum caput leonis, tauri, aut draconis principatus insigne capite gestasse scribit. Ab Ægyptiis porro mutuatos hoc Græcos, vt multa alia, quæ ad disciplinam militarem pertinebant, magnam mihi verisimilitudinem habere videtur: præsertim quod Lacedæmoniis galeæ inuentionem videam tribui a Plinio lib. VII. cap. LVI.* Quæ res vnde rectius quam e sigillis confirmatur? Quod vnico exemplo declarabo. Sæpius adhuc inter Heraldicæ studiosos fuit quæsitum, quid sibi velit cimerium in galea Saxonica conspicuum? Sed optime rem omnem sigillorum beneficio confecit Cel. Tenzelius. (c) Nam ex sigillis Bernhardi, primi Saxoniæ Ducis, ex Anhaltina familia constituti, a Knauthio delineatis liquet, iam hunc principem pileum fastigiatum plumis pauoninis ornatum ferre solitum, vnde coloribus scuti rutaque additis talis sensim prodierit pileus, qualem galea Saxonica præfert. Eiusmodi obseruationes innumeras e sigillis petere licet, quas non vacat hic addere. In vniuersum voluptati erit discere, quo pacto pictorum scrupulosa industria antiquas cimeriorum figuras sæpe ita interpolarit, vt hodie illas vix agnoscas. Sic quis hodie in tot galeis putaret se cornua bubula ac non potius elephantorum proboscides videre? At sigilla dubitare nos non patiuntur, quin cornua bubula repræsententur. Nam sempet fere ita in illis exprimuntur, vt acumina sibi inuicem obuersa adpareant.

FASCIARVM IN SCVTIS GENTILITIIS ORIGO.

VIII. Peruenio ad ornamenta illa, quibus artis heraldicæ magistri galeas æque ac scuta circumdari præcipiunt, ac vulgo Helmdecken vocantur. Eas fascias siue lacinias alii pictorum phantasiæ tribuunt, alii a pinnis galearum deriuant, alii a vittis deducunt, quibus pluuio cœlo galeas tegere consueuerint antiqui. Horum sententia magnum certe in sigillis inuenit præsidium. Inter Oliuarii enim Vredii sigilla Flandrica plures eiusmodi galeæ occurrunt, e quibus fasciæ vel vela satis prolixa defluunt, veluti in sigillis Roberti Primogeniti, (d) Ludouici Cressiacensis, (e) Philippi Burgundi aliisque. (f) Quum igitur hæc vela initio instruendis insignibus gentilitiis in scuto vtrinque explicarentur eo modo, quem iterum sigilla docent, postea pictores, quibus semper fingendi quidlibet fuit æqua potestas, nescii, quid sibi ista velint, suo ingenio hæc excogitarunt ornamenta, omnibus fere Heraldices magistris demum recepta.

IX. Por-

a) GVIL. BRITO *lib. 11. p. 330.* b) STEWECH. *ad Veget. lib. 1. c. 20.* c) TENZEL. *bibl. curios. anno 1706.*
d) OLIV. VRED. *p. 51. 53.* e) Id. *p. 55. 56. 57. sqq.* f) Idem *p. 87.*

ATLANTVM ORIGO.

IX. Porro ſigilla docent Atlantes, ſiue telamones, a quibus ſcuta gentilitia tenentur, & recentiores eſſe inuenti & ad heraldica inſtituta olim vix pertinuiſſe, quum perſonalis magis quam gentilis eorum vſus fuerit. Dici non poteſt, quantum ea in re ſit ſemper variatum. In vna eademque familia modo leonem vnum, modo duos, modo aquilam, modo angelum, modo cygnos, modo gryphes adhibitos video. Nonnunquam hi Atlantes caput galeæ inſerunt, ſcuto ſeparatim poſito, modo ſcuta tenent, modo alii ſcuta, alii galeas tangunt.

EMBLEMATA INSIGNIVM E SIGILLIS SÆPE RESTITVENDA.

X. Eodem pacto etiam ipſa emblemata in ſcutis gentilitiis depingi ſolita e ſigillis omnium rectiſſime diſcimus. Quum enim pictorum culpa plures figuræ ita ſenſim fuerint immutatæ, vt quales eſſe debeant vix adpareat, eæ e ſigillis optime poterunt reſtitui. Multa in hanc rem dici poſſent. Sed vnico exemplo ero contentus, ne limites propoſiti libelli tranſire cogar. Conſtanter adhuc fuit creditum, cingulum iſtud, quod trabes Saxonicas oblique tranſit, ſertum eſſe rutaceum. Additur, Fridericum Cæſarem hoc ſertum, quod ob æſtum nimium capite ferebat, ſcuto Bernhardi Aſcanienſis a ſe Ducis creati oblique impoſuiſſe. At Brotufius eius filiis rutæ originem tribuere mauult; Albinus (a) addit fabulam, Albertum Bernhardi filium Venetiis peregrinantem apud mercatorem aliquandiu ſeruiiſſe, & amore filiæ captum, quum iam abitum pararet, ab ea accepiſſe ſertum rutaceum. Illum vero amicæ natales humiliores adſpernatum ſertum disrupiſſe, & partem illi reddidiſſe, partem in perpetuum amicæ monimentum inſignibus adpinxiſſe. Iam igitur certum eſt ex epitaphiis æque ac aliis monumentis, ſub ſtirpe Aſcanica æque ac Miſnica ſcutum Ballenſtedenſe oblique tranſire faſciam eiusmodi, quam vulgo ſertum rutaceum vocant, at ſigilla non obſcure innuere videntur, non rutam, ſed trabem eſſe, quæ deinde variis ornamentis expolita rutæ nomen induerit. Laudat Cel. Tenzelius tum in ſupplemento II Gothano, tum in Bibliotheca curioſa (b) ſigillum Rudolfi I. Electoris e diplomate Dobrilugenſi quod in copiali MSCto bibliothecæ Ienenſis ita deſcribitur: *In hoc priuilegio videtur ſigillum, præferens equum falera tectum & in pectore & in femore equi adparent duo clipei vnius formæ, videlicet cum tribus foliis lacualibus, & apparet in equo quaſi vir ſedens, habens ad ſiniſtram clipeum, qui habet per latitudinem ſiue per transuerſum quinque tractus eleuatos & quatuor depreſſos, quos cancellat VNVS TRACTVS veniens de ſuperiore cornu dextro ipſius clipei, & habet in manu dextra vexillum eiusdem formæ cum clipeo, & habet vir ille galeam in capite, & ſuper galeam pileum, in cuius cono adparet, quaſi ſit aggregatio pennarum. Et eſt in ſigillo duplex circumferentia litterarum, quæ faciunt verba hæc: Rudolphus Dei gratia Dux Saxoniæ, Angariæ, Weſtphaliæ, Comes in Bren & Burggrauius in Magdeburg.* Idem etiam allegat ſigillum Wenceslai Electoris, quod ibidem ita deſcribitur: Hieran henget ein groziz Ingeſiegel, daran ſiet man als eynen Man vf eynen Pferde der eynen Helm vffe habe, und darufe eyne Crone und uz der Crone ſticht vfgerackit als eyn Puſch Feddirn, und hat der Mann eynen Schilt vf der lincken Seyten mit Strichin di twere, und mit eyn andirn do über her &c. Quum igitur nec figura cum Ruta conueniat, & hoc ſertum non in omnibus monimentis eiusdem ſit figuræ, recte videtur Cl. Struuius (c) non rutam ſed baltheum, a Pictoribus ſculptoribusque pro arbitrio exornatum in ſcuto Saxonico inueniſſe,

a) ALBIN. Stamb. *p. 208.* b) TENZEL. *Bibl. Cur. anno 1706. p. 312.* c) STRVVIVS *Diſſ. de Ruta Sax. ſect. 3. n. 9.*

quem tamen deinde feciales heraldicæ artis termino vocarunt mitellam rutaceam. Quo pertinet præclarus locus, quem e Sylueſtri a Petra Sancta rariore libro de teſſeris gentilitiis adducit laudatus Struuius: *Singularis quoque eſt baltheus ſuperne aſperatus, quibusdam veluti floſculis inſtar coronæ, quem baltheum rutæ mitellam feciales appellant. Hic vero baltheus inſtar coronæ rutaceæ expictus, colore praſino ſupra ſcuti aream argenteolam atra inſtia præcinctam, eſt & Vegelebeniorum in Thuringia. In ſcuto autem octies lemniſcato tæniis tum atris, tum argenteolis, eſt Ducum Saxoniæ in Imperio.* Dubia ergo eſt huius balthei origo, ex ſigillis tamen ſolis diſcenda, quam in rem Dn. Tenzelius ſigillum Alberti, Bernhardi filii, Ducis Saxoniæ, videre optat, quod propediem nos ſperamus conſequuturos.

INSIGNIVM TOTA HISTORIA E SIGILLIS PETENDA.

XI. Denique vt paucis rem expediam, omnis inſignium gentilitiorum hiſtoria ex nullis fontibus quam ex ſigillis antiquis hauritur rectius. Ex illis diſcimus, quibus inſignibus familiæ illuſtres iam inde ab antiquiſſimis temporibus vſæ ſint, quomodo paullatim ſucceſſu temporis immutata, aucta, exornata ſint, donec hodiernam faciem induerint. Sed & de galearum cimeriorum, Atlantum, coronarum variis formis varias ex ſigillis obſeruationes nectet harum rerum curioſus. Denique ipſam armorum diſpoſitionem toties immutatam mirari in ſigillis licebit. Verbo dicam, colores & tincturæ ſi addi in ſigillis potuiſſent, ex iis ſolis heraldica ars diſcenda videretur.

CONCLVSIO TRACTATIONIS

XII. Sed ne nimium hic excreſcat libelli moles, hanc de ſigillis eorumque vſu & præſtantia tractationem obſignamus. Potuiſſe forte plura de his rebus dici, lector exiſtimabit. Neque ego multum refragabor. Sed quum introductionem duntaxat dare inſtituerim, danda mihi fuit opera, vt prior pars paullo plenius tractaretur, & in vtraque multa potius, quam prolixa legerentur. Quod ſi hunc conatum non plane tædio fuiſſe curioſis animaduertam, proxime aliquot familiarum ſigilla iuſta ſerie diſpoſita atque explicata, quibus colligendis iam operam do, ſuccedent, qua in tractatione multa, quæ hic locum non inuenerunt, ſuppleri poterunt, totumque adeo opuſculum paullatim perpoliri.

SPICILEGIVM.

i. e.

ADDENDA ET TARDIVS OBSERVATA.

P*Art. I. cap. VIII. n. V. p. 64.* obſeruauimus, in ſigillis medii æui parum artis elucere, inſcriptiones quoque nonnunquam ſatis rudes eſſe & minus ingenioſas. Attulimus etiam *Tab. III. n. 4.* ſigillum *Chilperici* II. Reg. Francorum, in quo litteræ inuerſæ adparent hoc modo ⊂-- REX ꟻRVNC. Huic geminum eſt contraſigillum *Conani*, quod Dn. *LOBINEAV* delineauit *No.* L. in quo aquila vniceps habetur cum perigraphe: ✠. CONNANI FILIVS COMITIS. Id eſt ✠ CONNANI FILIVS COMITIS.

Part. I. cap. IX. n. LVI. allegauimus bullas aureas FRIDERICI II Regis a *MABILLONIO t. 2. c. 16. n. 16. de R. D. p. 141. & ANTONIO MATTHÆI l. 4. de nobilit. cap. 17. p. 1028.* exhibitas, hancque etiam delineauimus *Tab. II. Fig. 1.* Sed & ex *Kirchmanno* ibi adduximus bullas binas eiusdem iam Imperatoris, Lubecenſibus conceſſas. Paullo poſt incidit in manus meas bulla aurea eiusdem Friderici Imperatoris ab omnibus diuerſa, ex qua didici, eum typario non vno vſum eſſe. Quod forte ideo factum, quoniam eius ſigilla ſubinde a falſariis exprimebantur, ceu docet *PETRVS DE VINEIS l. 5. ep. 22. p. 577.* Quum enim in Mabilloniana & Matthæana titulus Friderici ita ſe habeat: ✠. FRIDERICꝰ DI GRA̅ ROMANOR' REX (ET) SEMP. AVGVSTVS (ET) REX SICILIE, in Kirchmannianis: ✠. FRIDERICVS DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS REX IERLEM ET SICILIE: in noſtra hæc legitur perigraphe: ✠ FRIDERICꝰ DI GRA ROMANORV̅ IMPRATOꝛ > SEP AVGV deinde ad ſiniſtram Imp. STꝰ > REX

REX IERLEM, ac denique ad dextram ET SICILIE. Vt taceam, ipſum Imperatoris habitum in noſtra bulla alium obſeruari, quantitatem quoque aliam, Romæque faciem aliam eſſe ac in illa *Matthæi*, nec in noſtra deprehendi voces AVREA ROMA, quæ in illis adparent. Sed en ipſam bullam Tibi TAB. XIIX. fig. 1. conſpiciendam damus, adpenſam diplomati ſequenti:

In nomine ſancte & individue trinitatis. FRDERC$^{S}_{V}$ ſecundus divina favente clemencia rom. Imꝑat. ſeꝑ aug. Ierlm. & Sicilie Rex. Excelſa nri ſedes Imperii exaltatur ac principal moderamina regiminis in omi juſticia & pace diſponuntur, cum ad nroꝫ jura principum & magnatum debita proviſione proſpicimus, in quibus velut honorabilibus membris inſidet caput ita nru viget & conſiſtit Imꝑium. ⁊ tanta ceſaree magnitudinis moles regit & evehit eos, quorum humeris innititur ⁊ portatur. Noverit igit' preſens etas ⁊ futura poſteritas, ꝙ in foro julii apt̃ Sibidatuꝫ una cum dilecto filo nro Henr' Rom' Rege conveniẽtes rogati ꝑ Principes & magnates quorum ibidem diligenda nobis aderat multitudo, ut gram eis ab eodem Rege dilecto filio nro in gn̈ali curia Wormacienſi indultam nre auctoritatis munimine proſequi dignaremur, dignum duximus eoꝯ precibus favorabiliter annuendum. utpote qui non indigne in eoꝯ promocione nrm & Imꝑii ſtatum intendimus comode promovendum. concedimus igi�pr jũx quod idem Rex filius nr noſcitur conceſſiſſe. ac perpetue conceſſioni donamus, ſtatuentes quatenus nullum norũ caſtrũ vel civitas in fundis ecclia pr vel occaſione advocaciæ per nos vel quamque alium ſub pretextu quolibet conſtruatur. It. quod nova fora non poſſint antiqua aliquatenus impedire. It. nemo cogatur ad aliquod forum ire invitus. It. ſtrate antiqve non declinentur, niſi de ĩ uſcuna ũ voluntate. Item in Civitatibus nris novis banitu miliare deponatur. It. unꝙquisꝙ principum libertatibus. jurisdictionibꝙ. comitatibus. cencis. ſ. liberis vel infeodatis utetur quiete ſecundum terre ſue conſvetudinem approbatam. It. centum gravij recipiant terras a dno terre. vel ab eo qui per dnum terre fuit infeodatus. Item locum cence nemo mutabit. ſine conſenſu dni terre. It. ad cencas nemo Synodalis vocetur. It. Cives qui Phalburgere dicuntur penitus eiician pr. It. cenſus VIIII pecunie frumenti vel alii quos ruſtici conſtituerunt hactenus ſe ſoluturos relaxentur. > vlterius non recipiantur. Item principũ nobilium & miniſterialium Eccleſiarum homines proprii in civitatibus nris nõ recipiant pr. Itẽ Principꝙ nobilibꝙ miniſterialibꝙ & eccliis proprietates & feoda per civitates nras occupata reſtituantur, nec ulterius occupẽ pr. It. conductum principum per terram eorũm quæ de manu nra tenetur in feodo vel ꝑ nos ul. ꝑ noſtros non impediemus, vel infringi paciemur. It. nõ compellãt pr aliqui ꝑ Scultetos nrõs ad reſtitucionem eo que a longinquo tempore ab hominibus receperant, p'usqu ꝺ ſe in nris Civitatibus collocarent. niſi homines ipſi fuerint Imperio immediate ſubjecti quos tenebiꝫ juvare ſuꝑ eorum jure in foro eorũ in quorum terris talia ſunt percepta. It. in civitatibus nris nullus terre dampnoſus. vel a judice dampnatus. vel proſcriptus recipiatur ſcienter.. Recepti convicti ejician pr. It. nullam novam monetam in terra alicujꝙ principis cudi faciemus per quam moneta ejꝙdem principis deterioretur. It. civitates nre jurisdictionem ſuam ultra civitatis ambitum non extendant, niſi ad nos ꝑtineat jurisdictio ſpecial. It. in' civitatibꝙ nris actor forum rei ſequatur. niſi reus vel debitor principalis ibidem fuerit inventꝙ quo caſu ibi tenebitur reſpondere. Item nemo recipiat bona in pignore, quibus quis infeodatus fuerit ſine conſenſu & manu dni principalis. It. ad opera civitatum nullus cogatur niſi de jure teneatur. It. homines in nris civitatibꝙ reſidentes conſveta & debita jura de bonis extra civitatem ſitis dnis & advocatis perſolvant, neque indebitis exactionibus moleſtentur. It. homines proprii advo-

advocatici: feodales qui ad dnos ſuos trāſire voluerint ad manendum per officiales nros non arcentur. Ad hᵒ9 itaᵍ conceſſionis ⁊ confirmaois nre memoriā & ſtabilem firmitatem preſens privilegium fieri juſſimus bulla aurea typario noſtre mageſtatis impreſſa munitum. Hujus autem rei teſtes ſunt S. Maguntin. Archieps B. patriarcha aquilegen. G. Salzemburgenſis & A Madeburgenſis. Archiepi B. Papenburgen. S. Ratispon. Imperial. aule cancellarius. H. Wormacien. ⁊. Herbipolen. Epi. C. Friſingen. elect9. --- abbas ſci Galli A Dux Saxonie O. Dux Meranie & B. dux Carinthie H. de Gertembch ⁊ a de Schœmbe Comites G. & C. de Hoenloch. G. de Buningen, Gvarnerius de bollandia Gunzolinus pincerna Winf ſteyt Burggravius de Nuribc pincerna de clingenburc & alii quam plures.

Signum dni friderici ſecundi dei gratia inuictiſſimi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti Ierlem & Sicil. Regis.

Ego Syfridus Ratisponen. Eps ⁊ Imp ial aule cancellarius vice dni S. Maguntinēn Archiepi & tocius Germanie Archicancellarii recognovi.

Acta ſunt hæc anno dnice Incarnacionis mill? ducenteſimo ſecundo --- quinte Indictionis imperante dno nro F& ſecūdo Dei gra invictiſſimo Rom Imperatore ſem p. Auguſto Ierlm & Sicilie Rege anno Romani ejus Imperii duodecimo Regni Ierlm ſeptimo, Regni vero Sicilie triceſimo quinto feliciter Amen.

Dat. aput Vtinum anno menſe ⁊ Indictione perſcriptis.

En diploma auro contra carum, quod beneuole mihi conceſſit Senatus ampliſſ. Halenſis. Solum dedi diplomatis textum, quo eo majorem Tibi B. L. ſaliuam moueat doctiſſima illius interpretatio, quam conſultiſſimus noſter ANDREAS OCKEL, ICtus celeberrimus, Conſul & Scabinus Halenſis ſcriptis aliis quamplurimis orbi litterario cognitus, molitur.

Part. I. cap. IX. n. LXIII. p. 108. ex Kirchmanno deſcripſimus bullam auream Ludouici IV Imp. vulgo Bauari, ſed quum mihi tunc temporis nec hæc bulla, nec cereum aliquod Ludouici ſigillum ad manus eſſet, nec iconem dare potui. Iam vero hunc defectum, qua eſt in bonas litteras propenſione, beneuole ſuppleuit Dn9 PETRVS LVDEWICH, ICtus, Conſiliarius, Hiſtoriographus & Archiuarius regius, & in hac illuſtri Fridericiana Profeſſor celeberrimus, ſuppeditata mihi bulla huius Imperatoris aurea affabre pro temporum illorum conditione efficta, cuius in antica Imperator coronatus inter binos leones ſedens dextra ſceptrum, ſiniſtra globum aureum geſtat cum perigraphe: ✠. LVDOVICVS. QVARTVS. DEI. GRACIA ROMANORV IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS. in poſtica Roma Vrbs exprimitur Tiberi interfluente diuiſa cum lemmate: ROMA. CAPVT. MVNDI. REGIT. ORBIS. FRENA. ROTVNDI. Voces vero AVREA ROMA, quæ in plerisque bullis aureis alias reperiuntur, nec hic quidem adparent. Vid. Tab. XIIX. fig. 2.

Part. I. Cap. X. §. XXI. & ſq. p. 125. Prolixe actum eſt de ſigillis equeſtribus Principum. Quum vero ab eo, quo iſthæc ſcripſimus, tempore, plura ſe nobis huius generis ſigilla obtulerint, in quibus varias obſeruauimus res alibi non obuias: haut incongruum erit, nonnihil (quantum ſcilicet per operarum feſtinationem licuerit) hic cum B. Lectore communicare.

Edidit

Edidit binos ante annos GVIL. ALEXIS LOBINEAU, Monachus Benedictinus congregationis S. Mauri Historiam Ducatus Britanniæ, gallice scriptam, opus & mole & splendore nulli alii secundum, in quo etiam CCLXXXV sigilla Ducum & Comitum Francicorum tabulis æneis XXII. exhibentur. Ex iis nonnulla ad opus nostrum pertinentia excerpere liceat. Obseruauimus principes, qui in sigillis equitantes plerumque finguntur, præter scuta, aut gladios aut vexilla gestare. Illud etiam in his sigillis Britannicis videmus, sed quum alias vexillorum hastæ ventri equitantis obuertantur, in sigillo VIII Iohannis Domini Dolensis, qui anno 1147 vixit vexillum perpendiculariter gestatur, ceu adparet ex sigillo Domini *Lobineau* octauo. In Germanicorum Principum sigillis præter vexilla scuta & gladios vix aliud Principum gestamen reperias. In Britannicis vero istis Godefridus de Dinan, qui anno 1120 vixit, Conan IV le petit, & Andreas de Vitreio qui anno 1239 vixit, equitantes præferunt hastas prolixas, quas veluti cominus pugnaturi antrorsum proiiciunt. Vid. sigilla Domini Lobineau II. LXXIV. & CL. & quod nos inde desumsimus Tab. XIIX. Fig. 3.

Part. I. cap. X. n. XXX. p. 129. sqq. vt & *Part. II. cap. IV. n. 3.* egimus de scutis principum striatis & gyronatis eaque antiquissima quidem, nec tamen ad symbola gentilitia referenda esse diximus. Qua in sententia vlterius confirmamur sigillis principum Britanniæ a Domino Lobineau delineatis. Numero enim III profert sigillum *Alani de Dinamo*, in quo hic princeps equo insidens dextra gladium, sinistra scutum eiusdem generis nempe gyronatum præfert. Perigraphe est talis: ✠. SIGILLVM ALANI DE DINAMO. Nō. XXI exhibetur sigillum Eoni filii Comitis de Rohan, qui anno 1231. vixit, in quo eiusdem generis scutum gyronatum licet obseruare in sinistro figuræ equitantis brachio. Eadem obseruabis etiam in sigillo XLI, *Roberti de Vitré* anno 1172. item in sigillo XLII, *Andreæ de Vitré*, in sigillo XLV, *Adami de Hereford*, nec non in sigillo LIX *Iarnogonis de Rochefort.* Quæ satis docent, eiusmodi scuta omnibus omnino familiis fuisse communia, nec ad scuta gentilitia vllo modo pertinere.

Part. I. cap. X. n. XXXI. p. 131. actum est de canibus, qui in principum monumentis conspiciuntur. Quibus addi nunc possunt non modo monumenta Petri, Iohannis IV & Francisci II Ducum Britanniæ, vt & Oliuerii de Cliffon, qui etiam canibus insistunt in epitaphiis a Domino Lobineau delineatis, sed & sigillum fractum Hugonis le Brun Comitis de Angoulesme, in quo eques adparet, qui canem equo insidentem dextra tenet, ceu adparet ex sæpe laudati Domini Lobineau figura LXXVIII.

Part. I. cap. X. n. XXXII. p. 132. egimus de sigillis principum, in quibus hi stantes exhibentur, diximusque eos vel gladios, vel scuta, vel vexilla gestare, turribus plerumque hinc inde eminentibus. Laudatus vero *Lobineau* profert aliquot huius generis sigilla aliis rebus insignita. Sigillum XLV. *Adami* de *Hereford* sistit virum armatum, qui dextra bipennem, sinistra scutum gyronatum tenet, cum perigraphe: ✠. S. ADAMI DE HEREFORD. Sigillum CLXII Iohannis vice-comitis de Rohan, qui anno 1380 vixit, virum armatum, qui dextra hastam, sinistra galeam cum scuto gentilitio tenet. Dextrorsum pars equi conspicitur. Perigraphe ita se habet: ✠. S. IOHANNIS. VICECOMITIS DE ROHAN. In area quoque ter conspiciuntur siglæ I. R. I. R. I. R. i. e. IOH. ROHAN. Huic fere simile est CLXXII Ioannis Ducis Britanniæ, comitis Montisforti, qui anno 1391 floruit, præterquam quod loco hastæ vexillum præfert & thoracem gestat symbolis gentilitiis ornatam. Vid. Tab. XIIX. fig. 4. 6.

Part. I. cap. X. n. 37. p. 135. actum est de sigillis Principum feminarum, obseruatumque, eas vel sedentes vel stantes reperiri palliatas & vel flores, vel auiculas tenentes, vel manus precantium habitu plicantes. Hæc etiam illustrari poterunt ex laudati Lobineau sigillis. No. IV. enim exhibetur Geruasia coronata & palliata inter duas stellas stans & dextra lilium præferens cum lemmate: ✠. S. GERVASIE. VICECOMITISSE DE ROHĀ DNE DINANNI. No. XII. exhibetur sigillum Iseldis de Dol, quæ sellæ simplicissimæ insistit nudo capite, & dextra auiculam tenet cum lemmate: SIGILL ISELDIS FILIE IOHANNIS. DE DOL. No. LXXI exhibetur Alix vxor Petri I. Ducis Britanniæ, quæ an. 1214 vixit. Habemus & hic principem stantem, coronatam, pallioque, in quo insignia gentilitia refulgent, velatam, sinistraque præferenten auiculam vinculo illigatam cum perigraphe: ✠. S. AALIS. DVCISSE BRITANNIE CoIT RICHEMONTIS. Nō. LXXIX conspicimus Yolandam Duciffam Britanniæ vittatam ac palliatam, cuius sinistræ itidem auis vinculo illigata insistit cum lemmate: ✠ S. YOLENDIS VXORIS DNI HVGONIS BRVNI. No.

LXXXI. delineatum eſt ſigillum Blanchæ Duciſſæ Britanniæ, in quo hæc princeps ſe offert coronata pallioque hermineo induta, dextra ſceptrum præferens cum lemmate: + SIGILLVM BLANCHE DVCISSE BRITANNIE. In quo tamen ſigillo regium fere habitum obſeruamus. Quod inde forte accidit, quoniam regis Nauarrenſis filia fuit. Qua in coniectura firmamur ſigillo CXXIX, in quo Iolanda Britanniæ Duciſſa, Regis Scotiæ filia, eodem habitu ſe ſiſtit, hoc tamen diſcrimine, quod huius in tunica leo gradiens, Scotorum inſigne adparet. Perigraphe eſt--DE IOLANDE DE---. Singulare eſt ſigillum Annæ Duciſſæ Britanniæ, quæ anno 1490 vixit. In eo enim adparet hæc princeps velata throno inſidens, vtraque manu gladium tenens cum lemmate S. Anne - - vbi repetenda erunt, quæ *part. I. c. X. §. XXVII. p. 128.* de equeſtribus fœminarum principum ſigillis obſeruauimus. Eadem enim ratio, ob quam has principes equeſtri habitu depictas videmus, nos etiam docet, cur gladio vti conſueuerint, nimirum vt ius ſuum ſupremum in prouincias ſubditas teſtarentur.

Part. I. cap. XI. n. XIII. p. 141. actum eſt de ſigillis priuatorum, ſed perfunctorie ſaltem, quum tot ingeniorum male curioſorum εὑρήματα recenſere & impoſſibile eſſet & tædioſum. Hic vero dabo id meritis B. Lutheri, vt eius ſigillum, in quo Chriſtianorum ſortem graphice admodum expreſſit, deſcribam. Quamuis enim totus ab eorum ſuperſtitione abhorream, qui in Lutheri reliquiis papiſſare videntur, non poſſum tamen probare *Gotofridi Arnoldi* maledicentiam, qua in eos, qui Lutheri reculas memoriæ cauſſa aſſeruarunt, declamauit, eiusque pocula & vitra ſtilo ſatis ſatyrico inſectatur. Sane enim, ſi Imperatorum gentilium, aliasque antiquitatis reliquias colligimus, & tantæ antiquitatis memoria delectamur: ſi maiorum noſtrorum vtenſilia religioſe conſeruamus, eaque non pretio, ſed affectu noſtro metimur: quid quæſo tanto clamore dignum committunt illi, qui Lutheri annulos MScta ac vtenſilia, ſi qua ipſis in manus veniunt, non abiiciunt ſtatim, ſed ſecum memoriæ cauſſa retinent? Sane nullum noſtrum tam ſuperſtitioſum fore ſcio, vt iis cultum aliquem præſtet, aut vires aliquas miraculoſas tribuat, quod pontificii ſuis faciunt reliquiis. Sed ad ſigillum Lutheri redimus. Siſtit illud cor rubrum, cruce nigra inſignitum, roſaque alba cinctum. Quod ænigma ſimplex quidem ſed ſignificantiſſimum ipſe beatus vir hoc epigrammate explicauit:

Der Chriſten Hertz auff Roſen geht,
Wenns mitten unterm Creutze ſteht.

D. Georg. Henric. Gœzius, Superintendens Lubecenſis meritiſſimus, in curioſa de Reliquiis Lutheri diſſertatione refert, Lutheri annulum ſigillarem demum in Ioh. Georgii I. Electoris Saxoniæ manus peruenisſe, qui eum a Ioh. Martino Luthero conſiliario Wurzenſi, Megalandri pronepote, prædio Hohburg redemerat, tantique per omnem vitam fecerat, vt anno 1652. Pragæ coram Cæſare multisque Imperii Statibus eo ornatus inceſſerit, publiceque aſſeuerarit, malle ſe fruſtulatim diſſecari, quam veritatem diuinam ab hoc viro in lucem aſſertam deſerere. Quin immo morti iam proximus, depoſitis omnibus annulis, hunc ſolum retinuit, & filo ſerico cingi iuſſit, ne a digitis per morbum attenuatis decideret. Quo ipſo indicatum modo voluit confeſſor conſtantisſimus, ſe veritati Dei gratia Lutherique opera in lucem reuocatæ conſtanter adhæſurum. Hic vero annulus an ſymbolo iſthoc ac emblamate inſignitus fuerit, nondum conſtat, diu enim eſt, quod in gazophylacio Saxonico deſideratur. Præter eos, qui ex inſtituto B. Lutheri res geſtas memoriæ prodiderunt, de hoc Lutheri ſigillo curioſa exſtat homilia *M. Andreæ Kreuchii Ortruffienſis Thuringi*, Paſtoris Illebienſis in comitatu Glichenſi, quæ tantum placuit piis, vt auctorem altera editione eorum deſideriis ſatisfacere oportuerit. Titulus libelli hic eſt: *Sigillum Lutheri.* Eine Chriſtliche und einfältige Predigt vom Sigill und Merckzeichen des hocherleuchteten und Gottſeeligen Mannes GOttes D. Martini Lutheri, welches ein roth Hertz geweſen, mit einem ſchwartzen Creutz in einer weißen Roſen. Darinnen unſer gantzes Chriſtenthum abgebildet, beneben einer kurtzen Verzeichniß etlicher Chur- und Fürſten zu Sachſen ꝛc. ſo auff die rechte reine Lutheriſche Lehre ſeeliglich entſchlaffen, gethan durch *M. Andream* Kreuch, damahls Pfarrern zu Illeben in der löblichen Graffſchafft Gleichen. Erfurti 1609. in 8. In hac homilia, quam Serenisſimæ *Dorotheæ Suſannæ*, natæ comitiſſæ Palatinæ ad Rhenum, tum vero viduæ Saxonicæ dedicauit, textus loco ſibi pertractandum propoſuit dictum Matth. XVI, 24. *Si quis vult pone me venire, abneget ſemet ipſum & attollat crucem ſuam ac ſequatur me.* Deinde indicata occaſione, qua inductus de ſigillo Lutheri loquatur, nimirum pictura huius ſigilli in ſuggeſtu Illebienſi conſpi-

picua, ita partitur concionem, I. de Lutheri vita eiusque in ecclesiam meritis II. de ipsius sigillo & doctrina in illo adumbrata, III. de solatio in cruce tanquam rosis inter spinas differat. Vtinam vero omnes Christiani, qui hodie ethnicis, immo nonnunquam obscœnis emblematibus in sigillis delectantur, B. Lutheri nostri exemplo eiusmodi mallent cælaturis vti, quibus ad pietatem tum ipsi, tum alii spectantes incendi possent.

Part. I. cap. XII. n. XIII. p. 150. Ex *Tenzelio* disseruimus de sigillis, quibus indulgentias suas sub reformationis tempora munire soliti sunt indulgentiarum institores. Postea indulgentiarum huiusmodi exemplum ex bibliotheca Rudolphea Helmstadiensi depromtum mecum communicauit Cl. *Hermannus von der Haard*, Præpositus Mariæbergensis & Lingu. Orient. in Academia Helmstad. Prof. celeberrimus: quod hic vna cum sigillo (*Vid. Tab. XIIX. Fig.* 7.) Beneuolo Lectori exhibendum putaui:

ALBERTVS DEI & apostolicæ sedis gratia sanctæ Moguntinensis sedis ac Magdeburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopus. Primas ex Sacri Romani Imperii in Germania Archi. Cancellarius. Princeps Elector, ac Administrator Halberstattensis, Marchio Brandenburgensis, Stettinensium, Pomeraniæ, Cassuborum, Sclauorumque Dux, Burggrauius Nurenbergensis, Rugiæque princeps, Et Guardianus fratrum ordinis Minorum de obseruantia Conuentus Moguntini, per Sanctissimum Dominum nostrum Leonem papam decimum, per prouincias Moguntinenses ac Magdeburgenses, ac illarum & Halberstattensis ciuitates & diœceses, nec non terras & loca, illustrissimi & illustrium principum dominorum Marchionum Brandenburgensium temporali dominio mediate vel immediate subiecta, Nuncii & Commissarii, ad infra scripta specialiter deputati, Vniuersis & singulis præsentes literas inspecturis salutem in Domino. Notum facimus, quod sanctissimus Dominus noster Leo, diuina prouidentia Papa decimus modernus, omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, ad reparationem Fabricæ Basilicæ principis Apostolorum sancti Petri de Vrbe iuxta ordinationem nostram manus porrigentibus adiutrices, vltra pleniſſimas indulgentias ac alias gratias & facultates, quas Christi fideles ipsi obtinere possunt, iuxta literarum Apostolicarum desuper confectarum continentiam misericorditer etiam in Domino indulsit atque concessit, vt idoneum possint eligere confessorem, presbyterum seculare, vel cuiusuis etiam mendicantium ordinis regularem, qui eorum confessione diligenter audita, pro commissis per eligentem delictis & excessibus ac peccatis quibus libet, quantumcunque grauibus & enormibus, etiam in dictæ sedi reseruatis casibus, ac censuris Ecclesiasticis, etiam ab homine ad alicuius instantiam latis, de consensu partium, etiam ratione interdicti incursis, & quorum absolutio esset eidem sedi specialiter reseruata, præterquam machinationis in personam sanctissimi pontificis, occisionis Episcoporum aut aliorum superiorum prælatorum, & iniectionis manuum violentarum in illos aut alios prælatos, falsificationis literarum apostolicarum, delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac sententiarum & censurarum occasione aluminum tulfæ apostolicæ de partibus infidelium ad fideles contra prohibitionem apostolicam delatorum incursarum semel in vita & in mortis articulo quotiens ille imminebit, licet mors tunc non subsequatur & in non reseruatis casibus totiens quotiens id petierit, plenarie absoluere & eis pœnitentiam salutarem iniungere, nec non semel in vita & in dicto mortis articulo plenariam omnium peccatorum indulgentiam ac remissionem impendere, & Eucharistiæ Sacramentum (excepto die Paschatis & mortis articulo) quibusuis anni temporibus ministrare, Nec non per eos emissa pro tempore vota quæcunque (vltramarino, visitationis luminum apostolorum & sancti Iacobi in Compostella, religionis & castitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, autoritate apostolica possit & valeat. Indulsit quoque item sanctissimus Dominus noster præfatus benefactores, eorumque parentes defunctos) qui cum charitate decesserunt, in precibus, suffragiis, eleemosynis ieiuniis, orationibus missis, horis canonicis disciplinis, peregrinationibus, & ceteris omnibus spiritualibus bonis, quæ fiunt & fieri poterunt in tota vniuersali sacro sancta Ecclesia militante & in omnibus membris eiusdem in perpetuum participes fieri. Et quia devoti, *Meckelrelicta Rodts Peders & Adam Rodt*, ad ipsam fabricam & necessariam instaurationem supra dictæ Basilicæ principis apostolorum, iuxta sanctissimi domini nostri Papæ intentionem & nostram ordinationem de bonis suis contribuendo se gratos exhibuerunt & liberarunt. In cuius rei Signum præsentes literas a nobis acceperunt; ideo eadem autoritate

toritate apoſtolica nobis commiſſa & qua fungimur in hac parte, ipſis, quod dictis gratiis & indulgentiis vti & iisdem gaudere poſſent & valeant, per præſentes concedimus & largimur. Datum in *Göttingen* ſub ſigillo per nos ad hæc ordinato, die prima menſis Iulii, Anno Domini M. CCCCC. XVII.

Forma abſolutionis, totiens quotiens in vita.

Miſereatur tui &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus per meritum ſuæ paſſionis te abſoluat, autoritate cuius & Apoſtolica mihi in hac parte commiſſa & tibi conceſſa, ego te abſoluo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris & Filii & Spiritus. S. Amen.

Forma abſolutionis & pleniſſimæ remiſſionis ſemel in vita & mortis articulo.

Miſereatur tui &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus per meritum ſuæ paſſionis te abſoluat, & ego autoritate ipſius & apoſtolica mihi in hac parte commiſſa & tibi conceſſa te abſoluo primo ab omni ſententia excommunicationis maioris vel minoris, ſi quam incurriſti, deinde ab omnibus peccatis tuis, conferendo tibi pleniſſimam omnium peccatorum tuorum remiſſionem, remittendo etiam tibi pœnas purgatorii, in quantum ſe claues ſanctæ matris eccleſiæ extendunt. In nomine Patris & Filii & SS. Amen.

Part. I. cap. 15. n. VI. p. 186. Explicauimus contra-ſigillorum figuras, & iam arma gentilitia, iam arma affinium, iam figuras quasdam exoticas, iam aliud quidquam in iis occurrere obſeruauimus. Iam id vnicum notamus. Non deeſſe ſigilla principum, in quibus contra-ſigilla non modo eiusdem cum ſigillo principali magnitudinis, ſed & eodem fere typo iisdem perigraphis inſignita adparent. Tale eſt inter Domini Lobineau ſigilla XXXIV, cuius in antica ſe ſiſtit princeps armatus equo inſidens & vexillum geſtans cum lemmate: ✠. GAVFRID HENRICI REGIS FILIVS DVX BRITANNIE. S. in poſtica eques eodem habitu indutus, ſed dextra gladium vibrans cum perigraphe: ✠. SI GAVFR---EMVN. Sunt quoque contra-ſigilla eiusdem cum ſigillo magnitudinis, in quibus ſymbolum familiæ expreſſum habetur. Quale eſt ſigillum Domini *Lobineau* LII, cuius in poſtica forfex, Montfortiorum inſigne occurrit media inter literas A & Ω cum lemmate ✠S. WLLMI De monTEFORti. Rarius eſt, & pii principis inſtitutum, ſi ſacri quidpiam in eiusmodi ſigillis occurrit. Quemadmodum in Domini de Lobineau contra-ſigillo LI. Hoëlis comes Nannetenſis vſus eſt effigie IESV CHRISTI vel alius cuiusdam ſancti ſedentis & ſiniſtra baculum tenentis, dextra benedictionem præbentis cum lemmate: ✠ Hoel--S. COMES BRITANNIE.

Part. I. cap. XV. n. VII. p. 168. diximus, in contra-ſigillo loco nominis & tituli ſæpe vſurpari formulas aliquas rariores e. g. *ſigillum ſecreti mei, ſecretum mei, ſecretum meum michi, ſecretum eſt &c.* Tales etiam obſeruantur in ſigillis Domini de LOBINEAV *e. g. n. VII. ✠SVB MEO SCVTO EST MEVM SECRETV̄. n. XL.* apparet leo cum lemmate: ✠*LEO ꝑHIBENS DOLVM. n. LXX. LXXI. & LXXII. ✠SECRETVM MEVM. n. 81. HOC EST: SECRETVM: MEVM:*

Part. II. cap. III. n. III. p. 190. explicatum a nobis eſt ſigillum Eccleſiæ S. Ægidii Brunsuicenſis, in quo hiſtoria ſeu potius Legenda de Ægidio iſto & Carolo Martello proponitur. Quoniam autem ſubinde in hoc opere ad numos reſpicimus, non poſſumus prætermittere numiſma argenteum Sedunenſe a Domino S. H. SCHMIEDTIO conſiliario aulico Quedlinb. affini meo dilectiſſimo, mihi exhibitum, in quo eadem fabula S. Theodoro adſcribitur, quæ ab aliis de Ægidio narratur. Siſtit illud in altera facie Epiſcopum coram altari prouolutum & dextra pedum epiſcopale, ſiniſtra gladium geſtantem. Altari ſupreme imminet angelus ſchedulam altari imponens, Epiſcopum pone ſequitur diabolus, follem tergo portans. Supra legitur CAROLVS infra 1501. Perigraphe ita ſe habet: ✠. PRECIBVS: S. THEODORI: DIMISSA: EST: CVLPA: CAROLI: In medio alterius lateris occurrit clypeus bifariam diuiſus, in ſuperiori parte crucem, in inferiori tres trabes exhibens, impoſitaque infula & gladio pariter & pedo decuſſatim conſtitutis ornatus. Hoc ſcutum cingit perigraphe: MATEVS. EPS. SEDV. PREꝑ. ET. COVALES. Denique marginem conſtituunt ſeptendecim clypei minores. Explicatio facilis erit, ſi cui ſanctorum Legendas euoluere libuit. Mihi enim feſtinanti iam non vacat. Ea etiam feſtinatio iam prohibet, quo minus alia, quæ iam parata habemus, ſupplementa adiicere poſſimus, ſi tamen DEVS O. M. vitam ac valetudinem conceſſerit, dabimus operam, vt & alia ſatis curioſa ad rem ſigillarem pertinentia ſequantur, promiſisque demum noſtris aliquando ſatisfiat.

His interea vtere B. L. & Vale!

S. D. G.

INDEX

INDEX I.
SCRIPTORVM
in hoc opere allegatorum.

A.

A Eliani *var. Hiſtor.*
Agobartus *Lugdun. de inſolentia Iudæor.*
Agricola *de pretio metall. & monet.*
Aimonius *monachus, & eius continuator.*
Albani *S. Vita.*
Albaſpinæi *not. ad Canon. Concil. Carthagin.*
Albericus *de Roſſate.*
Albertus *Argentinenſis.*
Albertus *Stadenſis.*
Albini Stamb.
Alcuini *epiſtolæ.*
Alemannus *de dextra & læua.*
Alexander ab *Alexandro.*
Allatius *de conſenſu vtr. eccleſiæ.*
Alteſerræ *Epiſt.*
Anaſtaſius *in vita Pontificum.*
Andreæ. *Epiſc. Mogor. Gubernac. Conciliorum.*
Antiquitäten-Zimmer.
Antiquitates *Goslarienſes.*
Apollodorus.
Apologia *Archiepiſc. Colonienſ.*
Aquila.
Aringhi *Rom Subterr.*
Arnkiel *Cimbr.* Heidenbegräbniß.
Arnobius.
Arnoldus *Lubecenſis.*
Arnonis *Breuiarium Donat.*
Athanaſius.
Aventini *Annal. Boior.*
Aviti *Poëmata.*
Aurea Bulla.

B.

B Albini *Miſcell. Bohem.*
Balſamon. *de priuileg. patriarchal.*
Baltheri *vita S. Fridolini Abbatis.*
Baluzii *not. ad Capitul. R. Franc.*
Baronii *Annales.*
Barthii *Aduerſar.*
Bartholini *diſſert. de ordin. Danebr.*
Baſilius.
Becmanni *Synt. Dignit.*
Beieri *Geogr. Ienenſ.*
Benedictus S. *de ferrament. & reb. monaſt. cuſtod.*
Bernardi *Epiſt.*
Bertiniani *annales Francor.*
Beslii *hiſtoires des Comtes Pictois.*
Biblia *Critica Angl.*
Bibliotheca *antiqua Ienenſ.*
Bignonius *ad form. Marculf.*
Binii *Concil.*
Biſſæi *Not. ad Vpton.*
Biuarr. *ad Chron. Pſeudo-Maxim.*
le Blanc *de Monetis Franciæ.*
Diſſ. hiſtor. ſur quelques monnoyes de Charlemagne.
Bleſſenſis *Epiſtol.*
Blumenberg, von dem Eichelſtein.
Bodon. *Synt. de monaſt. Gandersheim.*
Bœcleri *Diplom. Friderici III.*
Boiſſardi *Antiqu. Rom.*
Bona *Cardinal. Res Liturg.*
Bonfinius.
Bongratia *Summul. ſelect. qu. regul.*
Boniti *S. vita.*
Borellus *de Magiſt. edict.*
Boſii *Roma Subterran.*
Bouche *Hiſtor. Prouinc.*
Brice *le Cabinet du Roy.*
Briſſon *de regno Perſarum.*
Brito *Guilielmus.*
Bromptoni *Chron. Angliæ.*
Brovveri *antiqu. Fuldenſ.*
annales Treuirenſes.
Bruno *Monachus de bell. Sax.*
Bruſchii *Chronol. Monaſt.*
Bucelini *Germ. S. it. Rhætica Sacra & Profana.*
Hiſtor. Agilolfing.
Buchelii *notæ ad Wilhelm. Hedam.*
Bucherii *Belgic. Rom.*
Bulengerus *de picturis.*
Bulialdi *not. ad Ducam.*
Busbequii *epiſtolæ.*
Buttnerus *de urnis.*

C.

C Alvoër *Rituale Euangel.*
Cambdenus *Britonn.*
Camerarii *Quæſt. promiſc.*
Caniſii *annotat. Arnon. Epiſc.*
Lect. antiq.
Carpzovii *diſp. feudales.*
Caſſiodori *var. Epiſtol.*
Caſtoldus *de Imper.*
Cave *Hiſtor.*
Cedreni *Synopſ. Hiſtor.*
Cherubini *Bullar. Magn.*
Chiffletii *Anaſtaſ. Childerici.*
Vindic. Hiſpan.
Hiſtor. Tornutenſ.
Choppin *de droits de religieux & monaſteres.*
du Choul *dans le diſcours de la religion des anciens Romains. it. Caſtrametation des Romains.*
Chronicon *Goslarienſe MSC. membranaceum.*
Chryſoſtomus.
Cicero.
Cironii *Obſeruat. Iur. Canonici.*
Claudianus.
Clerici *Harm. Euangel. hiſtor.*
Cluueri *Geographia.*
Coccius *in Dagoberto.*
Codinus *Curopalates de official. palat. Conſtant.*
Colomeſii *Opuſc. Critic.*
Concilium *Toletanum.*

Conringii *censur. diplom. Lindau.*
Paradox. de Num. Hebræor.
de hab. Corp. Germ.
Cornelius *Nepos.*
Cranzii *Vandal.*
Crusii *Annal. Sueu.*
Turco-Græcia.
Culpisii *Collect. Diplom. ad Æn. Syluii histor.*
Cuperius *de vtilitate, quam Princ. ex numis capere possunt.*
Curio *de orig. Saracen.*
Curionis *(Iacobi) epist. de origine Francor.*
Curtius.
Cyprianus *(Ern. Salom.) de eccles. subterran.*
Cyrillus *Alexandrinus.*

D.

DAcheri *Spicileg.*
Damiani *Commentar. ad Desider. Abbat.*
Dio Cassius *Histor. Rom.*
Diodorus *Siculus.*
Dissertatio *de diuis tutelar. antiquæ Goslar.*
Dœpler *Theatr. pœn.*
Dominicus de Iacobatiis *de Conciliis.*
Drusii *Critica Sacra.*
Fragment. Interpr. veter. in pentateuch.
Ducheſnii *probat. Hist. Duc. Burgund.*
Dugdali *antiquitat. Warwicensis prouinciæ.*
Durandus *rational. diu. offic. it. de præbend.*

E.

EGinhardus *in vita Caroli M.*
Ekehardus *Iunior de cas. mon. S. Galli.*
de vita S. Notkeri.
Erasmi *Adagia.*
Eumenii *laud. Constant. Cæsaris.*
Eusebius *Histor. Eccles. &c.*
Examen *illustr. Script. Brunsv. Ciuit.*

F.

FElleri *dissertat. de fratr. Kalendar.*
Ferdinandi *Episcopi Paderb. Monum. Paderb.*
Ferrar. *de antiqu. epistol. ecclesiast. genere.*
Figrellus *de statuis illust. Rom.*
Flodoardi *hist. Rhenan.*
Florentinus *Wigornicensis.*
Freherus *Chronic. Lauresh. & August.*
Scriptor. German.
ad Petr. de Andlo.
du Fresne *Gloss. Lat.*
Gloss. med. & infimæ Græcitat.
de infer. æui numismatibus.
dissert. de linguæ lat. corruptione.
notæ ad Ioinuillam.
dissert. de numis Byzant.
de famil. Byzant.
Fulgentii *Mythologia.*

G.

GAssendi *vita Peirescii.*
Geisler. *dissert. de titulo: Nos Dei gratia.*
Gelenii *Syntagma.*
hierotheca Engelbertina.
Gellii *Noctes Atticæ.*
Germon *Discept. de veter. Regum Francor. diplom.*
Gewold *in Metrop.*
Giraldus *de expugn. Hibern.*
Goar *(Iac.) Euchолog. Græc.*
Gobelini Personæ *Cosmodrom.*
Gœzii *dissert. de reliqu. Lutheri.*
Goldasti *Res & Antiq. Alemann.*
Annotat. ad Ekehardum.
Constitut. Imper.
Goldmanni *architect. Ciuilis.*
Golzii *thesaur. rei antiquar.*
Gorlæi *Dactyliotheca.*
Gozecense *Chronicon.*
Gregorius *Magnus & Turonensis.*
Gretseri *Episcop. Eistet.*
Gretserus *(Iacobus) de cruce.*
Gronouius.
Grotius.
Gruteri *Inscript.*
Gryphiander *de Weichbild. Saxon.*
Guicciardini *descript. Belg.*
Guillimannus *de reb. Helvet.*
Guntherus *in Ligurino.*
Gutherius *de iure manium.*

H.

HAmelmanni *Chron. Oldenb.*
Hardt *(Herm. van der) Concil. Constant.*
Hartdknoch *de Prussia.*
Harmenopulus.
Hasselbach *Chron. Augustense.*
Heda *Wilh. Histor. Vltraiect.*
Henelii *Silesiographia.*
Henricus *monachus in vita S. Germani Altissiodor.*
Henschenius *diatrib. de trib. Dagob.*
Herberstein *de reb. Moscov.*
Herodotus.
Hertii *diss. de diplom. Germ. Imper. & Reg.*
Herwarti *apol. Ludou. Bauari contra Bzov.*
Heuterus *de reg. Burg.*
Hierocles.
Hieron. *Mag. Miscell.*
Hildebrand. *de Veterum Concion.*
Hincmari *epist. de Ordine Palat.*
Hœnnii *Chron. Coburg.*
Hokſemii *Hist. Episcop. Leodiens.*
Hopinkius *de Sigill. prisco & nouo iure.*
Hoppenrodii *annal. Gernrodens.*
Horatius.
Hottingerus *Archæolog. Orient. & de numis Orient.*
Huetii *Demonst. Euangel.*
Hulsii *Ser. Rom. Impp.*
Hygini *fabul.*

I.

IMhof *Genealog.*
Ingolphi *Histor. Croylandens.*
Innocentii *PP. epistolæ*
Iohannis a Leydis *Chron. Belg.*

Ionathan.
Iouius (*Paulus*) *Hiſtor.*
Ioſephi *Antiquit. Iud.*
Iperii *Chron. Belg.*
Iſidorus.
Iulius Capitolinus.
Iuſtinus.
Iuuenalis.

K.

KIrcheri *China illuſtrata.*
Kirchmannus *de annulis.*
Kirchner. *de offic. Cancellar.*
Kleinſorgii *Chronic. Weſtphal.*
Knachtbull *Animadu. ad Matth.*
Knauthii *Antiquit. Ballenſted.*
diſſert. de pagis Anhaltinis.
Kreuchii *ſigill. Lutheri.*

L.

LAbei *Biblioth.*
Lambecii *Comment. de biblioth. Vindobon. Chronol.*
& auctar. rer. Hamb.
Langenii *Tiderici Saxonia.*
Langii *Chron. Citiz.*
Layrizii *diſſert. de Landgr. Norib.*
Lehmannus *Chronic. Spirenſ.*
Leibnitii *Cod. Iur. gent. diplom.*
Leo Allatius *de perpet. conſenſ. orient. & occident. eccleſ.*
Leo Grammaticus.
Leonis Oſtienſis *Chron. Caſſinenſe.*
Leuberi *Stapul. Magdeburg.*
Leuckfeldi *Antiquitates Poldenſes.*
Lightfoot *Horæ Talmud.*
Limnæi *Not. ad Capitul. Ferd. III.*
Lindenbrogii *priuil. eccleſ. Hamburg.*
Lipſii *Comment. in Tacitum.*
Not. ad Polit.
Analect. ad milit. Rom.
Lobineau *Hiſtor. Duc. Britanniæ.*
Löſcherus *de numariæ rei vſu præſt. in hiſtor. eccl.*
de Luca (*Cardinalis*) *Relat. Rom. Cur. forenſ.*
Lucæ *Atrium Ducum.*
Lucianus.
Ludolphi *Hiſtor. Aethiop.*
Lupi, *Abbatis Ferrarienſis, epiſtolæ.*
Lynker *diſſert. de idiomate Imperiali.*

M.

MAbillonius *de Re Diplomat. item vet. Analect.*
Macer (*Dominicus*) *Hierolex.*
Macrobius.
Maderi *Antiquit. Brunſuicenſ.*
Maimonides.
Mallinkrotius *de Archicancel. & Cancellar. Imp.*
Marca *Hiſtor. Beneharn.*
diſſert. de primatu Petri.
Marshami *Chron.*
Martialis.
Matthæi (*Anton.*) *de Nobilitate.*
Analect. vet. æui.
Matthæus *Pariſ.*
S. Maximi *ſerm. de S. Petro & Paulo.*
Mayerus *de Pontif. Rom. elect.*
Megiſerii *deſcript. Vrb. Venet.*
annal. Carinth.
Meibomii *Script. & res Germ.*
Meinvverci *vita.*
Mellenii *epiſt. de antiquis Thuringiæ numiſmat. de num. bracteat.*
Meneſtrier *ſcienee les armes.*
Meurſius *Gloſſ.*
ad Lycophron Caſſand.
Mezgeri *Hiſtor. Salisburgenſis.*
Milichii *diſſert. de conſtitut. Bolconis II. Ducis Sileſ. Suidnic.*
Miræi *Annal. Leodienſ.*
Diplom. Belg.
Notit. eccleſ. Belg.
Modius *Pand. triumph.*
Molani *Ind. SS. Belg. & natal. eor.*
hiſtor. S. imagin.
Molinet *dans le Cabinet de la biblioth. de S. Genev.*
Hiſtor. Pontific. per numiſm.
Monaſticum *Anglicanum.*
Montanus, (*Arnoldus*) *legat. memorab. ad Iapan.*
Mulleri *notæ ad Moſis Mardeni epiſtolas Syr.*
Muſæi Danici *auctarium.*
Mylerus *ab Ehrenberg de Princip. & Stat. Imper.*

N.

NAthalis Alexander *hiſt. eccleſ.*
Naudæus *dans les raiſons peremptoires.*
Nazianzenus.
Nicæni Synodi *acta.*
Nicephorus.
Nicetas *Paphlago in vit. S. Ignatii Patr. Conſtant.*
in Manuele Comneno.
Nicolai *de Siglis veterum.*
de nimbis antiqu.
Noppii *Chron. Aquisgran.*

O

OBrechti *diſſert. de vexill. Imperat.*
Prodrom. rer. Alſat.
Olearii *itinerar. Perſic.*
Olearii *Syntagm. Rer. Thur.*
Hiſtor. Arnſtad.
Iſag. ad numophylac. bracteat.
curieuſe Müntz-Wiſſenſchafft.
Spicileg. antiqu.
Anaſtaſ. Agnet. Abbat. Quedlinburg.
epiſt. de Numo Gardolf.
Onkelos.
Optatus Mileuitanus.
Ordericus Vitalis.
Origenes.
Otto Friſingenſis *de geſtis Friderici I.*

P.

PAllatius *de Geſtis Pontificum.*
Pancirollus *de reb. deperd.*
Papebrochii *Propyl. Antiquar.*
diſſert. de antiq. diplom.
Reſp. ad exhibit. error. per Sebaſt. de S. Paulo.
Paris (*Matthæus.*)
Parkerus *in vita S. Anſelmi.*
Pasquier *aux recherche de la France.*
Patini *theſaur. Numiſm.*
Paulini *Syntagm. Hiſtor. German.*
Chronic. Otberg.
Pauſanias.
Perſius.
Petauius *in Rat. temp.*
PetriSvavis *hiſt. Concil. Trident.*
Petronius.
Petrus *Bleſſenſis.*
Petrus *Diaconus in Chron. Caſin.*
Petrus *de* Vineis.
Pfannerus *de præcip. princip. German. gentib.*
Philo *lib. de gigant.*
Phranzes.
Pign. (*Io. Bapt.*) *hiſtor. princip. Eſtenſ.*
Piſtorius.
Pithœus *de Comit. Champagniæ.*
Planudes (*Maxim.*) *Vita Aeſopi.*
Plinii *Hiſt. Natur.*
Plutarchus.
Poliænus.
Politiani *Miſcellan.*
Pollux.
Polybius.
Porphyrius.
Ptolemæi *Lucenſis Annal.*
Puricellus *de baſilic. Ambroſii.*

Q.

QVintilianus.

R.

RAdeuicus *de geſt. Friderici.*
Radulphus de Diceto.
Ratpertus, *de Caſ. monaſt. S. Galli.*
Rebuffii *prax. benefic.*
Reineſii *Syntagma.*
Reuber.
Reuſeri *Vindic. Euangelico-Thomiſt.*
Rhenanus *de Reb. German.*
Rieſtii Monatliche Geſpräche.
Rigardus.
Rocchus Pirrhus *in notit. Sicul.*
Romuald. *Salernitan. Chron. MSC.*
de Roſeariis *in apparatu ad Stemmata Lothar.*
de Roya (*Ægidius.*)
Rub. (*Hieronymus*) *Hiſt. Rau.*
Ruellii *pomp. funebr. Caroli III Ducis Lotharing.*
Rufi (*Conr. Mutiani*) *Epiſtolæ.*

S.

SAgittarii *Gentiliſm. Thur. it. Antiquit. Thur.*
Antiquitat. Magdeburg.
Hiſtor. princip. Anhaltin.
Salazar *Mendoçanus de Dignitatibus.*
Salluſtius.
Salmaſius *de Subſcript. & Signat. teſt.*
de modo vſurarum.
ad Solinum.
epiſt. ad Sarrav.
Salmuthus *ad Panciroll. de reb. deperditis.*
Sangallenſis *Monachi vita Caroli M.*
Sanſouinus *hiſt. Venet.*
Sarisberienſis *Epiſt.*
Sarnellus *lettres eccleſiaſtiches.*
Scaliger *de emendat. tempor.*
Comment. in append. Virg.
Canon. Iſagog.
Schatenius *Annal. Paderborn.*
Schefferus *de antiquis verisque regni Sveciæ inſign.*
de antiqu. torquibus.
Schilterus *de libert. eccleſ. Germ.*
Schlegelii *Hiſt. Vet. Cellenſ.*
de num. Iſen. Mulhuſ. & Northuſ.
epiſt. de numo Comitis Blanckenburgenſis.
Schmiedii (*I. And.*) *diſſert. de annulo paſtorali.*
diſſert. de numis cathedral.
diſſert. de inſign. Veterum Chriſtian. formulis.
diſſert. de numis Pegauienſ.
Schubart. *exercit. de Comit. Palat.*
Schurtzfleiſch *diſſ. de titulo Auguſti.*
Schvveigerus *Itinerar.*
Seldenus *I. N.*
ad Eadmer.
de titul. honor.
Seneca.
Serarius *res Moguntin.*
Seruius *Virgilii Scholiaſtes.*
Sigebertus *Gemblacenſis.*
Smiedt *Oppid. Batav.*
Socratis *Hiſtor. Eccleſ.*
Soleri *tractat. de pileo.*
Sozomenus.
Spangenberg. *Chron. Saxon.*
Spec. Nobilitat.
Spanhemius *de vſu & præſtantia numiſmat.*
epiſt. ad Morell.
Spelmannus *Concil. Angl.*
Spencerus *de Leg. Hebr.*
Speneri *Opus Herald.*
Sperlingius *de num. bracteat. origine.*
Spondanus.
Sponii *Miſcell. erudit. antiqu.*
Sprenger *Rom. nov.*
Stevvechius *ad Veget.*
van Stœken *Thuan. enucl.*
Strabo *Geograph.*
Strada (*Octauian.*) *de Rom. Princip.*
Strauchii *diſſert. iur. publ. exoter.*
Struvii *Acta literar.*

Strykii *Dissert. de cera rubra.*
Sturmii *Architect. Ciuil.*
Suetonius.
Sugerius *de administratione.*
Surii *Commentar. rerum in orbe gestar.*
Syluii *(Æneæ) histor. Frid. III.*
Symmachi *epist.*

T.

TAcitus *de mor. Germanor.*
Tamburin *de iure & priuil. Abbatum.*
Tenzelii *Supplem. Hist. Gothan.*
Bibliothec. Curios.
Vindic. Conring.
Dialog. Menstr.
dissertat. de numis Mogunt.
Tertullianus *de corona militum.*
Theophanes.
Thucydidis *Scholiastes.*
Thulemarius *de Bullis.*
Tilletii *recueil de Roys de France.*
Treiberi *Schediasma de Ciuitatum sigillis.*
Trithemii *Chron. Spanheim.*
Chron. Hisp.
de origine Gent. Francor.
Triuet *Nicol. Chronicon.*
Tudeboldus.
Turnebus.
Tvvroczii *Chron. Hung.*

V.

VAdianus *de Colleg. & monast. German.*
Vaillantius *de numis.*
ValeriusMaximus.
de la Valle *Itinerar.*
Varro *de lingua Latina,*
Velserus *de reb. Boicis.*
Venantii *Fortunati Poëmata.*
Vergilius *de inuent. Rerum.*
Vghellus *Ital. S.*
Vicentius *Bellouacensis.*
Villaneus *Ioannes.*
Vossius *de Histor. Lat.*
Vredii *Flandria Christiana.*
de Sigillis Comit. Flandriæ.
Vrstisii *Scriptor. Rer. Germ.*
Vueuero *(Monach. Leod.) epitom. Chronic.*

W.

WAgenseil *dissert. de summis S. R. I. official.*
Warnefridus *de gestis Longobard.*
Weckii *Chron. Dresdens.*
descript. vrbis Dresd.
Wedelii *dissert. de numis pileatis.*
Weidnerus *de pret. in numis.*
Wendelinus *de natali solo legum Salicarum.*
Wengerscii *hist. eccles. Slauor.*
Wilhelmus *Malmesburiensis de gestis Regum Angl.*
Wilhelmus *Tyrius.*
Wippo *in vita Conradi Salici.*
Witekindus *Saxo.*
Wolffii *Lect. Memorab.*
Wormii *Monument.*

X.

XEnophon.
Xiphilinus.

Y.

YEpez *(Anton. de) Chron. ord. S. Bened.*

Z.

ZImmermannni *Amœnitat. Theolog.*
Zyllesii *defens. Abbat. S. Maximini.*

INDEX II.
RERVM ET VERBORVM.

A.

A. E. I. O. V. *Friderici IV symbolum, quid sibi velit* 110
Abbates, *quando demum propria sigilla habere cœperint* 158
quid sigillis suis insculpserint ibid.
quando sigilla parabolica oblonga adhibuerint 57
Abbatissæ, *quidnam in earum sigillis conspiciatur* 158. 159
cur in numis interdum palmis ornatæ 163
in sigillis sæpius librum præferunt 164
Abbreuiaturæ *in sigillis conspicuæ* 186
Abessini, *eorum sigilla* 30
vid. Habessiniæ Rex.
Accubitoris *palæ in aula Byzantina officium* 42
Adelæ, *Francorum Reginæ, sigillum* 115
Adelberti, *Archiepiscopi Bremensis, sigillum* 59. 154
an sit genuinum 57
Adelhogi, *Episcopi Hildesiensis, sigilla* 61. 152. 158
Adolphus *Nassouius, quonam vsus sit sigillo* 53
quo titulo delectatus 71
Adrianus *IV, Papa, eius bulla plumbea* 143
an primus Pauli & Petri capita bullis impresserit 143
Adulteratores *sigillorum qua pœna sint affecti* 12. 176
Aegidii *fabula* 72. 190
Aegyptii *an sigillis olim vsi* 23
an & lutacea sigilla adhibuerint 55
Aeneæ *bullæ a quibusnam sint adhibitæ* 50
Aesopus *quando occisus* 25
Agnesæ, *Abbatissæ Quedlinburgensis, numus* 183
Agnesæ, *Ducissæ Schweidnicensis, sigillum* 135. 194
Alberti, *Ducis Saxoniæ, numus* 95
Alberti *Degeneris, adhuc iuuenis, sigillum* 127
Alberti, *Episcopi Halberstadensis, sigillum* 60
Alberti I, *Episcopi Rigensis, sigillum* 154. 191
Alberti *VII, Comitis Ballenstad. sigillum* 122

Alexander *M. cur sigillo Darii vsus* 24
Alexandri, *Rom. Imperatoris, sigillum* 114
Alexandri *III. Pontificis bulla* 143
Alexandri, *Martyris inscriptio* 17
Alexius, *Patriarcha Constantinop. bullas plumbeas adhibuit* 49
Altaria *quando Sanctorum lipsana in iis sint recondita* 17
Andronici *II. Bulla aurea, & diploma* 31.37.38
Angelorum *capita cur sanctis in sigillis addita* 164
cur S. Mariæ præcipue adiiciantur ibid.
Angli *quando sigillorum vsus apud eos inualuerit* 28 170
quando contrasigilla adhibuerint 166
an bullis aureis vsi 36
quo charactere diplomata signarint 28.68
Angliæ *Episcoporum sigilla* 155
Angliæ *Reges cuinam sigillorum custodiam demandent* 13
Annuli, *quando a Græcis adhibiti* 25
Christianorum veterum quid præferant 62.sq.
Defunctorum terra mandati 14
Annulus *a Iuda Thamari datus qualis fuerit* 20
a Pharaone Iosepho traditus num fuerit signatorius 23
octangulus a quibusnam in sigillis adhibitus 78
Piscatoris *vid.* Piscatoris.
Antvverpia, *ciuitas, quid in sigillo suo exhibeat* 140
Anubis *in plurimis numis conspicitur* 63
an Caroli M. sigillum, Anubi insignitum, sit genuinum 63
Appendi *quando consueuerint sigilla* 170
Aquila *Romanis instar sacri pignoris fuit* 112
ab Imperatoribus Germanis hoc imperii pignus diligenter seruatum 112
an sigillis olim insculpta 113. 291
simplici Imperatores Germanici olim vsi 112
biceps quando demum in sigilla transierit 113
an imperatores, corona Romæ impetrata, ea demum sint vsi 113
an eam adhibuerint Imperatores Orientales 113 114
Aquila Ezechielis Sponsæ missa, &c. *quid sibi velint hi versiculi* 109
Archicancellarii, *quando Archi-Episcopi Rhenani hoc titulo vsi* 194
Architecto *num prosint sigilla* 211
Arei, *Regis Spartan. litteræ ad Oniam perscriptæ an sint genuinæ* 25
Argenteæ bullæ, *raro sunt adhibitæ* 40
an Latinis fuerint familiares 40
nonnulla earum exempla 41
apud Græcos & Orientales fuerunt frequentes 42
an iis episcopi in occidente vsi 42
Argentina, *ciuitas, quid in sigillo suo exhibeat* 140
Arma *veterum in sigillis exhibita* 198
Arnoldi, *Episcopi Bambergensis, sigillum* 69
Arnstadiensis *ciuitatis sigillum* 140
Arnulfi *M. Comitis Flandriæ sigillum* 122. 195
Arnulfi *II Comitis Flandriæ titulus* 123
Arnulphi *Imperatoris bullæ aureæ* 33
diploma aureis litteris conscriptum 31
numisma aureum 89
sigillum Corbeiense 89. 130
Artes *quando renatæ* 65
sub Imperatoribus Salicis floruere 65
Ascania, *vnde vox hæc sit enata* 188
Assumtio *Mariæ vid.* Maria.
Athelberti, *Angliæ Regis, diploma* 28
Atlantum *origo* 217
Attali *Fl. Cæsaris numisma* 93
Auersperga, *vrbs, quid in eius sigillo conspiciatur* 140
Aues *quid sibi velint in sigillis principum* 131. 221
vid. Falcones
Augustarum figilla 115
vid. Feminæ.
Augustus, *Cæsar, quo sigillo vsus sit* 75
Augustus, *Rex Franciæ, quibusnam sigilla sua legarit* 15
Aurea Roma, *cur hæc verba sigillis Impp. inscripta* 93
Aureæ *bullæ, earum origo* 32
cur Byzantia sint vocatæ ibid.
varia earum quantitas 37
gemmis nonnunquam sunt distinctæ ibid.
in quibus negotiis sint adhibitæ 38
quibusnam diplomatibus hodie appendantur 40
quibus characteribus sint insignitæ 78
ab Imperatoribus Occident. frequentissime sunt adhibitæ 33.sq.
an & exteri Reges illis signarint 36
an Pontifices Romani iis, vsi sint ibid.
an principes extra regiam dignitatem constituti eas adhibuerint 37
cum inscriptione: Renouatio Regni Francorum 44
Aurum, *a quibusnam in conscribendis litteris adhibitum* 31

B.

Bacchus *plurimis numis deprehenditur incisus* 63
annulo Pipini insculptus quid sibi velit ibid.
Baculus *regalis qualis* 96
Balderici *Thuringi sigillum* 124
Balduini *I. Imp. Byzantini sigillum* 114. 195
Balduini *II Imperatoris bullæ aureæ* 37
bulla plumbea 43
corona 208
Balduinorum, *Flandriæ Comitum, tituli* 123. 195
Balthasaris, *Thuringiæ Landgrauii, sigillum* 126
Bamberga *quem patronum sibi adsciuerit* 139
quomodo olim scripta 189
Barba, *an eam aluerit Carolus M. 81. sq. conf.* 209
quando Episcopi ea vsi 197
Bartholomæi, *Dorbatensis episcopi, sigillum* 152
Bartonis, *Generalis, sigillum* 158
Basileensis *concilii sigillum* 149
Bene valete *formulæ in monogramma contracta* 145
Benedictus S. *qua multa monachos, sigillorum adulteratores, affecerit* 12
Berna, *ciuitas, quid in sigillo eius appareat* 140
Bernhardi, *episcopi Dorpatensis, sigillum* 152
Bernhardi, *episcopi Hildesiensis, sigillum* 58. 152

Bernhardi *Saxoniæ Ducis, titulus* 71
sigillum 126
Bertradis, *Abbatissæ Quedlinburgensis, sigillum* 159
Bertrami, *Episcopi Lubecensis, sigillum* 154
Bienna, *ciuitas, quid in eius sigillo conspiciatur* 140
Bohemiæ *Duces, an olim corona vsi* 124
Boleslai II, *Ducis Silesiæ, sigillum* 132
Breuia *Pontificum vnde nomen acceperint* 52
qua cera signentur ibid.
Brunonis, *Hildesiensis episcopi, sigillum* 152
Brunsuicensis *ecclesiæ sigillum* 72. 190
Brunsuicensium *Weichbildorum sigilla* 141
Brunsuiga, *quomodo olim vocata* 189
Bulgari *an aureas bullas adhibuerint* 36
Bulla *varias habet significationes* 29
Aenea vid. Aenea bulla.
Argentea vid. Argenteæ bullæ.
Aurea vid. Aureæ bullæ.
Plumbea vid. Plumbeæ bullæ.
Bullæ, *quibus inscriptum:* Renouatio Regni Francicorum, *cuinam Carolo sint tribuendæ* 44. *sq.*
an sint genuinæ 46
Pontificum &c. vid. Pontifices.
Βουλλοτήριον 19
Burgensium *in Goslaria sigillum* 138
Burgundiæ *Duces corona vsi* 124
Byzantia *cur bullæ aureæ ita sint vocatæ* 32
Byzantini *Cæsares sigillis frequenter vsi* 11
eorum sigilla a Græcis osculo sunt excepta 11
encausto diplomata subscripserunt 31
an diplomata aureis litteris conscripserint 31
bullas aureas nonnunquam ad clerum dedere 39
an soli bullas argenteas adhibuerint 41. 42
bullas plumbeas primum vsurparunt 42
qua cera signarint 52. 53
an primi sigilla chartæ adpenderint 171
an primitus sigilla papyro superfuderint 173
qua occasione bullas cereas vsurparint 52
an sigillis cretaceis sint vsi 55
an in sigillis professi se Dei munere imperare 69
horum sceptra consularia 86
quidnam globo crucigero in sigillis addiderint 86
loco sceptri vsi sunt in sigillis cruce 104
aquila bicipiti prius delectati, quam Impp. Occidentales 114
Byzantini *Episcopi promissam barbam aluerunt* 197

C.

Cacheta, *quando sint adhibita* 167
Cærulea *sigilla. vid.* Color.
Cæsares. *vid.* Imperatores.
Calcaria *Veterum* 200. *sq.*
Campanulæ. *vid.* Tintinnabula.
Cancellarii, *an iis apud Francos sigillorum custodia demandata* 13
Candida *sigilla. vid.* Color.
Canes *quid sibi velint in sigillis principum* 131. 221
Capita *Angelorum. vid.* Angeli.
Sanctorum. *vid.* Sancti.
Cardinalium *sigilla* 150
Caroli *Simplicis Sigillum* 89. 120
Caroli *Burgundiæ Ducis sig.* 126. 195
Caroli *Flandriæ Comitis sig.* 135. 193
Carolingi, *eorum sigilla & inscriptiones elegantiam spirant* 64
quænam in eorum sigillis crebro occurrant formulæ 68
an sigilla secreta adhibuerint 77
an vultum ad dextram, an ad lævam habeant conuersam in sigillis 117. 119
Carolomanni *sigillum* 119
Carolus Magnus *an barbam aluerit* 81
an tunica prolixiore usus 207
an corona laurea caput cinxerit 64. 80. 92
an se vocarit semper augustum 106
quo fuerit animo in artes liberales 65
formula χρε protege maximopere delectatus est 80
an bullas aureas adhibuerit 33. *an plumbeas* 43
eius bullæ, cum lemmate: Renouatio regni Franc. 44
varia eius sigilla horumque caracteres 79, 82. 106.
quænam sint spuria 63
cur Romam sigillis suis insculpserit 93
eius corona 208
eius numus cum aquila bicipiti 112
Carolus Caluus, *eius bullæ* 33. 37. 44
cereum eius sigillum 89
quanam in artes liberales fuerit propensione 65
quam formulam nomini suo in sigillis adiecerit 81
Carolus Crassus, *an, & cur Magnus sit dictus* 45
eius bullæ plumbeæ 44
nonnulla eius sigilla 88. 130
Carolus IV *Imper. cur aquila biceps ipsi arriserit* 113
prolixo in sigillis titulo vsus deprehenditur 71
quidnam contra sigillis inscripserit 78
eius bullæ 37. 39. 40
eius sigilla 108
eius corona 208
Carolus V *an primus aquila bicipiti constanter vsus sit* 113
Castella *in sigillis ciuitatum quid sibi velint* 138
Catacombæ, *sacris peragendis olim adhibitæ* 17
Cathedræ *episcopales* 153
regum & Imperatorum 153
Caua *sigilla quæ* 60
Cauteria *iumentorum, loco sigillorum adhibita* 156
Ceræ *quomodo comparatæ, si contra sigilla absunt* 172
Cerea *sigilla quomodo eorum ectypa accurate effor mari possint* 8
an a principibus & priuatis sint adhibita 50
an temporibus antiquissimis in usu fuerint ibid.
cuiusnam fuerint coloris 51. *sq.*
quando in calce litterarum appensa 58
de varia eorum figura & quantitate 56. *sq.*
Chalifarum *sigilla* 121
Childeberti III, *Franciæ Regis, sigillum* 17
Childericus I, *Rex Franciæ, quidnam in eius sepulchro repertum* 15
eius annulus aureus 16

Childerici *III, Regis Franciæ, ſigillum* 117
Chilperici *II, Regis Franciæ, ſigillum* 117
Chirotecæ *Veterum* 204
Chlodouæi *III, R. Franciæ, ſigillum* 117
Chriſti *monogramma. vid.* Monogramma.
Chriſtiani, *vbinam ſacra olim peregerint* 17
in ſigillis a mythologia gentilium abhorruerunt 62
quidnam eorum annuli præferant 62. *ſq.*
crucem mirum in modum amarunt 66
Chriſtophori, *Regis Sueciæ, ſigillum* 120
Chriſtus, *quid de ſigillis ipſi adſcriptis ſtatuendum* 22
quomodo eius nomen Germani olim ſcripſerint 88
Chronologia *ſigillorum quam numorum certior eſt* 182
Cimeriorum *in galeis & ſcutis gentilitiis origo* 126. 215
Cinnabari *litteræ a Græcis ſunt ſubſcriptæ* 31
Ciuitates, *varia earum ſigilla* 47. 138. 141
cur turres & diuos tutelares ſigillis inſculpſerint 138
quando demum ſigillis vſæ 138. 140
quando demum a conſulibus & ſenatu adminiſtratæ 140
nonnullæ in ſigillis ad nomen alluſere 140
multæ principum inſignia imitantur 149
quando ſecreta adhibuerint 141
Imperiales quidnam ſigillis imprimant 141
Rhenanæ ſigilla ſimpliciſſima adhibuerunt 140
Clauis *annularis* 26
Clemens *VI. PP. ſigillis ſuis intulit inſignia gentilitia* 147
Clerici, *eorum tonſura, quomodo a Græcis vocata* 18
quibusnam olim ſigillorum vſus interdictus 159
Clypei *variis olim coloribus diſtincti* 130
clypeus & vmbella in ſigillis quid ſibi velit 89. 130
clypeorum antiquorum figuræ 130. 200
Coburgenſium *patronus* 139
Cognati *nonnunquam memorantur in ſigillis* 135
Colonia *Agrippina quamdiu tres coronas in ſigillis ſuis adhibuerit* 140
Color cæruleus *an vnquam in ſigillis adhibitus* 55
candidus *in ſigillis olim omnibus principibus fuit communis* 51 *nonnullis priuilegio conceſſus* ibid.
luteus *frequentiſſime olim in ſigillis cereis eſt adhibitus* 51
niger *quando in ſigillis receptus* 53
ruber *in Impp. & Regum ſigillis initio locum invenit* 52. *it. in pontificum* 54. *nonnullis priuilegio eſt conceſſus* 54
viridis *quando eius vſus in ſigillis inualuit* 53. 54
Comes *Palatii, quando huic in Francia demandata ſit ſigillorum cuſtodia* 13
Comites *an candidi coloris ceram olim adhibuerint* 51
quando cœperint ſigillis in diplomatibus vti 121
quando cera viridi delectati 54
quando ſigillis oualibus 57
triangularia frequenter adhibuere 59
vid. Principes.
Comitiua *Palatina fuit olim dignitas ſplendidiſſima* 40
Commodus *Imperator ſua imagine ſignauit* 76
Conchæ *ſanguis. vid.* Encauſtum.
Concilia *quando primum ſigilla adhibuerint* 47. *ſq.*
qualia ea fuerint 48. 149
Confano. *vid.* Gonfanon.
Conradi, *Landgrauii Thuringiæ, ſigillum* 60. 135
Conradi *I Imp. ſigillum* 89. 130
Conradus *II Salicus, eius aurea bulla* 34
plumbea bulla 46. 96
eius ſigilla 70. 95
quid ſibi velit flos in ſiniſtra Regis 95
quid baculus in dextra 96
imago in ſigillis conſpicua 80
cereorum eius ſigillorum quantitas 61
corona 208
Conradus *III cur ſe in ſigillis vocet ſecundum* 102
an bullis aureis vſus ſit 34
eius diploma aureis litteris ſcriptum 31
ſigilla 101. 102
cereorum ſigillorum quantitas 61
corona 208
Conradus *IV, eius ſigillum* 107
quo titulo vſus 71
eius corona 208
Confecratio *Imperatorum quomodo in numis depingatur* 112
Conſiſtorialia *ſigilla* 149
Conſtantienſis *Concilii ſigillum* 149
Conſtantini *Imp incerti plumbea bulla* 43
Conſtantinopolitani *Cæſares. vid.* Byzantini.
Patriarchæ vid. Patriarchæ.
Conſtantinus *Lichuldes, Patriarcha Byzantinus, plumbeis bullis ſignauit* 49
Conſul *Pragenſis, ſigillo amiſſo, capite multatur* 13
Conſulare *Sceptrum. vid.* Sceptrum.
Conſulum *Romanorum geſtamen* 86
Conuerſiones *gentium e ſigillis addiſcuntur* 191
Corbeienſis *eccleſiæ ſigillum* 165
Corona *laurea in numo Sinopenſium* 63
in ſigillis Hludouici ſemper conſpicitur 84
in ſigillo Ottonis III qualis 92
in ſigillo Lotharii Saxonis qualis 101
Imperialis quid præ aliis habeat ſingulare 101
an inter inſignia principum 123
Coronæ *variæ Imperatorum* 208
Contraſigilla, *eorum antiquitas* 166
cur inuenta ſint 166
Cretacea *ſigilla, quando adhibita* 55
Criticis *multum proſunt ſigilla* 184
Crux *oblatis euchariſticis impreſſa, quomodo vocetur* 18
hac plerumque inſigniti annuli Chriſtianorum 62
hac mirum in modum delectati veteres Chriſtiani 66. *ſq.* 69
ea ordiuntur plerumque inſcriptiones ſigillorum 66
quando in chartis & ſubſcriptionibus vſurpata 66. *ſq.*
eam Rudolphus I ſceptro antehabuit 99

cruce

cruce duplici cur loco ſceptri vtatur Otto IV. Imp. 104
cur tot cruces veteres chartæ illeuerint 68
e ſubſcriptionibus cruces in ſigilla tranſierunt 68
quando in deſuetudinem venerint ibid.
Cryptæ *vid.* Catacombæ.
de Cuſa, *Cardinalis, eius ſigillum* 150
Cypri *reges an bullis plumbeis vſi* 47
Cyrenenſes *ſigillis admodum delectati* 25
egregii in ſculpendis annulis fuerunt artifices ibid.

D.

Dagoberti, *Fr. Regis, bulla argentea* 41. 118
ſigilla ſuſpecta & ſpuria 117. 118
corona 208
Dane-braage, *vexillum Danicum, vnde ad Danos peruenerit* 200
quando amiſſum ibid.
Δακτυλιόγλυφοι *qui* 17
Dani *an aureis bullis vſi* 37
Dania *quomodo olim appellata* 189
Darius, *cur eius ſigillum Alexander retinuerit* 24
Decanorum *Eccleſ. cathedral. ſigilla* 158
Dei gratia, *huius formulæ origo* 69
Demetrii *Palæologi Deſpotæ numus* 113
Deſpotæ *qua cera olim ſignarint* 52
Dextræ *geſtamen in ſigillis principum* 128
Diadumeni *numus* 97
Dii *gentilium. vid.* Mythologia.
Diphthongi *an in ſigillis occurrant* 185
Diplomata *auctoritatem ſigillorum plerumque elogio inculcant* 10
iis ſæpius plura ſigilla appenſa 10
interdum vocantur ſigilla 17. *item bullæ* 19
quomodo Angli ea ſignarint 28
quomodo Turcæ, aliique Orientales 29
encauſto a Byzantinis Impp. ſubſcripta 31
aureis interdum litteris conſcripta 31
aureis bullis inſignita 33. *ſq.*
an eorum γνησιότης ex ſigillis perſpici poſſit 10 174. *ſq.*
Diſpargum *caſtrum vbinam ſitum* 189
eius ſigillum ibid.
Diſtinctiones *vid.* Interpunctiones.
Diui *tutelares in ſigillis ciuitatum* 138
Diuiſio *prouinciarum e ſigillis liquet* 196
Dominos *quinam nobiles ſe vocarint* 137
Draco, *regni Sinici inſigne* 29
Dresda *quomodo olim ſcripta* 189

E,

Ebræi. *vid.* Hebræi.
Eccleſiæ *Germanorum quousque ſui iuris fuerint* 139
Eccleſiarum *inſignia quando epiſcoporum ſigillis inſculpta* 154
ſigilla 156
cuinam olim concredita 13
quid flores in his obuiæ ſibi velint 160
facies & origo e ſigillis elucet 191
Effigies *ſummorum virorum ad virtutem inflammant* 211
Eichſtetum *quomodo olim ſcriptum* 189
Eimbecæ *ciuitatis ſigillum* 140
Eiſenberga *quomodo olim ſcripta* 189
Elector *Moguntinus, cur in conuiuio Cæſaris inaugurali ſigillum geſtet* 12
Eliſabethæ, *Thuringorum Landgrauiæ, ſigillum* 135
Abbatiſſæ Quedlinburgenſis ſigillum 159
Emblemata *inſignium e ſigillis ſæpe reſtituenda* 217
Encauſtum *quid* 31
eo ſubſcriptæ ſunt aliquando litteræ ibid.
Engelberti, *Colonienſis epiſcopi, ſigillum* 72. 153
cathedra 153
Enſis *ſtrictus quid ſibi velit in ſigillis Comitum & Principum* 124
Ephippia *num a veteribus adhibita* 205
Epigraphæ *ſigillorum* 71
Epiſcopi, *an & quando bullas plumbeas adhibuerint* 49. 51. 151
quibusnam formulis in ſubſcriptione delectati 69
qua inſcriptione libri eorum ſint inſigniti 72. 153
ſuas olim icones ſigillis inſculpſerunt 151 *quando hic mos in deſuetudinem abierit* 155
an in titulis olim meminerint epiſcopatus ſui 70
quando iura territorialia exercuerint 155
cur palmis ornati conſpiciantur 163
an barbam olim aluerint 197
num etiam gonfanonibus vſi 200
quomodo mitræ eorum ſe olim habuerint 152. 197
eorum peda antiqua & hodierna 152
quales cathedræ in eorum ſigillis obſeruentur 153. *ſq.*
an etiam ſtantes in ſigillis exhibeantur 154
qua fuerint forma & quantitate eorum ſigilla 51. 57. 61. 152. 155
quid ſigillis ſuis ſecretis inſcripſerint 168
quando contra ſigilla adhibuerint 166
Angliæ epiſcoporum ſigilla 155
Eques *cataphractus quid ſibi velit in ſigillis Hildebrandi de Goslaria* 138
Equeſtria *ſigilla quando inualuerint* 125
fuerunt primo ſimpliciſſima 125
mox variis ornamentis conſpicua ibid.
principum iuuentutis 127
Equi *qnomodo olim ornati & veſtiti* 205
cur bini in funeribus principum deducti 128
Equitantes *cur principes ſe in ſigillis fingi voluerint* 127
an etiam Imperatores & reges hoc ſchemate conſpiciantur 128
an etiam feminæ illuſtres ibid.
Eraſmus *Roterodamus quo ſigno in litteris vſus* 64
de Euerſtein *Comitis ſigillum triangulare* 59

F.

Falcones *in ſigillis principum iuuentutis crebro conſpiciuntur* 127
nec non in ſigillis principum feminarum 137
Falſa *ſigilla falſis & veris diplomatibus adiecta reperiuntur* 174. *ſq.*
Famuli *quinam nobilium ita nuncupati* 137
Faſciarum *in ſcutis gentilitiis origo* 216
Fauſtæ *Auguſtæ numus* 97

Feminæ *illustres quænam se sistant equitantes in sigillis* 128. 135
plerumque sellæ insident palliatæ 135
interdum etiam stantes deprehenduntur 135
plerumque se sistunt velut orantes 137. 221
commune earum gestamen 137
cur gladium gestent 222
priscus earum habitus 210
Ferdinandi *II. & III. Impp. aureæ bullæ* 38. 39
Fides *Græca* 15
Fila, *ex quibus sigilla dependent, Pontificum, aliorumque* 171
ex vno filo an vnquam duo pependerint sigilla 731
Flandriæ *comites quando sigilla adhibuerint* 171
variis olim titulis vsi 123. 199
vexilla in sigillis crebro gestant 128
quando demum sigillis leonem intulerint 131
quando contrasigilla adhibuerint 166
quid in sigillis secretis ostentarint 168
Flores *in sigillis Principum quid denotent* 132
quid in sigillis ecclesiarum 160
Flos *in sinistra Conradi Salici quid sibi velit* 95
an sceptrum denotet 96
vid. Lilium.
Formulæ *variæ in sigillis & diplomatibus conspicuæ* 69. 70. 80. 119. 145
Franci *annulos defunctorum terræ mandarunt* 14
an cruce olim subscripserint 67
quando sigilla appenderint 171
quo habitu priscis temporibus delectati 206
cæsarie & prolixa coma olim vsi sunt 209
Franciæ *reges cuinam sigilla custodienda dederint* 13
eorum sigilla 26. 116. *sq.*
bullas aureas frequenter adhibuerunt 36
an primum aureis bullis signarint 32
an vsus bullarum argentearum ipsis fuerit familiaris 40. *sq.*
quanam cera in sigillis delectati 53
quali sigillorum figura oblectati 56
cerea eorum sigilla qua fuerint quantitate 61
an Deos gentilium sigillis inciderint 63
in sigillis sculpendis Romanorum elegantiam imitati sunt 64. *sq.*
vnde hauserint formulam: ☧ *protege* 80
sceptri consularis vsus cur ipsis arriserit 86
primum in occidente globo crucigero sunt vsi 86
Byzantinorum luxum & gloriam sunt æmulati 117
quando demum lilia ipsis insignium loco fuerint 119
quando contrasigilla adhibuerint 166
Carolingi. *vid.* Carolingi.
Merouingi. *vid.* Merouingi.
Francofurti *ad Viadrum sigillum* 54. 140
Francofurtum *quo modo olim scriptum* 189
Frenum, *an eo olim equos rexerint* 205
Friderici *Com. Palat. Sommersb. sigillum* 126
Friderici II. *Electoris Sax. sigillum* 127
Friderici, *Marchionis Misnensis, sigillum* 127. 196
Friderici, *Thuringiæ Landgr. sigillum* 127
Fridericus *Fortis, Thur. Landgr. corona conspicuus* 123
Friderici I. *Imp. eius bullæ aureæ* 34. 39. 102
diploma aureis litteris scriptum 31
sigilla 53. 102. 103. 104
cereorum eius sigillorum quantitas 61
an se primum scripserit semper Augustum 106
eius corona 208
Fridericus II. *Imp. aureis bullis frequenter vsus est* 34. 37. 39
eius aureæ bullæ 106
sigilla 107
prolixiore titulo primum delectatus est 107
eius corona 208
diploma 219
Fridericus III. *Imp. an aureis bullis vsus* 36
cereorum eius sigillorum quantitas 61
Fridericus IV. *Imp. eius bulla aurea* 109
eius sigilla 76. 109
cacheta 167
eius symbolum A. E. I. O. V. 110
vnde fata domus suæ præuiderit 112
mirificum eius somnium 111
eius corona 208
Fuldensis *ecclesiæ sigillum* 158
Fuldensium *patronus* 139
Fundatorum *memoria in sigillis ecclesiarum conseruata* 156. 158

G.

Galba *Imperator quo sigillo vsus* 76
Galeæ *quando cimeriis & cristis exornatæ* 126
varia eis addita sunt ernamenta 126
variæ earum formæ 134
Gallæ *Placidiæ bulla plumbea & numus* 42
an bulla hæc sit omni exceptione maior 43
Galli *maximum sigillis exhibent honorem* 12
vid. Franci.
Galli reges. *vid.* Franciæ reges.
Genealogia *ex sigillis multum illustratur* 193
Generales *ordd. monasticorum quid sigillis suis insculpserint* 158
Gentiles *quosnam nimbis ornarint* 161
Gerhardi *Episc. Hildes. sigilla* 57. 154
Archiepisc. Moguntini sigillum 166
Germani *an antiquitus sigilla vsurparint* 26
an in subscriptionibus crucis characteribus vsi 67
quando sigilla pensilia adhibuerint 170
rei equestris fuerunt peritissimi 205
quo fuerint olim habitu induti 206
Germania *ante Carolum M. barbarie sorduit* 26
Germanus *Patriarcha Cpolitan. bullas plumbeas vsurpauit* 49
Gertrudis, *Abbatissæ Quedlinburgensis, sigillum* 159
Gladii *veterum an ab hodiernis diuersi* 200. 204
cur eos feminæ in sigillis gestent 122
Glandes *in bulla Iulii II. quid sibi velint* 147
Globuli *e corona Lotharii Saxonici pendentes quid sibi velint* 101
Globus *cruciger a quibusnam primum fuerit adhibitus* 86
a quibusnam in Occidentem sit inuectus 86
Gonfanon, *quid & vnde dictum* 199
Goslariæ *ciuitatis sigillum* 138

Goslarienſis *eccleſiæ ſigilla* 72. 157. 168. 191
Gotha *quem ſibi patronum elegerit* 139
Græca *lingua Pontificibus antiquioribus in ſigillis arriſit* 146. *ſq.*
Græci, *quando annuli vſus apud eos inualuerit* 25
quid priſcis temporibus ſigillorum loco adhibuerint 25
fidem nonnunquam ſigillis ſuis denegarunt 15
an ipſis laus inuentarum aurearum bullarum deneganda 32
bullis plumbeis frequenter ſignarunt 42
an ſigillis cretaceis vſi 55
crucis characteribus in ſubſcriptionibus ipſaque charta nimium delectati 67
Græci *Imperatores. vid.* Byzantini.
Grammaticæ *ſtudioſis multum proſunt ſigilla* 184
Gregorius I *Papa an bullas plumbeas primum adhibuerit* 48
Guaimarus, *Dux Salernitanus, ejus ſigillum* 122
cur corona & ſceptro vſus ſit 123
Guidonis *de Dampetra ſigillum* 135. 193. 195
Guilielmi *Imp. ſigillorum cereorum quantitas* 61
Guilielmi *Normanni, Com. Flandriæ, ſigillum* 125
Guntfanonarii *quinam olim ita appellati* 199
Guntheri *Comitis de Keuernburg ſigillum* 134
Guntheri, *Comitis de Schwarzburg, ſigillum* 134

H.

H, *hanc litteram Franci & Gothi olim literis L. R. T. & B. præfixere* 85
Habeſſiniæ *Rex quonam vtatur ſigillo* 30
legatio ab eo Batauiam miſſa cur ſuſpecta 30
Hadrianus I. *Papa, an primum plumbo ſignarit* 48
Halberſtadenſis *eccleſiæ S. Mauritii ſigilla* 61. 72. 156
S. Bonifacii 72. 156
Hannonia *quomodo olim vocata* 189
Haſtæ *olim a regibus geſtatæ* 117
an idem quod ſceptrum & baculus 116. *ſq.*
in ſigillis Britannorum conſpiciuntur 221
Hebræi *an olim ſigillis vſi* 70
iis imagines, ſigillis inſculptæ, ſudes ſunt in oculis 21
Hennebergæ *ciuitatis ſigillum quid ferat* 140
Henninghi *Abbatis S. Godehardi Hildeſ. ſigillum* 158
Henrici, *Aſchariæ Comitis, ſigillum* 105. 124. 132
Brunſnicenſis Ducis ſigillum 53
Conſtantienſis epiſcopi ſigillum 154
Dorpatenſis epiſcopi ſigillum 152
Fuldenſis abbatis ſigillum 159
Hermanni filii ſigillum 193
Hildeſienſis epiſcopi ſigillum 58
ohne Land, *Thuringiæ Landgrauii, ſigillum* 133. 135. 193
Leonis ſigilla 125. 196. 71
Leonis filii ſigillum 126. 133
Mirabilis, Ducis Brunſuicenſis, ſig. 133. 166. 168
IIX, Angliæ Regis, bulla aurea 37 39
Henricus I *Imp. eius ſigillum* 89. 130
quomodo ſe habeat eius imago in ſigillis 80
Henricus II *Imp. cur Sanctus appellatus* 94
primum ſigillis maieſtatis vſus eſt 78
bulla eius argentea Paderbornenſis 41
bullæ eius aureæ 34
eius ſigilla 49
eius diploma ineditum 94. *aliud aureis litteris ſcriptum* 31
eius corona 208
Henricus III. *Imp. aureæ ejus bullæ* 34. 37. 97
eius ſigilla 77. 97. 98
ſigillorum quantitas 61
numus aquila bicipiti ornatus 112
corona 208
Henricus IV. *Imp. eius bullæ aureæ* 34
eius bulla Bruſchiana 98
ſigilla 98
diplomata aureis literis exarata 31
cereorum ſigillorum quantitas 61
corona 208
formulam χρε protege in vſum reuocauit 81. 99
Henricus V *Imp. aurea eius bulla* 34
eius ſigilla 99
corona 208
Henricus VI *Imp. an bullas aureas auerſatus ſit* 34
quid inſcripſerit ſigillis ſuis ſecretis 78. 166
an primus prouinciarum titulos nomini ſuo adiecerit 106
an ſe primus ſemper Auguſtum *ſcripſerit* 106
Henricus VII, *Friderici II filius, quo in ſigillis titulo ſit vſus* 71
eius ſigilla 104. 107 *eorumque quantitas* 61
eius corona 208
Henricus VII *Luzelburgicus, quid de ejus ſigillis notandum* 108
Henricus IIX *Bauarus, an primus principum diplomatibus ſigilla addiderit* 121
Heraldica *ex ſigillis haud parum illuſtratur* 213
Heyſonis, *Abbatis Ringelheimenſis, ſigillum* 158
Hildebrandi *de Goslaria ſigillum* 138
Hildeſia *quomodo olim ſcripta* 189
Hildeſienſis *eccleſiæ ſigillum* 72. 156
Hinrici *Abbatis ſigillum* 158
Hiſpani *ſummam venerationem exhibent Regum ſuorum ſigillis* 12
an bullis plumbeis vſi 46
Hiſpaniæ *Reges aureis bullis ſæpius vſi* 36
eorum ſigilla 120
Wiſigothi. vid. Wiſigothi.
Hiſtoriam *medii ævi ſigilla magis illuſtrant quam numi* 181. 190. 192
Hludouicus. *vid.* Ludwoicus.
Homines *ſanctis ſupplicantes quid ſibi velint in ſigillis* 163. 157
Honorius I *Papa, an iam bullis plumbeis vſus* 48
Hoyeri, *Comitis de Valkenſtein, ſigillum* 134. 57
Hugonis *ſigillum* 120
Hungari *quando ſigilla adhibuerint* 28
aureis bullis ſæpius ſignarunt 36

I.

Iaculum *in ſigillis regum quid ſibi velit* 116. *ſq.*
in plurimis Romanorum numis conſpicitur 117
Iapanenſes *ſigillis delectantur* 30
Iena *quem patronum ſibi elegerit* 130
Idoualdi *ſexti Goth. Regis numus* 93

Imagines *an in Iudæorum sigillis conspiciantur* 21 *sq.*
an Turcæ eas adhibeant 29. *an Persæ.* *ibid.*
Deorum gentilium an in veterum Christianorum sigillis occurrant 62
quænam maiestates nuncupatæ 77
nonnullorum Cæsarum in sigillis ad sinistrum latus conuersæ 80
in sigillis Principum & Comitum 122 *sq.*
Sanctorum tutelarium in sigillis ecclesiarum & monasteriorum 156. 158
quænam sigillis secretis insculptæ 167
Imperatores *Occidentales, eorum sigilla olim osculo sunt exceptæ* 11
interdum diplomata auro conscripsere 31
an & plumbeis bullis signarint 43
eorum sigilla olim ceræ albæ impressa 51
an etiam cera rubra vsi 52. 53
qua sigillorum figura delectati 56. 76
primum solum nomen sine prolixo titulo sigillis inscripsere 69. *sq.* 78
quando vocem Romanorum *titulo inseruerint* 71
an soli sigilla maiestatis sibi vendicarint 77
diuersis in sigillis coronis conspiciuntur 92
cur Romam sigillis insculpserint 93
quinam eorum primus se vocarit semper augustum 105
quando demum aquila bicipiti vsi sint 111
equitantes in numis conspiciuntur 128
quando contra sigilla adhibuerint 166
quid sigillis secretis inscripserint 168
quid sibi velit, quod interdum palma ornati conspiciantur 162
Imperatores *Græci. vid.* Bizantini.
Franciæ. vid. Franciæ reges.
Salici. vid. Salici.
Impressio *an idem ac sigillum* 19
Indulgentiarum *exemplum* 123
Indulgentiis *Tenzelianis quænam appensa fuerint sigilla* 150. 123
Innectendi *sigilla modus* 169
Inscriptiones *sigillorum medii æui magis sunt perspicuæ, quam numorum* 183
plerumque sunt latinæ 66
ordiuntur a cruce 66
secundariæ explicandarum figurarum causa adiectæ 71 *sq.*
an & sigilla, inscriptione carentia, inueniantur 73
in sigillis Caroli M. 80
in sigillis Principum 135
in bullis Pontificum Græca lingua consignatæ 147
sigillorum secretorum 168
genealogiam egregie illustrant 193
Insignia *gentilitia quando cœperint sigillis insculpi* 215. 129
quinam primus ex Pontificibus iis vsus 147
quando episcopi ea adhibuerint 154
vid. Scuta.
Instrumentum. *vid* Diploma.
Interpunctiones *quales in sigillis conspiciantur* 187
Iohannes *XV, Papa, quomodo diplomata signarit* 48
XXIII, arma gentilitia in bullis gestauit 147
Iohannis, *Episcopi Dorpatensis, sigillum* 152
Lettouiensis episcopi, sigillum 154
Iosephi *fides in describenda Arei epistola est suspecta* 25
Isenacenses *quem patronum sibi adsciuerint* 139
Isna, *ciuitas, quid sigillis impresserit* 140
Itali *an aureis bullis signarint* 36
Iudæi. *vid* Hebræi.
Iulii *Nepotis numus* 93
Iulius *Cæsar imagine Veneris armatæ signauit* 74
Iulius II *Papa, insignia gentilitia bullis impressit* 147
an primus barbam aluerit 198
Iuttæ, *Misnensis Marchionissæ, sigillum* 57. 135
Abbatissæ Quedlinburgensis, sigillum 159

K.

Kalendariæ *societatis sigillum* 157

L.

Lacedæmonii *an ex Græcis primi sigilla adhibuerint* 25
Lagenæ *olim a matribus-familias obsignatæ* 55
Landulphi, *Episc. Brixinensis, sigillum* 154
Lapis *sepulchris reliquiarum suppositus* 17
Latina *lingua cur in inscriptionibus sigillorum adhibita* 66
Latini *an bullis argenteis signarint* 41
vid. Romani.
Lauru *cur caput cinxerit Carolus M.* 64
Legati *Manuelis Imperatoris, impostores* 7
Legatus *Regis Habessiniæ suspectus* 30
Leo *insigne Regis Habessinæ* 30
eo delectatæ ciuitates municipales Brunsuico-Luneburgenses 141
Leo I. *Papa, an bullis signarit* 48
Leo IX. *PP. antiquas bullas retinuit, nouasque inuenit* 142
binæ eius bullæ 142. 144
an primus æram Christianam sigillis adscripserit 144
formulam bene valete *in monogramma contraxit* 144
Leodiensis *Ciuitatis sigillum recentius esse probatur contra Baronium* 139
Leopoldi *Imperatoris aurea bulla* 39
Libri *in sigillis episcoporum nonnunquam inscriptione notati* 72
sæpius sanctis in sigillis tribuuntur 163
Ligna *a vermibus exesa quibusnam fuerint loco sigillorum* 25
Lilia, *principibus in sigillis addita, quid sibi velint* 95
quando Gallis primum insignium loco fuerint 119
Lilium, *commune gestamen principum feminarum* 138
Lindauiense *Diploma Criticis vapulat* 11. 83. 85. 176. 182
Litteræ *in sigillis variæ* 184 *sq.*
in sigillis Caroli M. 80
Litteræ *Pontificum quotuplices* 52
quæ cera signentur *ibid.*
Principum, an iis merito ornamenta adiectæ 30
Majestaticæ. vid. Majestaticæ litteræ
conf. Diplomata

Lituus *quid* 153
an eius formam referant pedа episcopalia 153
Liuonia *quomodo ad Christum perducta* 192
Logothetæ *sigilli custodiam in aula Byzantina habuere* 13. 26
aureas & argenteas bullas expediuerunt 42
Longobardi *an aurum in consignandis litteris adhibuerint* 32
Loricæ *Veterum* 202. *sq.*
Lotharingiæ *duces an bullis aureis vsi* 37
an sceptro 124
Lotharius I. *Imperator an bullis plumbeis vsus* 44
an formulam χρε protege *primus mutarit* 80
eius sigilla 87
eius corona 208
Lotharius II, *Rex Fr. eius sigilla* 87. 120
Lotharius *Saxo, eius sigilla* 100
cur se vocet Regem III. 100
cur Imperatorem III. ibid.
quid sibi velint globi ex ipsius corona pendentes 101
cereorum eius sigillorum quantitas 61
eius corona 208
Lubeca, *quomodo olim scripta* 189
Luca, *ciuitas, cuius beneficio sigillorum plumbeorum vsum adepta* 47
Luckardis, *Abbatissæ Quedlinburgensis, sigillum* 159
Ludolphi, *Ducis Saxoniæ, diploma* 27
Ludouici *Cresfiacensis, Comitis Flandriæ, sigillum* 26
Comitis de Isenac numus 128
Thuring. Landgrauii sigillum 126. 130
Ludouicus Pius *Imp. ejus bullæ aureæ* 33. 44. 84. 86
bulla argentea 41. 84
alia incerti metalli 43
sigilla cerea 83. *sq.*
quando barbatus expressius 84
qua corona redimitus in sigillis appareat 84
an crucem in subscriptionibus adhibuerit 85
an formula χρε protege *sit vsus* 80. 85
quomodo eius nomen scribatur 85
quænam eius sigilla sint maxime genuina 85
quam præferant inscriptionem bullæ eius plumbeæ 44. 85
quid sibi velit sceptrum & globus in eius bulla 86
eius corona 208
Ludouicus II. *Imp. eius diploma suspectum* 44
Ludouicus III. *imp. eius sigillum* 89. 120
Ludouicus IV. *Bauarus Imp. eius aureæ bullæ* 35 120. 108
eius sigilla 108
an primus Aquila bicipiti vsus 113
an morem contra sigillis vtendi reuocarit 166
Ludouicus, *Senior, Rex Germ. formula* χρε protege *delectatus* 80. 88
eius sigilla 87
facies eius in sigillis in latus dextrum conuersa 87
an vnquam Imperator sit vocatus 88
an ipsius nomen scribatur, Hludovicus 88
quid de barba, corona & vestibus eius notatu dignum 88
Ludouicus *S. Rex Franciæ, eius sigillum* 120
Ludouicus *Transmarinus, Rex Germ. eius sigillum* 89. 120
eius corona 208
Ludouicus VII, *Rex Franciæ, eius sigillum secretum* 166
Luna *in sigillo Ludouici S.* 120
& sol quid sibi velint in sigillo Ottonis IV 104
Lutaceorum *sigillorum vsus quando inualuerit* 55
Lutgardis, *Comitissæ de Sladen, sigillum* 136
Lutheri *sigillum & annulus* 222

M.

Magdeburgi, *ciuitatis, sigillum* 140
Magistrorum *ordinis Teutonici si gill* 155
Mahomedi, *eiusque successorum symbola* 121
Mahomedani. *vid.* Turcæ.
Maiestas, *an & cur maiora sigilla sint appellata* 72
an etiam simulacris Deorum tributa 77
Maiestaticæ *litteræ* 77
Maiestatis *sigilla qualia* 76
an solis imperatoribus fuerint propria 77
quid in iis exhibeatur 78
quando primum adhibita 78
Maltha *ad signandas tabellas adhibita* 56
quid, & quomodo confecta ibid.
Mansfeldenses *comites priuilegium cera rubra vtendi quando adepti* 54
Marchisi *vox in sigillis Flandrensium obuia quid sibi velit* 123
Margarethæ, *Comitissæ Flandr. sigillum* 135
Margarethæ *de Waulaincour, sigillum* 135
Maria, *Honorii Imp. sponsa, quid in eius sepulchro repertum* 14
Mariæ *Ottonis IV. coniugis sigillum* 115
corona 208
Mariæ *cur Angelorum capita adiiciantur* 164
eius assumtio corporea an omnibus Pontificiis arrideat 165
Marsyæ *& Apollinis fabula* 75
Martyres *cur in sigillis palmam manibus gestent* 161
cur eorum epitaphiis columbæ cum ramo oliuæ subiectæ 162
eorum sepulcra fuere Christianorum templa 17
Maximiliani *Imp. cacheta* 167
Mechtildis, *Principis Anhaltinæ, sigillum* 136. 194
ex quanam gente fuerit oriunda 193
Medi. *vid* Persæ.
Meinhardi I, *Episcopi Rigensis, sigillum* 154
sigillum inscriptione carens 73
Meinheri, *Burggrauii Misnensis, sigillum* 132
Meinwerci, *Episcopi Paderbornensis titulus* 71
Melitensium *equitum magister nonnunquam cera nigra vtitur* 53
Merouingi, *Franciæ reges, eorum sigilla* 116. *horum magnitudo & forma* 117. 118
in sigillis faciem antrorsum obuersam exhibent 117
capillos prolixiores aluerunt ibid.
an literas Romanas adhibuerint ibid.
an omnes annulo signarint 118
an annum æræ Christianæ diplomatibus addiderint 119
Milites *olim apud Germanos trium fuerunt ordinum* 129
quinam nobiles ita olim vocati 137
Mitræ *episcopales olim fuerunt humiliores* 152
quando in vsu esse cæperint 197

Mixta *sigilla quæ* 54
Modestia *priscorum episcoporum* 21
Moguntiæ *sigillum* 140
Monachium *ciuitas, quid in eius sigillo conspiciatur* 140
Monasteriorum *sigilla* 156
Monogramma *Christi an chartæ, in quibus hoc appareat, pontificibus tribuendæ* 63
Monagrammata *an etiam in sigillis & numis appareant* 103
Μοχοσφραγισαὶ *apud Aegyptios quinam* 23
Moscouitæ *vid.* Russi.
Mulhusa *quid sigillis impresserit* 140
Musiuum *Romanum Carolum M. sistens* 81
Mythologia *gentilium olim Christianis fuit sudes in oculis* 62

N.

Namurcum *quomodo olim vocatum* 189
Neapolitani *an bullis aureis signarint* 36
Nero *an vestigia antecessorum in litteris signandis legerit* 75
musicæ amore nimium captus 76
eius annulus *ibid.*
Nicolai II. *pontificis bulla plumbea* 94. 143
Nigra *Sigilla. vid.* Color.
Nimbi, *sanctorum capita cingentes, vnde originem trahant* 160
Nobiles, *alii milites, alii famuli* 137
quinam se ipsi vocarint dominos 137
sigilla sero adhibuerunt 137
ea qualia fuerint 59. 138
Nomen *olim sine prolixo titulo in sigillis scriptum* 68
Nomina *propria e sigillis optime restitui possunt* 188
Numburgum *quomodo olim scriptum* 189
Numeris *quando reges & pontifices sint distincti* 49
Numi *sigilla superant antiquitate, copia & diuturnitate* 180
ex iis historia antiqua multum lucis fœneratur 181. 182
Sæpius præstantissimis Criticis imponunt 181. 182
Numi *bracteati quando in Germania recepti* 181.
ex iis chronologia perspici nequit 182
nihil in iis elegantiæ deprehenditur 183
inscriptiones maxime obscuræ in iis apparent 183
an patroni ecclesiarum & vrbium in illis interdum conspiciantur 139
Friderici Imperatoris 87. 183

O.

Ocreæ *Veterum* 204
Odonis, *Regis Franciæ, sigillum* 89. 119
Orbicularia *sigilla sunt antiquissima* 56
Ordruffensium *patronus* 139
Orthographia, *an ex sigillis addisci possit* 187
Osculo *quondam Imperatorum sigilla sunt excepta* 11
Osnabrugense *Caroli M. sigillum* 79
Osterlindis, *Abbatissæ Quedlinburgensis, sigillum* 119
cur a nonnullis reiectum 81. 82
Ottonis I. *Imp. litteræ aureis litteris conscriptæ* 31
bullæ aureæ 34. 44. 130
imago in sigillis 80
sigilla 90. 91
diplomata adhuc inedita 90
corona 208
Ottonis II. *Imperatoris, sigilla* 91
corona 208
Ottonis III. *Imperatoris aurea bulla* 34
bulla plumbea 46
sigilla 92. *sq.*
numus 92
corona 208
Ottonis IV. *Imperat. bulla aurea* 34
sigillum 104
corona 208
cur hic loco sceptri vtatur cruce 104
cur solem & lunam sibi adjici voluerit 104
Ottonis *Aschariæ comitis, sigillum* 124. 126. 132. 200
Bambergensis episcopi, titulus 71
Brandenb. Marchionis numus 124
de Brunsuic sigillum 133
Hildesiensis sigillum 72
Oualia *sigilla sunt antiquissima* 56
quando episcopi & Comites iis vsi 57
Carolus M. ea plerumque adhibuit 80

P.

Paterbornensis *bulla argentea* 41
Pallia *veterum* 210
Palmæ, *cur eas in manibus gestent sancti* 161
an etiam aliis, præter sanctos tribuantur 162
eas in manibus detulerunt, ex peregrinatione Hierosolymitana redeuntes 163
Palmarii *quinam olim dicti* 163
Papa. *vid.* Pontifex.
Papyro *quando sigilla superfusa* 173
Parabolica *oblonga sigilla quando inuenta* 57
Paschalis II. *PP. an primus Pauli & Petri capita bullis impresserit* 143
Patriarchæ *Constantinopolitani eorum sigilla* 26 *plumbeas bullas dudum adhibuerunt* 49 *viridi colore in sigillis vsi* 53 *nonnunquam nigro* 54
Patritii *vrbium sigillis triangularibus frequentissime vsi* 59
patroni *in sigillis ciuitatum conspicui* 139
Pauli *& Petri capita quando pontificum bullis impressa* 143 *cur Paulus ad dextram, Petrus ad sinistram collocetur* 145
Paulus II. *Papa, quid bullis plumbeis intulerit* 148
Pax vobiscum *cur hæc formula episcoporum libris sit inscripta* 72. 153 *quando episcopi eam sibi vindicarint* 153
Peda *episcopalia olim fuerunt breuiora* 152
Pensilia *sigilla quando in occidente adhibita* 171
Perigraphe *sigillorum vid.* Inscriptiones.
Persæ *an apud eos sigillorum vsus obtineat* 24 *quale* ἐπισφράγισμα *eorum sigilla habeant ibid. a sigillis, imagine ornatis, abhorrent* 29
Petri *& Pauli capita quando sigillis impressa* 143. *vid.* Paulus.
Philippi *Sueui Imp. aureæ bullæ* 34. 103
Philippi II *regis Hispaniæ sigillum* 120
Philippi *Ducis Burg. inscriptio sigilli* 196
Philippi *Elsatii Flandr. Comitis sigillum* 163. 195
Philippus II. *Franciæ Rex, qua cera signarit* 53
Pictores *olim miseri fuere artifices* 71
Pilei *veterum* 209
Pipini *Regis Franciæ bullæ aureæ num extent* 33 *sigillum cum bacchi capite est suspectum* 63 *aliud suspicione laborans* 119 *an imperator sit vocatus* 119

Piſcatoris *annulus, an eo D. Petrus ſignarit 28. 148 quando primum adhibitus 148 cur ita vocatus 148 eius pretium 148 mortuo pontifice aboletur* ibid.
Plumbeæ *bullæ fuerunt apud Græcos vſitatiſſimæ 42 ſq. an & viliores iis ſignarint 43 an imperatores & Reges occidentales iis delectati 43 cum inſcriptione:* Renovatio regni Francorum, *cui tribuendæ, & an ſint genuinæ 44. ſq. an etiam poſt Carolingos iis vſi Impp. 46 an & alii reges, duces & principes eas adhibuerint 46. ſq. num civitatibus & Conciliis earum vſus arriſerit 47 quando Pontificibus in vſu eſſe cœperint 48 an ſint humilitatis indicium 49 num patriarchæ Conſtantinopolitani iis obſignarint 49 an eas olim epiſcopi vſurparint 49 in quibus monogramma Chriſti reperitur, num omnes papæ tribuendæ 68 quales præferant characteres 25*
Polycrates, *Samiorum tyrannus, an primum inter Græcos ſigillis vſus* 25
Pontifices *Romani quando ſigilla adhibuerint 28 eorum ſigilla ſunt triplicia 142 qua occaſione ea confringantur 15 quando & cur bullis plumbeis primum ſignarint 48 nondum coronati qua bulla vtantur 149 qua cera in ſigillis vtantur 52 an eorum titulus:* ſeruus, ſeruorum Dei, *olim & aliis fuerit familiaris 71 an etiam ſigillis ſuis inſculpſerint lemma:* aurea Roma *94 primo ſolum nomen bullis inſculpſerunt 142 quando ſua ſignarint imagine 143 quando Petri & Pauli capita iis impreſſerint 143 antiquiores eas Græcis litteris inſigniuerunt 146 eorum bullæ ſubinde mutatæ 147 quibus funiculis in appendendis ſigillis vſi 171 quot modis eorum bullæ falſari potuerint 175 quando demum barbam aluerint 197 cereæ eorum bullæ vid.* Piſcatoris *annulus. eorum epiſtolæ vid.* epiſtolæ.
Popilii *Nepotiani numi* 93
Præpoſiti *monaſteriorum quibus ſchematibus eorum ſigilla conſpicua 158 vid.* Abbates.
Premislai *Regis Bohemiæ ſigillum* 121
Presbyteri *an ſigilla adhibuerint* 159
Principes *quando diplomata ſigillare cœperint 121 eorum ſigilla antiquiſſima ſunt ſimpliciſſima 122 quibus funiculis ſigilla ſua appenderint 271 ſigillis triangularibus rarius vſi 59 qua cera ſignarint olim 51. 54 quali eorum ſigilla plerumque fuerint figura 57 an bullis plumbeis ſignarint 47 quibus inſcriptionibus delectati 70. 133 num etiam ſigillorum maieſtatis vſum ſibi vendicarint 77 an eorum litteris merito ornamenta varia addantur 30 quid ſigillis ſecretis inſcripſerint 168 ſtantes nonnunquam in ſigillis exhibentur 132. 22. cur equitantes ſe in ſigillis fingi voluerint 127 conf. 221 an ſceptro & corona in ſigillis vſi 123 cur enſe ſtricto ſe iſiſtant 124 cur vexillum geſtent 128 quid ſibi velint anes, canes, flores, ſtellæ in eorum ſigillis 131. 164. cur turres ſigillis inſcripſerint 132 an eorum vultus in ſigillis accurate exprimantur 217 quando demum armis gentilitiis vſi 131. 213 quando ſolis 133 cur in funere eorum bini equi deducantur 128 quando eorum ſigilla in pompa funebri confringantur 14. 15 eorum ſigilla equeſtria vid.* Equeſtria.
Principes *iuuenes quibus ſigillis delectati 127 feminæ vid.* Feminæ
Priuati *quando apud eos ſigillorum vſus inualuerit 17. 137. 141*
Prouinciæ *quæ & quando titulis adſcriptæ 70. 195 earum inter fratres diuiſio accurate e ſigillis perſpicitur* 196
Prouinciales *Ordd. Monaſticorum quid ſigillis inſculpſerint* 157
Puncta *qualia in ſigillis adhibita* 188
Purpura *vid.* Encauſtum

Q.

Quadrata *ſigilla ſunt rariſſima* 60
Quedlinburgenſis *ciuitatis ſigilla* 139

R.

Rainoldi, *Comitis Daſſelenſis, præpoſiti ſigillum* 158
Referendarii *annulos Regum Merouæidarum cuſtodierunt 13 quinam in horum locum ſucceſſerint* ibid.
Religioſi *cur palmam interdum geſtent* 162
Reges *olim rubra in ſigillis cera vſi 52. 53 longo titulorum ſyrmate olim haud delectati 70 de eorum ſigillis 116 an haſtis ſint vſi 116 plurimi Imperatorum nomen affectarunt 119 eorumque ſigilla ſubinde imitati 120 interdum ſola inſignia regni ſigillis inſculpſere 121 an equitantes in numis conſpiciantur* 128
Reginarum *ſigilla* 115
Reifenberg *monaſterium, genuinum eius nomen* 198
Reliquiæ *Sanctorum vid.* Sanctorum
Renouatio regni Francorum, *lemma, bullis inſcriptum* 44
Repercuſſum *ſigillum quodnam* 169
Rhæticum *ſigillum an genuinum* 27
Rhenani *Archiepiſcopi, quando demum archicancellariorum titulo vſi* 194
Richenbergenſis *præpoſiti ſigillum* 158
Ringelheimenſe *monaſterium a quonam fundatum* 157 *eius ſigillum 157. 190 & patroni* ibid.
Ritus *ſacri in ſigillis exhibiti* 197
Robertus *Betunienſis eius ſigillum 126. 193 adhuc iuuenis quo ſigillo delectatus* 127. 131
Robertus *Iunior, comes Flandriæ, quo titulo in ſigillis vſus* 123. 195 *eius ſigillum* 125
Roma *ciuitas, an plumbo ſignarit 47 vox hæc frequenter numiſmatibus eſt inſculpta 93 aurea vid.* Aurea Roma.
Romani *annulos defunctorum terræ mandarunt 14 an ſigillis vſi 26 ſigillorum cretaceorum vſum non reſpuere 55 an a Chriſto aquilæ ſint vocati 112 vid.* Latini
Roſæ *interdum loco punctorum ſunt adhibitæ* 187
Roſariis, (*Franciſcus de*) *eius fata* 175
Rotberti *Reg. Franciæ ſigillum 120 corona* 208
Rotunda *ſigilla vid.* Orbicularia.
Rudolphus *Habspurgicus, eius bullæ aureæ 35 eius ſigilla 53. 108 ſigillorum eius cereorum quantitas 61 quem titulum in ſigillis vſurparit 71 in conſecrationis ſuæ ſacris crucem ſceptro antehabuit 99 eius corona* 208
Ruſſi *quando ſigillorum vſus apud eos inualuerit 28 aureis bullis frequenter vtuntur 36 eorum ſigillum 121 an apud eos imaginum in ſigillis vſus* 121
Ruta Saxonica 217

S.

S, *littera quando ſigillis ante nomen inſculpta* 68
Saalfeldenſium *patronus* 139
Sacra *vbinam Chriſtiani olim peregerint* 17
Salici *Imperatores, eorum ſigilla elegantia ſe commendant* 65
Sancti *quando eorum lipſana in altaribus recondita 17 eorum imagines Maieſtates dictæ 77 cur eorum imaginibus nimbi adiecti 160 cur in manibus geſtent palmas 161 quid ſibi velint homines ipſis ſupplicantes 163 ſæpius iis tribuuntur libri 263 cur eorum imaginibus ſtellæ additæ 164 cur angelorum capita ibid. eorum hiſtoria e ſigillis illuſtratur* 190
Sancti *tutelares in ſigillis eccleſiarum frequentiſſime conſpiciuntur 156 interdum eorum tantummodo capita 157 in ſigillis abbatum & abbatiſſarum ſæpius occurrunt 158 vide* Divi
Sangallenſis *bulla plumbea* 44
Sangenouefenſis *bulla plumbea* 44. ſq.
Sanmaximinianum *Caroli M. ſigillum 79 an ſit genuinum 82*
Saracenorum *ſigilla* 121
Sceptra *an idem quod baculi regales 66. 117 ſæpius pro auiculis aut pro floribus habita* 86. 96
Sceptrum *an inſigne principum 123 triumphale & conſulare in ſigillis* 86
Schafhuſa, *ciuitas, quid in eius ſigillo conſpiciatur* 140
Scheppenſtedenſis *oppidi ſigillum* 140
Scipio *eburneus cum aquila quorumnam fuerit geſtamen* 86
Scuta *gentilitia primaria principum nobiliumque arma* 129 *quando cœperint ſigillis inſculpi 129. 213. 221 quando ſola 133 in ſigillis principum feminarum conſpiciuntur 137 multis iam olim coloribus & imaginibus ornata 130 quando ea adhibuerint epiſcopi 154. 131 quando nobiles 138 gyronata & ſtriis diſtincta non ſunt veræ teſſeræ gentiles* 213
Secreta *ſigilla quæ & quotuplices 77. 166 quando primum adhibita 77. 167 quid in illis exhibeatur 78. 167 quando ciuitates ea adhibuerint 141 eorum inſcriptiones 168 Cæſarum, principum, & epiſcoporum 168 vid.* Contraſigilla
Secretum *an idem quod Sigillum* 19

Semper-Augustus *quisnam Imperatorum primum hoc titulo vsus* 105
Sepulcra *martyrum, in iis primi Christiani sacra peregerunt* 17
Sepulcrum *Mariæ, sponsæ Imperatoris Honorii* 14
Serapis. *vid.* Anubis.
Sergii *Papæ sigillum* 60. 147
Sergius I, *Papa, an bullis vsus* 48
Serui *quinam nobiles ita olim appellati* 137
Siculi *an bullis aureis vsi 36 an plumbeis* 47
Sigilla, *eorum adulteratores summis affecti sunt suppliciis 8. 11 quinam ea scriptis explanarint 8 eorum auctoritas in diplomatibus inculcatur 10 plura nonnunquam vni diplomati sunt affixa 10 an probent sigilli γνησιότητα 10 maximus iis semper honos est exhibitus 11 cuinam eorum custodia demandata 13. 26 eorum amissio fuit capitalis 13 cur interdum cum principibus sepulta 14 cur confracta 15 monialibus nonnunquam sunt legata 15 eorum vsus antiquissimus, omnibusque fere gentibus communis 20 sigillis suis quinam fidem derogarint 15 medii ævi fuere simplicissima 64 in iis olim nomen sine prolixo titulo scriptum 68 quando iis nota S. siue explicata vox sigillum addita 68 nonnulla omni destituuntur inscriptione 73 an monogrammata in iis adhibita 103 quando diplomatibus innecti cœperint 169. 170 quando appendi 170 vid.* fila. *quando papyro superfusa 173 de variis fraudibus in re sigillari commissis 174 an numis præferenda 181 de eorum vsu critico 184 historico 189. sq. Heraldico* 213
Sigilla caua *vid.* Caua. Cerea *vid.* Cerea. *&c. &c.*
Sigillaria *festum seruorum* 16
Sigillatæ *vestes* 16
Sigillati *scyphi* 16
Sigilliarii *quinam* 17
Sigilliolum *an sit vox Latina* 16
Sigillum *vnde deriuetur 16 varias admittit significationes ibid. eius synonyma* 18
Sigillus *quid* 17
Sigismundus *Imperator, eius aureæ bullæ 35 prolixo titulo in sigillis vsus 71 eius sigilla 108. 109 quid sibi velint versiculi: Aquila Ezechielis &c. in eius sigillo occurrentes 109 an primus aquilam bicipitem adhibuerit* 13
Signaculum *quid* 19
Signetum *idem quod sigillum* 18
Signum *quid* 18
Simulacrum *paruum audit interdum sigillum* 16
Sinenses *sigilla maximopere venerantur 12 quonam sigillo vtantur* 29
Sinister *locus in sacris dextro fuit honoratior* 146
Societatis *Kalendariæ sigillum* 157
Somnium *Friderici IV. Austriaci* 111
Sol *& luna quid sibi velint in sigillo Ottonis IV.* 104
Sophiæ, *Landgr. Thuringorum, sigillum 135 Abbatissæ Gandersheimensis, sigillum 136 Comitissæ Blankenburg. sigillum* 136
Spirenses *an diu turribus in sigillis vsi* 140
Σφραγὶς 18
Σφραγισαὶ *quinam apud Aegyptios* 23
Stantes *nonnunquam exhibentur principes in sigillis* 132. 221
Stapia *an olim fuerint adhibita* 205
Stellæ, *Sanctorum aliorumque imaginibus additæ, quid sibi velint* 164
Stephani *papæ sigillum quadratum 60 Cardinalis sigillum* 150
Stephanus III. *Papa, an primus bulla signarit* 48
Sternbergæ *ciuitatis sigillum* 140
Stolberga *quomodo olim scripta* 189
Subscriptio *& signatio an differant 18 quando cruces in subscriptionibus adhibitæ* 66. *sq.*
Sueciæ *regum sigilla* 120
Sultani *Iconienses iam pridem sigillis vsi 29 an bullis aureis signarint* 36
Sylvestri *papæ tempore an bullæ plumbeæ fuerint vsitatæ* 48

T.

Templum *turritum quid sibi velit in sigillis ecclesiarum* 157
Tenzelianis *indulgentiis quænam appensa fuerint sigilla* 150
Terga *sigillorum* 172
Testamenta *quando primum lino constricta* 175
Tetrici *Iunioris numus* 97
Thassilonis, *Ducis Boici, diploma* 27
Theodemari, *Reg. Franciæ, annulus* 116
Theoderici, *Marchionis Misniæ, sigillum oblongum* 57
Comitis Flandrensis sigillum 163
Theodericus, *Rex Ostrogothorum, an litterarum commercio delectatus* 27
Theodori *PP. bulla plumbea* 147
Theodorici I. *Franciæ Regis sigillum* 117
Theodorici II. *Neustriæ Regis sigillum spurium* 163
Theodori *Lascaris numus cum aquila bicipiti* 113. *sq.*
Thoraces *veterum* 202. *sq.*
Tiderici *Episcopi Dorpatensis sigillum* 152 *Abbatis sigillum* 158
Tintinnabula *vestibus potentum olim appensa* 101 *inprimis equitum baltheis ibid. an etiam in sacris adhibita ibid.*
Titulis *quæ & quando prouinciæ adscriptæ* 70. 195
Treuerensium *patronus* 139
Triangularia *sigilla quando eorum vsus inualuerit* 59
Tridentini *concilii sigillum* 149
Trifolio *similia sigilla sunt rarissima* 60
Θριπλόεσσα 26
Θριπόβρωτα *ibid.*
Triumphale *sceptrum. vid.* Sceptrum.
Tunicæ *veterum Germanorum & Francorum* 206
Turcæ *quomodo diplomata signent 29 an in eorum sigillis imagines occurrant ibid. cuinam sigilli custodiam credant ibid. an aurum in consignandis litteris adhibeant 32 an aureis bullis vtantur* 36
Turres *quid significent in sigillis principum 132 in sigillis ciuitatum crebro conspiciuntur* 138
Tutelares *vid.* Sancti
Tutores *Cæss. Byzantinor. impuberum quonam colore litteras subscripserint* 31
Tiparium, *eo forte amisso admonebantur olim subiecti vid.* Sigillum.

V.

Veneti *an diploma, libertatem ipsorum suffulciens, sit genuinum 33 quando bullas plumbeas adhibuerint* 47
Vestes *sigillatæ* 16
Vestiaria *res medii ævi e sigillis petenda* 206
Vestibus *potentum olim tintinnabula adiecta* 101
Vexillum *in sigillis Cæsarum quid sibi velit 89. 128 cur principes gestent 128 conf. 221 quot vexilla in solennioribus principum pompis præferantur 129 vexilli erectio in castro siue turri quid sibi velit 129 vexillorum antiquorum forma* 129. 199
Victoris II. *papæ, bulla plumbea 94. 143 cur sua signarit imagine* 143
Viridia *sigilla vid.* Color
Vlrici *de Hainovve sigillum* 124
Vltraiectinæ *ciuitatis sigillum* 138
Vmbella *in sigillis Imperatorum quid sibi velit* 89
Vrbani II. *PP. bulla plumbea* 144
Vtensilia *in sigillis obuia* 211
Vultus *principum an in sigillis accurate exprimantur* 212

W.

Waimari *Ducis Salernitani sigillum* 122
Weichbildorum *Brunsuicensium sigilla* 141
Wenceslai II. *Regis Bohemiæ sigillum* 120
de Westedorp *(Olrici) Nobilis sigillum* 59
Wilhelmi *de Isenberch sigillum 124 Conquæstoris sigillum* 166
Wilhelmus *Hollandus, quo titulo in sigillis vsus 71 eius sigillum 107 corona 208 vide* Guilielmus
Wisigothi, *quando bullis sigillisque vsi* 28
Woldemari *Marchionis Brandenb. sigillum* 132
Woltingerodanæ *ecclesiæ sigillum* 156
Wynitherii *Cancell. Henrici III. sig.* 147

X.

Χρε *protege adiuua, quando hæc famula vsurpata* 80
Χρυσὸ βυλλων 19

Z.

Zuenteboldi *sigillum 89. 120 corona* 208
Zuichemus *quo signo in annulo suo vsus* 64

FINIS.

TAB. I.

№ 1.

№ 2.

№ 3.

№ 4.

№ 5.

№ 6.

№ 7.

№ 8.

№ 9.

№ 10.

№ 11



№ 12.

TAB. II.

№ 1.

№ 5.

№ 2.

№ 3.



№ 6.

№ 4.

№ 7.



№ 8.

№ 9.

№ 10.





IVB.II

TAB. III.

N.1.

N.2.

N.3.

N.4.

N.5.

N.6.

N.7.

N.8.



N.9.

N.10.

N.11.

N.12

N.13.

N.14.

N.15.

N.16.

N.17.

N.18.

N.19.

N.20.

N.21.

N.22.

N. 23.

TAB. IV.

№. 1.

№. 2.



№. 3.

№. 4.

№. 5.

№. 6.

№. 7.

№. 8.

№. 9.

№. 10.

№. 11.

№. 12.



№. 13.

№. 14.

№. 15.

№. 16.

№. 17.



№. 18.

№. 19.

№. 20.





TAB. V.

№. 1

№ 2.

№ 3.

№. 4.

№. 5.

№. 6.

№. 7.

№ 8.

№ 9.

№ 10.

№ 11

TAB. VI.

№. 1.

№. 2.



№. 3

№. 4.

№. 5.

№. 6.

TAB. VII.

№ 1

№ 2

№ 3

№ 4.

№ 5

№ 6.

TAB. VIII.

№. 1.

№. 2.



№. 3.

№. 4.



№. 5.

№. 6.

BIBLIOTECA CENTRAL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

TAB. IX.

№. 1.

HENRICVS
DVX SVEVIE
ROMANORVM REX SEMP. AVGVSTVS

№. 2.


CONRADVS DIVI. AVGVSTI
HERE
S. IERLM
ROMANORVM IMPERATOR

№. 3.

S. WILLELMVS
ROMANORVM REX SEMPER AVGVSTVS

№. 4.

RVDOLFVS DEI GRA
ROMANORVM REX SEMPER AVGVSTVS

№. 5.

KAROLVS QVARTVS DIVINA FAVENTE CLEMENCIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS ET BOEMIE REX


SIGILLVM HOMINVM IVSTICIE

TAB. X.

№. 1.

№. 2.

№. 3.

№. 4.

№. 5.

№. 6.

№. 7.

№. 8.



TAB. XI.

№ 1

№ 2

№ 6.

№ 3.

№ 5

№ 7.

№ 4.

№ 8.

№ 9.



№ 10.

TAB. XII.

№ 1.

№ 2.



№ 3.

№ 4.



№ 5.



№ 6.

№ 7.



№ 8.



№ 9.



№ 10.

№ 11.

№ 12.

№ 13.





TAB. XIII.

№. 1.



№. 2.

№. 3.

№. 4.

№. 5.

№. 6.

№. 7.

№. 8.

№. 9.

№. 10.

№. 11.

№. 12.

№. 13.

№. 14.

TAB. XIV.

№. 1.



№ 2.

№ 3.

№. 4.

№ 5.

№ 6

№ 7.

TAB. XV.

№. 1.

№ 2

№. 3.

№. 4.

№. 5.

№. 6.



№. 7.

№. 8.

№. 9.



№. 10.

№. 11.

№. 12.

№. 13.



TAB. XVI.

№. 1.

№. 2.

№. 3.

№. 4.

№. 5.

№. 6.

№. 7.

№. 8.

№. 9.

№. 10.

№. 11.

№. 12.

№. 13.

№. 14.

№. 15.



TAB. XVII.

№ 1.

№ 2.

№ 3

№ 4.

№ 5.

№ 6.

TAB. XIIX.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 6.

Fig. 7.

Fig. 8.